R. P. JOANNIS MICHAELIS
CAVALIERI
BERGOMATIS

ORD. EREMIT. SANCTI AUGUSTINI CONGR. OBSERV. LOMB.

SACRÆ THEOLOGIÆ LECTORIS EMERITI

OPERA OMNIA
LITURGICA,
SEU
COMMENTARIA

In authentica Sacræ Rituum Congregationis Decreta ad Romanum præſertim Breviarium, Miſſale, & Rituale quomodolibet attinentia

QUINQUE TOMIS COMPREHENSA.

EDITIO NOVISSIMA

Ab Auctore curis poſthumis aucta, & emendata, atque integro Tomo ex manuſcriptis ejus ſchedis nunc primum collecto locupletata.

TOMUS TERTIUS.

BASSANI, MDCCLXXVIII.

SED PROSTANT

VENETIIS APUD REMONDINI.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

ELENCHUS CAPITUM,

Et Argumentorum.

CAPUT PRIMUM.

De Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum. a pag. 1. ad pag. 4

CAPUT II.

De Officio Defunctorum. a pag. 4. ad pag. 11

CAPUT III.

De Die obitus ſeu depoſitionis. a pag. 11. ad pag. 15

CAPUT IV.

De Diebus 3. 7. & 30. a pag. 15. ad pag. 17

CAPUT V.

De Anniverſariis. a pag. 17. ad pag. 19

CAPUT VI.

De miſſis Defunctorum ex Teſtatorum diſpoſitione cantandis. a pag. 19. ad pag. 21

CAPUT VII.

De Commemoratione Defunctorum omnium alicujus Religionis, vel Communitatis. a pag. 21. ad pag. 23

CAPUT VIII.

De Miſſa Conventuali, & Parochiali. a pag. 23. ad pag. 28

CAPUT IX.

De Miſſis privatis Defunctorum. a pag. 28. ad pag. 30

CAPUT X.

De qualitate Miſſæ Defunctorum. a pag. 30. ad pag. 34

CAPUT XI.

De Collectis Defunctorum. a pag. 34. ad pag. 39

CAPUT XII.

De Miſſis Defunctorum univerſim. a pag. 39. ad pag. 48

CAPUT XIII.

De Miſſis S. Gregorii. pag. 48.

CAPUT XIV.

De Altari privilegiato, & indulgentiis pro Defunctis. a pag. 49. ad pag. 55

CAPUT XV.

De Exequiis Adultorum. a pag. 55. ad pag. 79

CAPUT XVI.

De Exequiis Parvulorum. a pag. 79. ad pag. 82

CAPUT XVII.

De Sepultura Eccleſiaſtica. a pag. 82. ad pag. 97

CAPUT XVIII.

De Abſolutione ad Tumulum. a pag. 97. ad pag. 101

CAPUT XIX.

De Agone Infirmorum. a pag. 101. ad pag. 107

Fr. Nicolaus Alexander Biſſi de Bergomo S.T.L.E. Fratrum Erem. Ordinis S. Auguſtini, Congregationis Obſervantiæ Lombardiæ Vicarius Generalis.

CUM librum, cui titulus *Agenda Defunctorum*, Auctore Adm. Rev. P. Jo. Michaele Cavalieri de Bergomo Congregationis noſtræ Sacræ Theologiæ Lectore Emerito, Adm. Rev. P. Julius Benalia de Bergomo S. T. L. E., & Conventus S. Auguſtini Bergomi Prior, cui id muneris Commiſimus, viderit, & in lucem edi poſſe probaverit, facultatem facimus, ut typis mandetur, ſi iis, ad quos pertinet, ita videbitur.

Datum Taurini in Conventu Noſtro S. Auguſtini die 14. Maji 1748.

F. Nicolaus Alexander Biffi Vicarius Generalis.

Loco ✠ Sigilli.

F. Joannes Bonus Caleſſi de Viteliana,
S. T. L. E. Congregationis Secret.

Digitized by Google

INDEX DECRETORUM

Servato ordine, quo a nobis per Capita diſtributa ſunt, & fuerunt expoſita.

Numerus Paginam notat.

1. Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum non eſt celebranda, nec facienda in die Dominico, ſed transferri debet in feriam ſecundam ſequentem. S. R. C. 24. Sept. 1605. *in Auguſtan.* *pag.* 2
2. In commemoratione omnium Fidelium Defunctorum poteſt fieri Officium de feſto duplici minori, ſed Miſſæ ſunt celebrandæ de Requiem. S. R. C. 5. Oct. 1686. *in una Urbis.* *ibid.*
3. Occurrente duplici minori, ſeu tranſlato in die commemorationis Defunctorum, Officium faciendum eſt de Sancto, Miſſæ vero celebrandæ ſunt de Requiem. S. R. C. 19. Junii 1700. *in Curien.* *ibid.*
4. In die commemorationis omnium defunctorum in Eccleſiis Cathedralibus, vel Collegiatis, ubi quotannis occurrit dies octava Dedicationis Eccleſiæ privatæ dicendæ ſunt de Requiem, & cantandæ ſunt duæ Miſſæ conventuales, una ſcilicet de die octavæ poſt Tertiam, & altera de Requiem poſt Nonam juxta Rubricas. Quando vero dies octavæ incidit in Dominicam, omnes Miſſæ celebrandæ ſunt de die octavæ, & commemoratio omnium Fidelium Defunctorum transferatur in diem ſequentem. S. R. C. 16. Sept. 1696. *in una S. Germani Montis Caſſini.* *ibid.*
5. Cum Feſtum S. Pirminii Epiſcopi Meldenſis, & Confeſſoris a Clericis Regularibus Societatis Jeſu Civitatis Œniponti Diœceſis Brixinen. die 3. Novembris ſub ritu duplici minori celebretur; cumque eadem die aliquando occurrat commemoratio omnium Fidelium Defunctorum, propterea ex parte Clericorum Regularium prædictorum S. R. C. humillime ſupplicatum fuit declarari, an occurrente feſto S. Pirminii Epiſcopi Meldenſis eadem die commemorationis omnium Defunctorum, poſſint ipſi, aut etiam debeant transferre Feſtum Sancti Pirminii ad aliam diem non impeditam currentis octavæ, an vero non obſtante officio commemorationis Defunctorum ſit faciendum Officium de S. Pirminio, ac ſaltem Miſſa ſolemnis dicti celebrari poſſit? Et S. R. C. reſpondit *transferendum eſſe Officium S. Pirminii*. Ita diei 11. Julii 1716. *una Brixinen.* 3
6. In die commemorationis omnium Fidelium Defunctorum Sacrificia poſſunt a Sacerdotibus celebrantibus applicari ad libitum, ſcilicet vel pro omnibus Fidelibus Defunctis, vel pro aliquibus tantum. S. R. C. 4. Aug. 1663. *in una Dalmatiar.* *ibid.*
7. Miſſa ut in die obitus præſente corpore, ultra miſſam de communi Defunctorum, celebranda erit, quando aliquis obierit in die commemorationis omnium Fidelium Defunctorum. S. R. C. 14. April. 1696. *in Uliſſiponen.* 4
8. Matutinum Defunctorum pro generali eorum commemoratione non debet cantari pridie veſperis in feſto omnium Sanctorum, ſed recitandum eſt mane die 2. Novembris poſt laudes diei. S. R. C. 23. Maii 1603. *in Egitanien.* *ibid.*
9. Matutinum Defunctorum pro generali eorum commemoratione prohibitum eſt cantari pridie veſperi in feſto omnium Sanctorum, ſed recitandum eſt mane die 2. Nov. poſt laudes diei. *S. R. C. 1. Sept.* 1607. *ibid.*
10. Officium Defunctorum pro ſecunda die Novembris poteſt, etiam præſente Epiſcopo, ante completorium diei feſti omnium Sanctorum recitari. *S. R. C. 5. Julii* 1698. *in Collen.* *ibid.*
11. Matutinum diei commemorationis omnium Fidelium Defunctorum non poteſt recitari in choro in die feſtivitatis omnium Sanctorum poſt completorium, ſed ſervandæ ſunt Rubricæ. *S. R. C.* 22. Jan. 1701. *in una Camal. Montis Coronæ.* *ibid.*
12. Veſperæ Defunctorum pro prima die menſis dicuntur poſt veſperas etiam Dominicæ, vel feſti de præcepto, ſi accidat. S. R. C. 23. Maii 1603. *in Egitanien.* 5
13. Officium Defunctorum non poſt dici in ſemiduplicibus, & officiis novem lectionum, niſi ad effectum duntaxat ſatisfaciendi menti Teſtatorum. S. R. C. 12. Jul. 1618. *in Jannen.* 6
14. Officium Defunctorum dici poteſt in choro ſeparatim ab officio diei in diebus exceptis a Breviario pro adimplenda Teſtatorum voluntate. S. R. C. 12. Aug. 1682. *in Triventina.* 8
15. Duplicatio antiphonarum præter diem commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, & diem depoſitionis Defuncti, fiat in diebus 3. 7. 30., & anniverſario. S. R. C. 8. Martii. 1738. *ibid.*
16. Quando ab aliqua Congregatione dicitur totum officium Defunctorum, non debet illud dici ut ſecunda die Novemb. omittendo pſalmos poſt veſperas, & matutinum poſitos in officio Defunctorum. S. R. C. 5. Julii. 1698. *in Collen.* 9
17. In officio Defunctorum in veſperis, & laudibus dicendi ſemper ſunt pſalmi appoſiti *De profundis*, & *Lauda, anima mea, Dominum*, & poſt veſperas, & laudes omittantur iidem pſalmi tantum in die commemorationis omnium fidelium defunctorum, & in die depoſitionis defuncti. S. R. C. 23. Junii 1736. *in Einſidlen.* 10
18. Pſalmi *Lauda, anima mea, Dominum*, & *De profundis* omittantur in precibus poſt officium in die commemorationis omnium fidelium defunctorum, & in die obitus, ſeu depoſitionis defuncti dumtaxat; ceteris autem diebus ſemper, & omnino dicantur. S. R. C. 3. Aug. 1737. *in Nolana.* *ibid.*
19. In die depoſitionis dicenda eſt miſſa pro Defuncto, non obſtante contraria conſuetudine. S. R. C. 12. Jul. 1628. *in Janu.* 11
20. In Dominicis, & feſtis poteſt celebrari miſſa de Requiem pro Defunctis, inſepulto cadavere. S. R. C. 23. Maii 1603. 12.
21. In duplicibus primæ claſſis, etiam præſente corpore, non poteſt cantari miſſa Defunctorum, & multo minus dicenda eſt una miſſa privata deficientibus clericis in choro. S. R. Cong. 5. Julii 1698. *in Collen.* *ibid.*
22. Cum juxta Rubricas Ritualis Romani abſque miſſa, quantum fieri poteſt, Defunctorum corpora non ſint ſepelienda, poterit præſente in Eccleſia cadavere, unica miſſa ſolemnis de Requiem celebrari feria ſecunda Paſchæ, aut Pentecoſtes. Hæc tamen miſſa non decantabitur in duplici primæ claſſis, etiam non feſtivo de præcepto, ſi corpus præſens in Eccleſia non fuerit, aut ſi fuerit pridie ſepultum. S. R. C. 2. Sept. 1741. *ibid.*
23. Miſſæ exequiales Defunctorum in die depoſitionis Defuncti poſſunt ſolemniter celebrari diebus, in quibus cadit feſtum duplex alicujus Sancti, dummodo non ſit de præcepto juxta Rubricas Brev. Romani. S. R. C. 19. *Sept.* 1654. *in Papien.* 13
24. Cum primum accipitur nuntium de obitu in loco diſſito alicujus, poteſt cantari miſſa de requiem ut in die obitus pro ejus anima in feſto duplici majori, vel minori, non tamen de præcepto, ut citius ſuffragetur animæ defuncti, non relicta tamen miſſa in cantu de feſto duplici, quatenus adſit obligatio. S. R. C. 4. Maji 1686. *in una Canon Regul. Lateran.* 14
25. Miſſæ privatæ de Requiem corpore præſente, & inſepulto, dici non poſſunt diebus, quibus fit de officio duplici, vel aliis a Rubrica vetitis, & quamcumque conſuetudinem tamquam abuſum abolendam juxta diſpoſitionem Rubricæ V. miſſalis Romani de miſſa Defunctorum n. 2. in fine, & Decreta S. Congregationis, & ſignanter generale 5. Auguſti 1662. ſervanda eſſe mandavit S. R. C. 10. Jan. 1693. *in una Galliar.* 15
26. Officium pro die tertio, ſeptimo, vel trigeſimo poſt obitum Defuncti, ſi cadat in die Dominico, vel feſtivo, transfertur in diem ſequentem cum eadem ſolemnitate. S. R. C. 23. Maii 1603. *in Egitanien.* 16
27. In Eccleſiis Parochialibus ruralibus, in quibus per annum plerumque unus tantum Sacerdos celebrat, & ſine cantu, poteſt dici miſſa de Requiem, quando anniverſaria ex Teſtatorum diſpoſitione, recurrente obitus die, incidunt in feſtum duplex majus. Non idem tamen dicendum eſt de diebus 3. 7. & 30., ſed ſervetur Decretum generale editum 5. Auguſti anno 1662. S. R. C. 19. Junii 1700. *in Curien.* *ibid.*
28. In diebus relictis a Teſtatore, 3. 7. 30. miſſa ſolemnis de Requiem poteſt cantari, etiam in duplici majori, dummodo non ſit feſtum de præcepto, & non ſit duplex 1. vel 2. claſſis. S. R. C. 27. Sept. 1669. 17
29. Anniverſaria, & miſſæ cantatæ de Requiem relictæ ex diſpoſitione Teſtatorum, quotannis in die ipſorum obitus, etiam in duplici majori contingentis, poſſunt celebrari, & proinde in Decreto die 5. Aug. 1662. edito, non comprehenduntur. S. R. C. 22. Novem. 1664. *in Novarien.* *ibid.*
30. Anniverſaria, & miſſæ de Requiem, quæ ex diſpoſitione Teſtatorum cum cantu ſunt quotannis celebrandæ, poſſunt cantari, etiamſi ipſorum obitus inciderit in feſto duplici majori. S. R. C. 20. Julii 1669. annuente Clemente IX. die 13. ejuſdem anni in Decreto generali. 18
31. In anniverſario occurrente in feſto duplici 2. claſſis non

poteſt cantari miſſa de Requiem S. R. C. 5. Jul. 1698. *in Collen.* *ibid.*

32. Infra octavas privilegiatas non poteſt cantari miſſa Defunctorum in anniverſario, & officio ſolemni. S. R. C. 5. Julii 1698. *in Collen.* *ibid.*

33. Miſſæ cantatæ mortuorum infra octavam Corporis Chriſti non ſunt celebrandæ, niſi præſente corpore. S. R. C. 12. Sept. 1671. *in Nuſcana.* *ibid.*

34. Anniverſariæ, & aliæ miſſæ pro Defunctis certo die dicendæ, eo impedito, poſſunt transferri in diem ſequentem. S. R. C. 27. Septembris 1518. 19

35. Ex privata devotione Parochianorum petentium ſæpius per annum anniverſaria pro defunctis parentibus, fratribus, amicis, & aliis defunctis, poteſt in ruralibus Eccleſiis cantari miſſa ſolemnis de Requiem in feſto duplici minori, altera miſſa cantata de feſto, ubi adſunt plures, vel ſaltem duo ſacerdotes, dummodo ſermo ſit de die vere anniverſaria a die obitus. S. R. C. 19. Junii 1700. *in Curien.* *ibid.*

36. Defunctorum miſſæ non ſunt cantandæ, nec celebrandæ in diebus ſolemnibus. S. R. C. 23. Junii 1607. *in Veron.* *ibid.*

37. In die, quo celebratur feſtum duplex, etiam translatum, prohibetur miſſa de Requiem, niſi ſit præſens cadaver. Anniverſarium poteſt transferri, immo debet, & in feriis majoribus debent omnino cantari duæ miſſæ. S. R. C. 31. Julii 1665. *in una nullius Provinciæ Treviren.* *ibid.*

38. Tolerari poſſunt miſſæ votivæ cantatæ B. M. V. in ſabbato, vel pariter cantatæ Defunctorum in feſto duplici, quod non eſt de præcepto, ut Teſtatorum voluntates adimpleantur, dummodo non omittatur miſſa conventualis S. R. C. 1. Sept. 1607. & 20. Junii 1626. *in Nucerina.* 20

39. Anniverſaria, ſive miſſæ quotidianæ cantatæ de Requiem, relictæ ex diſpoſitione Teſtatorum pro certis diebus, hiſque impeditis die Dominico, ſeu alio feſto de præcepto, cantari poſſunt in diebus ſubſequentibus, ſeu antecedentibus, in quibus occurrunt officia de duplici majori, non tamen de præcepto, præcipue de Sanctis alicujus Ordinis, non relicta tamen miſſa in cantu de duplici minori occurrente, quatenus adſit obligatio cantandi. S. R. C. 4. Maii 1636. *in una Canon. Regul. Lateran.* *ibid.*

40. Anniverſaria, & miſſæ de Requiem, quæ certo die dici debent, eo impedito, transferri poſſunt in ſequentem, prout tranſtulit S. R. C. 19. Maii 1614. *in Turitana.* *ibid.*

41. Non valentes ſatisfacere anniverſariis Defunctorum in diebus ferialibus, poſſunt ipſa adimplere in feſtis duplicibus, non tamen de præcepto. S. R. C. 3. Marti 1629. *in Papien.* 21

42. Jam in omnibus Congregationibus Ordinis Benedictini poſt feſtum omnium Sanctorum 13. Novembris celebratur ſolemnis commemoratio omnium Defunctorum Confratrum dicti Ordinis; quid ſi illa die 14. Novemb. alicubi adſit feſtum duplex translatum, aut occurrens? Eritne ejuſmodi duplex ulterius transferendum, vel duplex celebrandum, & tamen peragendum cum officio Defunctorum, & dicendæ omnes miſſæ pro Defunctis Confratribus præter unam de feſto? Vel eritne officium alia die dicendum? & tunc non amplius conveniunt monaſteria noſtri Ordinis. Sac. vero Rit. Congreg. die 5. Maii 1736. reſpondit: *Commemoratio omnium Defunctorum non eſt transferenda, ſed ſi die illa occurrat feſtum duplex minus, ſeu translatum, fiat officium de feſto duplici cum miſſa ſolemni poſt Tertiam, officium vero Defunctorum recitandum erit poſt Laudes, & omnes miſſæ dicantur pro Defunctis in paramentis nigris.* *ibid.*

43. Quando Anniverſarium, ſeu officium ſolemne pro animabus omnium Defunctorum Confratrum alicujus Congregationis, fit in feſto ritus duplicis minoris, poteſt cantari miſſa de Requiem, ſecus ſi occurrat in feſto altioris ritus. S. R. C. 8. Mart. 1738. 22

44. Feria ſecunda poſt Dominicam Paſſionis, quando recitatum eſt officium defunctorum, non dicitur miſſa Conventualis de defunctis, neque oratio *Fidelium*; quæ etiam in aliis feriis ſecundis Quadrageſimæ non dicitur juxta rubricas, ſed ſolum oratio *Omnipotens ſempiterne Deus*, quæ eſt pro vivis, & defunctis, & omittitur tempore paſſionis. S. R. C. 11. Julii 1633. *in Lugdunen.* 23

45. Ob miſſam votivam, ſeu pro defunctis non eſt omittenda Miſſa Conventualis, neque poteſt introduci conſuetudo in contrarium uſum. S. R. C. 16. Jan. 1627. *in Janu.* 25

46. In die anniverſarii, & depoſitionis non poteſt cantari miſſa defunctorum loco conventualis. S. R. C. 5. Jul. 1698. *in Collen.* *ibid.*

47. Miſſa Conventualis non poteſt celebrari pro anniverſario, ſed cantandæ ſunt duæ miſſæ. In die vero depoſitionis dicenda eſt miſſa pro defuncto non obſtante contraria conſuetudine. S. R. C. 12. Julii 1628. *in Janu.* *ibid.*

48. Quando adeſt obligatio, & onus faciendi diverſa anniverſaria ſtatis diebus, in quibus occurrunt feſta duplicia, ſive ſemiduplicia, necnon etiam tempus quadrageſimale, & quatuor tempora, vigilia, & ſimilia, miſſa conventualis nullo pacto eſt omittenda, ſed utraque miſſa cantanda eſt, altera de die, altera de requiem, etiamſi occurrat feſtum duplex, dummodo non ſit feſtivum de præcepto, ad hoc ut Teſtatorum voluntates adimpleantur, & licite eleemoſynam lucrari poſſit, ut declaravit S. R. C. 1. Sept. 1667. *in Pampilon.* & 29. Nov. 1628. *in Janu.* 25

49. In die commemorationis omnium fidelium defunctorum non poteſt celebrari miſſa ſolemnis de requiem poſt Primam, ſed ſervandæ ſunt Rubricæ, quæ præſcribunt poſt Nonam. S. R. C. 22. Jan. 1701. *in una Camaldulen. montis Coronæ.* *ibid.*

50. Patriarchales, Metropolitanæ, Cathedrales, & Collegiatæ Eccleſiæ tenentur quotidie celebrare, & applicare miſſam Conventualem pro Benefactoribus ſuis in genere, non obſtante quavis, licet immemorabili, conſuetudine in contrarium. Benedictus Papa XIV. Conſt. *Cum ſemper* 19. Aug. 1744. 26

51. Canonici Cathedralium, & Collegiatarum accipiunt fructus ſuorum canonicatuum ſub onere inſerviendi Eccleſiæ in celebratione divinorum officiorum; quæ celebratio non importat ſolum horas canonicas; ſed etiam miſſam Conventualem, tamquam præcipuam partem, & proinde ad applicationem ejuſdem miſſæ Conventualis tenentur pro illis, ex quorum diſpoſitionibus diſtributiones, & emolumenta percipiunt. S. Congreg. Concil. 17. Martii, & 9. Junii 1714. *ibid.*

52. Per miſſam cantatam in ſuffragium alicujus Benefactoris, vel Benefactorum in genere, quæ foret impoſitam, non ſatisfit oneri miſſæ Conventualis. Benedictus Papa XIV. Conſt. *Cum ſemper* 19. Aug. 1744. 27

53. Ubi a Beneficiatis, vel Manſionariis celebretur miſſa Conventualis, iiſdem ſuppeditetur eleemoſyna ex diſtributionum maſſa, quæ ſi attenta earum tenuitate adeo minuantur, ut negligantur, recurſus haberi poterit ad Congregationem Concilii, quæ ad ſolos dies feſtivos prædictæ miſſæ applicationem reſtringere poterit. Bened. XIV. Conſt. *Cum ſemper* 19. Aug. 1744. *ibid.*

54. Rubricarum mandatis ſuper duabus, & quandoque tribus miſſis Conventualibus Cathedrales, & Collegiatæ Eccleſiæ diſtricte parere tenentur, eaſque omnes, ubi id conſuetudo obtinuit, applicare pro Benefactoribus; & conſuetudine minime ſtante, applicatio primæ erit Benefactorum ſuffragio reſervata, reliquarum libera, dummodo eorumdem Benefactorum non obliviſcantur in commemoratione defunctorum omnium. Benedictus XIV. Conſt. *Cum ſemper* 19. Aug. 1744. *ibid.*

55. Si Canonicus Parochus, aut onere miſſarum alias gravatus, miſſam conventualem celebret, hanc applicare tenetur pro Benefactoribus in genere, & per alium ſupplere miſſas, quibus particulariter manet adſtrictus. Bened. Papa XIV. Conſt. *Cum ſemper* 19. Aug. 1744. *ibid.*

56. Parochi, Vicarii, aliique omnes, quicumque ſint, ſive Sæculares, vel Regulares, etiam ſpeciali, & individuali mentione digni, congruos habeant redditus, aut non, & non obſtante quacumque conſuetudine in contrarium, licet immemorabili, pro tempore, quo curam animarum exercent, tenentur applicare miſſam pro populo ipſorum curæ commiſſo omnibus diebus feſtivis, licet ſolum de præcepto quoad onus audiendi ſacrum. Benedictus Papa XIV. Conſt. *Cum ſemper* 19. Aug. 1744. *ibid.*

57. Ad celebrandum, & applicandum ſacrificium pro populo diebus feſtivis tenentur œconomi Parochialium vacantium, & Vicarii illi perpetui, vel temporanei, qui actu curam animarum exercent, quæ habitualiter reſidet apud alios ratione alicujus Eccleſiæ Parochialis eorumdem Eccleſiis adnexæ, Monaſteriis, Collegiis, aut locis piis, ita tamen ut Epiſcoporum curæ ſit aſſignationem conſuetam fructuum certorum, & incertorum, quatenus ſufficiens non ſit, congrue adaugere illis, quin principali Eccleſiæ, Monaſteriis, collegiis aut locis piis ullatenus ſuffragari valeat appellatio quælibet, quam attentarent, vel privilegium, aut exemptio, quibus perfruerentur. Bened. Papa XIV. Conſt. *cum ſemper* 19. Aug. 1744. 28

58. Parochi, quorum fructus adeo ſunt tenues, ut quaſi ex miſſarum eleemoſynis vivant, nihilominus tenentur ad applicandum pro populo diebus feſtivis, ab Epiſcopis tamen diſpenſari poterunt, ut recepto ſtipendio iiſdem diebus celebrent, dummodo in Eccleſia Parochiali ad populi commoditatem ſacrum peragant, & infra hebdomadam pro populo tot miſſas celebrent, quot diebus feſtivis pro particularibus celebraverint. Benedictus Papa XIV. Conſt. *Cum ſemper* 19. Aug. 1744. *ibid.*

59. Miſſæ privatæ de defunctis quocumque die dici poſſunt, præterquam in feſtis duplicibus, & Dominicis diebus, juxta præſcriptum Rubricarum. S. R. C. 15. Febr. *in Faventina*, & 28. Febr. 1660. *in Janu.* *ibid.*

60. In diebus, in quibus non poteſt fieri de feſto duplici, prohibentur miſſæ votivæ, & de Requiem. S. R. C. 28. Aug. 1627. *in una Urbis.* *ibid.*

61. Infra octavam SS. Corporis Chriſti prohibentur miſſæ votivæ quæcumque, vel pro Defunctis. S. R. C. approbante Clem. X. 21. Junii 1670. 29

62. Ad augendam fidelium venerationem erga auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, ejuſque cultum in toto terrarum orbe promovendum, prohibuit celebrari miſſas votivas, vel pro Defunctis infra octavam Corporis Chriſti. S. R. C. 15. Sept. 1714. annuente Clem. XI. 29. ejuſdem. *ibid.*

63. Infra octavam Nativitatis Domini prohibentur miſſæ votivæ, vel pro Defunctis. S. R. C. 25. Sept. 1706., & 14. Sept. 1714. annuente Clem. XI. 29. ejuſdem. *ibid.*

64. In vigilia Epiphaniæ dici non poſſunt miſſæ privatæ Defunctorum. S. R. C. 27. Apr. 1697. *in Panormitana.* *ibid.*

65. *In vigilia Epiphaniæ non licet celebrare miſſas privatas de Defunctis.* S. R. C. 26. Junii 1708. *in Pariſien.* *ibid.*

66. *In vigilia Epiphaniæ miſſæ votivæ, & Defunctorum celebrari non poſſunt.* S. R. C. 10. Dec. 1718. *in Æſina.* *ibid.*

67. In

Google

67. *In vigilia Epiphaniæ Domini non poſſunt celebrari miſſæ privatæ de requiem, & votivæ.* S. R. C. 16. Sept. 1730. *in una Ord. Hieroſol.* *ibid.*

68. Omnibus, & ſingulis Sacerdotibus, tam Sæcularibus, quam Regularibus cujuſvis Ordinis, etiam neceſſario exprimendi, diſtricte præcipitur, ut miſſas privatas pro Defunctis, ſeu de requiem, in duplicibus nullatenus celebrare audeant, vel præſumant; quod ſi ex Benefactorum præſcripto Miſſæ hujuſmodi celebrandæ incidant in feſtum duplex, tunc minime transferantur in aliam diem non impeditam, ne dilatio animabus ſuffragia expectantibus detrimento ſit, ſed dicantur de feſto cum applicatione ſacrificii juxta mentem eorumdem Benefactorum; curentque Eccleſiarum Rectores, Sacriſtæ, aliique, ad quos ſpectat, ut hujuſmodi Decretum inviolata ſervetur, atque in Sacriſtia affixum retineatur, ubi commode ab omnibus celebrare volentibus conſpici, & legi poſſit, in eos autem, qui contrafacere auſi fuerint, vel præmiſſa adimplere neglexerint, Locorum Ordinarii tam Sæculares, quam Regulares pro modo culpæ animadvertant. S. R. C. approbante Alex. VII. 5. Aug. 1662. *ibid.*

69. Miſſa pro morte inimicorum tamquam ſuperſtitioſa, & vindicativa ſub pœna privationis communionis proſcripta, & prohibita fuit a Concilio Toletano XVII. can. 5. anno 694. 32

70. Miſſæ pro Defunctis, ſive de requiem in feſtis duplicibus contra præſcriptum Rubricarum Miſſalis Romani nullatenus celebrari debent. Quod ſi ex Benefactorum inſtitutione miſſæ hujuſmodi celebrandæ incidant in feſtum duplex, tunc ne dilatio animabus ſuffragia expectantibus detrimento ſit, in aliam diem non impeditam minime transferantur, ſed dicantur de feſto currenti cum applicatione ſacrificii juxta mentem eorumdem Benefactorum. S. R. C. 15. Sept. 1714. annuente Clem. XI. 29. ejuſdem. 33

71. An miſſa quotidie cantanda, debuerit, & debeat cantari cum aſſiſtentia Diaconi, & Subdiaconi, vel ſolius Acolythi? *Satisfieri voluntati Teſtatorum, cantando miſſas, etiam ſine aſſiſtentia Diaconi, & Subdiaconi* reſpondit Congreg. Concilii 29. Januar. 1684. 34

72. Collectæ pro Defunctis non admittuntur, niſi in miſſis feſtorum ſimplicium, & ferialium. S. R. C. 31. Julii 1665. *in una nullius Provinciæ Treviren.* *ibid.*

73. In miſſa privata de feſto ſemiduplici, ſeu votiva, vel de infra octavam, ſeu de feria non privilegiata, poteſt in penultimo loco dici collecta pro particulari Defuncto, puta *Inclina &c.*, vel *Deus qui nos Patrem &c.* & ſimilia, ſed ob id non eſt omittenda ulla ex collectis pro tempore aſſignatis, puta *A cunctis*, vel *Eccleſiæ*. S. R. C. 2. Decemb. 1684. *in una Canon. Lateranen.* 35

74. Occurrenti commemoratione Sancti ſimplicis in feria ſecunda Quadrageſimæ, quando dictum eſt nocturnum Defunctorum, non debet in miſſa quarto loco dici oratio *Omnipotens ſempiterne Deus, qui vivorum &c.* pro commemoratione Defunctorum, ſed ſufficit tertia oratio *A cunctis*. Quod ſi dicatur quarta *Omnipotens &c.*, quinta erit ad libitum. S. R. C. 4. Maji 1709. *in Piſtorien.* 36

75. Occurrente commemoratione Sancti ſimplicis in feria ſecunda poſt Dominicam Paſſionis, quando dictum eſt nocturnum Defunctorum, in miſſa dicenda eſt ſecunda oratio de ſimplici tantum. S. R. C. 4. Maji 1709. *in Piſtorien.* *ibid.*

76. In anniverſario translate ob feſtum de præcepto non variari debet oratio, *Cujus anniverſarium depoſitionis diem commemoramus*, &c.; ſed recitanda eſt ut in Miſſali. S. R. C. 4. Maji 1686. *in una Canon. Regul. Lateran.* *ibid.*

77. Si anniverſarium anticipetur, & poſtponatur per aliquot dies, poteſt dici miſſa ut in anniverſario. S. R. C. 5. Julii 1698. *in Collen.* *ibid.*

78. In miſſis quotidianis, quæ pro Defunctis celebrantur, poſſunt quidem dici plures orationes, quam tres, ſed curandum, ut ſint numero impares. Sicut pro illa *Deus veniæ largitor* poteſt ſubrogari alia, nempe pro patre, pro matre &c. dummodo ultimo loco dicatur oratio *Fidelium*. S. R. C. 2. Sept. 1741. *ibid.*

79. Miſſæ Defunctorum non poſſunt celebrari, niſi cum colore nigro, vel ſaltem violaceo. S. R. C. 21. Junii 1670. *in Oritana.* 41

80. Sacerdos ſæcularis, ſive Cappellanus, ſive non, qui recitavit officium ſemiduplex, vel ſimplex, vel feriale, illo die celebrans in aliqua Eccleſia Regularium, in qua recitatum eſt ab ipſis Regularibus eadem die officium duplex de non præcepto, prout de aliquo Sancto ſui Ordinis, non poteſt dicere miſſam de requiem. S. R. C. 9. Junii 1668. *in Converſana.* 42

81. Sacerdotes, etiam Regulares, diebus, quibus propria officia recitant ſub ritu duplici, celebrantes in alienis Eccleſiis, quando peragitur feſtum cum ſolemnitate, & concurſu populi, debent celebrare miſſam conformando ſe ritui, & colori earumdem Eccleſiarum. In aliis vero diebus poſſunt, ſed quando prohibentur miſſæ votivæ, vel Defunctorum, debent ſe uniformare, ſaltem quoad colorem *S. R. C.* 11. Julii 1701. *in una tertii Ordinis S. Franciſci.* 43

82. Sacerdotes exteri confluentes ad Eccleſias, etiam Regularium, & celebrantes de Sanctis, etiam Ordinis, quando feſtum celebratur cum ſolemnitate, & concurſu populi, debent in miſſis ſe uniformare cum ſacerdotibus illius Eccleſiæ, etiam Regularibus, quoad *credo* & numerum orationum more duplicium; in aliis vero diebus poſſunt. *S. R.* C. 11. Junii 1701. *in una Tertii Ordinis S. Franciſci.* *ibid.*

83. In Eccleſiis Regularium diebus Dominicis, quibus tam Regulares, quam exteri celebrant de Dominica, poſſunt exteri uti coloribus paramentorum, quibus utuntur Regulares ratione alicujus octavæ; & Regulares celebrantes in alienis Eccleſiis, uti coloribus juxta ritum eorumdem, & tam exteri in Eccleſiis Regularium, quam Regulares in alienis poſſunt apponere commemorationem octavæ ut ſupra occurrentis, ſervata Rubrica de duplici oratione in Dominicis infra octavam. S. R. C. 11. Junii 1701. *in una tertii Ordinis S. Franciſci.* *ibid.*

84. Prohibitio facta 9. Junii 1668. ſacerdotibus ſæcularibus, etiam Cappellanis, qui licet recitaverint officium ſemiduplex, vel ſimplex, vel feriale, ne celebrent miſſam de requiem in Eccleſiis Regularium, in quibus recitatum ſit officium duplex de non præcepto, vel de aliquo Sancto eorumdem ſui Ordinis, intelligi etiam debet pro Eccleſiis Monialium, S. R. C. 11. Februar. 1702. *in Tarviſina.* 44

85. Non poſſunt celebrari miſſæ, etiam pro animabus purgatorii, una hora poſt meridiem. S. R. C. 24. Novemb. 1661. *in Neapol.* *ibid.*

86. Ubi non eſt aurora phyſice, pro licita miſſarum celebratione attendatur ea moraliter, & politice, quando ſcilicet terminari ſolet hominum quies, & inchoari labor, juxta probatam regionum conſuetudinem. S. R. C. 18. Sept. & 2. Nov. 1634. *in una Miſſalis Romani.* 45

87. Nemini licet facere octavam pro defunctis ſine ſpeciali indulto Sedis Apoſtolicæ. S. R. C. 13. Auguſti 1667. *in Romana.* *ibid.*

88. In miſſa conventuali dierum ſolemnium, quæ abſque cantu, & miniſtris celebratur, non eſt facienda thurificatio. S. Rit. Congr. 22. Jan. 1701. *in una Camaldul. Montis Coronæ.* 46

89. Miſſæ S. Gregorii pro vivis, & defunctis impreſſæ, XV. Auxiliatorum, & de Patre Æterno prohibitæ ſunt. S. R. C. 8. Aprilis 1628. *in una Urbis.* 48

90. Triginta miſſæ S. Gregorii pro defunctis non prohibentur. S. R. C. 28. Octobris 1628. *in una Urbis.* *ibid.*

91. Miſſa pro Defunctis celebrata in altari privilegiato non ſuffragatur, nec indulto ſatisfit, niſi ſit de requiem, licet in indulto non exprimatur. S. R. C. 1. Junii 1601. *in Piſtorien.* & 13. Julii ejuſdem anni *in Toletana.* 49

92. In altari pro certis diebus privilegiato, non poteſt dici miſſa de requiem in feſto duplici de præcepto, neque in die Dominico. S. R. C. 24. Aprilis 1627. *in una Galliæ.* *ibid.*

93. Non licet in altari privilegiato dicere miſſam de requiem in diebus, quibus occurrit feſtum primæ vel ſecundæ claſſis non obſtante conſuetudine immemorabili. S. R. C. 25. Sept. 1649. *in Tornacen.* *ibid.*

94. Miſſæ de feſto duplici celebratæ in altari pro animabus in perpetuum privilegiatum, & in quo proinde etiam in duplicibus ſint celebrandæ miſſæ de requiem ex obligatione, ſuffragantur ac ſi celebratæ fuiſſent pro Defunctis juxta formam privilegiorum, ut declaravit Alexander VII. in ſuo Brevi, quod incipit *Creditæ nobis* 22. Januarii 1667. 50

95. Privilegium Alexandri VII. die 22. Januarii 1667. circa miſſas de feſto duplici in altaribus perpetuo privilegiatis celebratas, extenditur etiam ad altaria, non in perpetuum, ſed ad ſeptennium, ſeu aliud brevius, vel longius tempus, ac non omnibus, ſed aliquo, vel aliquibus tantum hebdomadæ diebus privilegiata; ac proinde miſſæ, quæ ibidem de feſto currenti, in quo miſſæ Defunctorum celebrari non poſſunt, ſive ex obligatione, ſive ex ſola Fidelium devotione celebrabuntur, ſuffragantur, ita ut animæ, pro quibus celebratæ fuerint, indulgentias per privilegia hujuſmodi conceſſas, conſequantur in omnibus & per omnia, perinde ac ſi miſſæ Defunctorum ad formam eorumdem privilegiorum celebratæ fuiſſent. S. R. C. 20. Jul. annuente Clem. IX. 13. Aug. 1669. & in ſuo Brevi, quod incipit *Cum felic. record.* 23. Septembris ejuſdem anni confirmatur. *ibid.*

96. Declarationes Alexandri VII. 22. Januarii 1667. & Clementis IX. 23. Septembris 1669. circa miſſas Defunctorum in altari pro animabus purgatorii privilegiato non celebrandas, licet loquantur tantum de feſtis duplicibus, tamen intelligendæ ſunt etiam de diebus Dominicis, & infra octavas Paſchatis Reſurrectionis, Pentecoſtes, Corporis Chriſti, aliiſque anni diebus, quibus, licet a feſto duplici non impediantur, adhuc tamen miſſæ Defunctorum juxta ritum Eccleſiæ celebrari nequeunt, quatenus nimirum miſſæ, quas iiſdem diebus celebrare licitum eſt, ſervata ceteroquin privilegiorum forma, ad altaria privilegiata celebrentur. S. R. C. 3. Aprilis 1678. confirmante Innocentio XI. in Brevi *Alias poſtquam* 4. Maji 1678. & denuo eadem Congr. 15. Sept. 1714. annuente Clement. XI. die 29. ejuſdem. *ibid.*

97. An privilegium in altari privilegiato perpetuo *ad dies non impeditos* ante declarationem Alex. VII. conceſſum, ſuffragetur univerſim etiam diebus impeditis feſto poſt illam declarationem? Reſp. *negative*, S. Indulg. Congr. 16. Julii 1725. *ibid.*

98. Diſcuſſo dubio, an attentis verbis, quæ in Brevibus indulgentiarum apponi ſolent, *præſentibus ad ſeptennium tantum valituris*, ſeptennii initium a die publicationis Brevis deſumendum ſit? S. Cong. Indulg. de die 18. Maji 1711. *non a die publicationis Brevis, ſed a die Datæ Brevis ſeptennis*

tem-

I N D E X.

tempus incipere, reſpondit annuente Clement. XI. die 20. ejuſdem menſis. *ibid.*

99. Claſula poſita in Brevibus indulgentiarum, ſcilicet; *Volumus autem, ut ſi alias chriſtifidelibus dictam Eccleſiam qualibet anni die viſitantibus, aliqua alia indulgentia perpetua, vel ad tempus nondum elapſum duratura, conceſſa fuerit, præſentes litteræ nullæ ſint*, non comprehendit altaria privilegiata pro Defunctis, neque indulgentias certo perſonarum generi conceſſas, ut Confraternitatibus, Regularibus, & Capitulo; aut certum pium opus in Eccleſia peragentibus, ut litanias, aliaſque hujuſmodi orationes recitantibus, nec iis, qui chriſtiana doctrina erudiuntur, vel qui SS. Euharcriſtiæ Sacramenti expoſitioni cum oratione 40. horarum interſunt; neque ſtationum Urbis, & ſeptem altarium indulgentias inſtar ſeptem altarium Baſilicæ Vaticanæ conceſſas, neque demum, quæ pro unica vice conceduntur. Ceterum ſi alia indulgentia, ſeu plenaria, ſeu non plenaria in perpetuum, vel ad tempus tum ab eodem tum ab alio Romano Pontifice generatim Chriſtifidelibus Eccleſiam, vel aliquod ejus alrare, vel cappellam viſitantibus eodem anni die, vel diverſo conceſſa fuerit, de qua non fiat in litteris Apoſtolicis mentio, has litteras ob adjectam clauſulam eſſe prorſus irritas ac nullas declaravit S. Congr. Indulg. 23. Junii 1676. approbante Innoc. XI. die 18. Matii 1677. 51

100. Sub generali indulgentiarum ſuſpenſione, quæ fit anno Sancto, non comprehenduntur altaria privilegiata, nec aliæ indulgentiæ pro ſolis Defunctis conceſſæ. Bened. XIII. die 10. Janu. 1725. *ibid.*

101. Intuitu alicujus altaris privilegiati in aliqua Eccleſia non licet exponere tabellam ſuper januam Eccleſiæ *Indulgenza per li morti*, ſed tantum ſuper ipſo altari privilegiato conſuetis verbis *Altare privilegiatum pro Defunctis*. S. R. C. 13. Aug. 1667. *in Romana*. *ibid.*

102. Cum in indultis altarium privilegiatorum hæc adjici ſoleat clauſula: *Dumodo in dicta Eccleſia tot miſſæ quotidie celebrentur*; quæritur, an attenta dicta clauſula, neceſſaria omnino ſit ſingulis diebus celebratio miſſarum in indultis hujuſmodi præfinitarum, vel potius ſufficiat aliquibus, licet non omnibus diebus cujuslibet hebdomadæ? Sacra autem Congr. Concilii reſpondit *affirmative quoad primam partem, negative quoad ſecundam, ac proinde celebrationem miſſarum in indultis præfatis, ut præfertur, præfinitarum, omnino neceſſariam eſſe ſingulis diebus in eadem Eccleſia*. Ita die 5. Junii 1694. approbante Innoc. XII. die 11. Sept. 52

103. Quæritur 1. an abſentibus Religioſis ex cauſa prædicationis tempore Quadrageſimæ, & Adventus, vel quando occaſione feſtivitatum, vel funerum, aut ſimilium, a ſuperioribus ad celebrandum alibi tranſmittuntur, indulgentiæ conceſſæ cum certo numero miſſarum, qui ob dictas cauſas adimpleri non poteſt, prorſus ceſſent, vel pro eo tempore, quo numerus non fuerit adimpletus, ſint ſuſpenſæ, vel potius remaneant in ſuo robore? 2. An idem ſit ſtatuendum, deficiente dicto numero miſſarum ob infirmitatem ſacerdotum tam Regularium, quam Sæcularium? 3. An pariter ſit ſtatuendum deficiente dicto numero miſſarum ob abſentiam ab Eccleſiis Sæcularibus Canonicorum, & ſacerdotum per aliquot dies, vel menſes? S. autem Congreg. Concilii ad primum reſpondit, *quoad primam partem pro tempore Adventus, & Quadrageſimæ remanere ſuſpenſas, non autem in reliquis, dummodo raro contingat*. Ad ſecundum, *non remanere ſuſpenſas*. Ad tertium, *proviſum in primo*. Ita die 30. Julii 1706. *ibid.*

104. In Collegiata S. Caroli Civitatis Mutinenſis datur altare privilegiatum pro omni feria hebdomadæ, ea lege, ut ſingulis diebus in Eccleſia legantur triginta miſſæ, ſed contingit, quod tempore æſtivo per quatuor menſes vix legantur decem, aut duodecim. E contra aliis octo menſibus numerus ita excreſcit ultra triginta, ut ſi divideretur in omnes dies anni æqualiter, haberentur ſingulis diebus trigintaquatuor miſſæ. Quæritur, an, & pro quo tempore conceſſum privilegium ſuffragetur? Reſp. *ſuffragari pro tempore, quo triginta miſſæ in Eccleſia celebrantur*. S. C. Indulg. 10. Junii 1730. *ibid.*

105. Altare majus Fratrum Minorum Conventualium Montis Fuſculi Diœceſis Beneventanæ habet perpetuum privilegium cum reſtrictiva ad ſacerdotes ejuſdem Eccleſiæ, conceſſum a Gregor. XIII. Cum autem in Brevi habeantur hæc verba, *In Eccleſia duodecim ſacerdotibus ornata*, & nunc tantum exiſtant ſex ſacerdotes; quæritur, an privilegiatum adhuc ſubſiſtat? Reſp. *negative*. S. C. Indulg. 16. Julii 1725. 53

106. In Eccleſiæ B. V. Terræ Fongii Sanctiſſimus conceſſit altare privilegiatum pro duabus feriis hebdomadæ ad ſeptennium ſub duabus conditionibus. 1. Ut in ea Eccleſia quotidie legantur quatuordecim miſſæ 2. Ut ſoli ſacerdotes præfatæ Eccleſiæ illo privilegio uti poſſint. Sed Epiſcopus has indulgentias non publicavit. Interrogatus a S. Congr. reſpondit, ſe credidiſſe, conditiones non verificari, quia miſſæ ibi fundatæ, & Confratrum, & Montium vix aſcendunt ad numerum 3400. ut proin in diem vix referantur decem. Aliæ miſſæ adventitiæ ſacerdotum adventantium ſunt quidem plures, quam quatuordecim, ſe tamen credidiſſe, Pontificem noluiſſe alligare indulgentias eventui accidentali, non ſtabili. Secundo illa Eccleſia non eſt Collegialis, nec Parochialis, nec receptitia; adeoque non videtur habere ſacerdotes proprios, prout in Brevi exprimitur. Quæritur, an nihilominus Epiſcopo injungenda publicatio indulgentiarum? Reſp. *Affirmative*. Sac. Congregat. Indulgent. 25. Sept. 1713. *ibid.*

107. Clem. IX. 1668. 3. Julii per Breve conceſſit Romæ Eccleſiæ S. Andreæ Camaldulenſium Indulg. plenariam in feſto S. Andreæ, & S. Gregorii, & in Dedicatione, & per octavam Defunctorum in perpetuum, applicandam pro Defunctis. 2. Conceſſum eſt a Clem. VIII. privilegium perpetuum ad altare per Cardinalem Salviati conſtructum. 3. A Paulo V. pro privilegiatis declarantur per Breve altare S. Andreæ, & S. Silveriæ. Cum vero Eccleſia renovata deſtructa fuerint altaria, & nova facta, petitur. 1. confirmatio indulgentiæ conceſſæ a Clemente IX. 2. confirmatio privilegii a Clemente VIII. conceſſi. 3. confirmatio privilegii Pauli V. Reſp. ad primum *non indigere confirmatione* Ad 2. *idem*. Ad 3. *itidem confirmatione non indigere*. Ita S. Cong. Indulg. 13. Sept. 1723. 54

108. In Cathedrali Murana erat altare privilegiatum perpetuum, conceſſum a Gregorio XIII. Verum cum 1694. ea per terræmotum paſſa fuerit, alrare fuit alibi in eadem Eccleſia, & ſub eodem titulo B. V. noviter extructum. Quæritur, an nihilominus gaudeat privilegio? Reſp. affirmative. S. Congreg. Indulg. 13. Septem. 1723. *ibid.*

109. Cappuccini in loco Stanz Conſtantienſis Diœceſis diruta quadam Eccleſia, in qua habebatur altare privilegiatum, petunt, pro nova Eccleſia ſimilem gratiam. Reſp. *negative*. Sac. Cong. Indulg. 18. Julii 1712. *ibid.*

110. Tuderti deſtructo Oratorio Sodalitatis S. Mariæ Gratiarum, illud in alio loco reædificatum eſt. Quæritur 1. an indulgentiæ perſeverent in nova Eccleſia? 2. an, & quæ de novo concedendæ? Reſp. *pro gratia translationis indulgentiarum pro confratribus tantum*. S. Cong. Indulg. 16. Febr. 1732. *ibid.*

111. Moniales Monaſterii S. Baſili Civitatis Juſtinopolitanæ obtinuerunt aggregationem ad Baſilicam Lateranenſem, & conſuetam communicationem privilegiorum. Horum intuitu contendunt, non ſolum ſe lucrari poſſe indulgentias ejuſdem Baſilicæ præter indulgentias ſui Ordinis, ſed etiam ſe frui poſſe perpetuo privilegio altaris illius Baſilicæ conceſſo. Petunt declarari, an vi aggregationis ad Baſilicam Lateranenſem conceſſum intelligatur privilegium altaris. Reſp. *negative*. S. Cong. Indulg. 9. Maii 1729. *ibid.*

112. Patres Oratorii S. Philippi Mantuæ exponunt ſuæ Eccleſiæ a Clemente XI. conceſſas eſſe omnes indulgentias, & gratias, quæ ſunt Romæ in Oratorio S. Philippi in Vallicella. Cum vero ibi ſint duo altaria privilegiata, quæritur 1. an in prædicta generali communicatione indulgentiarum, & gratiarum comprehendatur privilegium perpetuum pro duobus altaribus? 2. an ſaltem unum altare privilegiatum quotidianum abſque expreſſione numeri miſſarum? Reſp. ad primum negative. Ad 2. altare privilegiatum ad ſeptennium juxta numerum miſſarum, quæ in Eccleſia oratorum quotidie celebrantur. S. Congr. Indulg. 25. Martii 1725. *ibid.*

113. Campanæ benedictæ non pulſentur, niſi ad uſus, quos recenſet Gloſſa *Extr. quia cunctos de offic. cuſtod.* Congreg. Ep., & Reg. 31. Januarii & 18. Martii 1581. & 29. Julii 1616. 55

114. Campanæ ne pulſentur, ſi non ſint benedictæ, poteſt Epiſcopus prohibere. S. R. C. 5. Julii 1614. *in Apruntina*. *ibid.*

115. De conſenſu Epiſcopi campanæ benedictæ pulſari poſſunt ad uſus profanos, ad quos non ſequuntur cauſæ ſanguinis, & præſertim ſi communitatis expenſis conſtructæ fuerint, quantumvis tale jus non ſibi reſervaſſet. Congr. Ep., & Reg. 31. Januarii 1589. 56

116. Pro pulſatione Campanarum ad præfatos uſus neceſſe non eſt ab Ordinario licentiam petere toties, quoties pulſandæ ſunt, ſed ſufficit eamdem ſemel petere pro ſemper. Congr. Ep. & Reg. 8. Junii 1592. *ibid.*

117. Epiſcopus prohibere non poteſt, ne campanas pro funeribus pulſent ſine licentia ipſius Epiſcopi. Congr. Ep. & Reg. 20. Febr. 1601. *ibid.*

118. Servanda eſt pia conſuetudo pulſandi campanam aliquot ictibus tam de ſero, quam de mane, quando dicendum eſt officium defunctorum. Congr. Ep. & Reg. 21. Aug. 1607. *ibid.*

119. Quoad mercedem campanæ, quæ pulſatur occaſione funerum, ſervanda eſt conſuetudo. Congr. Ep., & Reg. 5. Maji 1617., & 28. Maji 1638. 57

120. Eſt abuſus non tolerandus, quod campana aliqua pro ſolis nobilibus pulſari reſervetur, ſed pulſari debet, pro quibuſcumque petierint. Ead. Congr. 19. Junii 1583. *ibid.*

121. Domi antequam cadaver efferatur, poſſunt hæredes ſuper eo officia recitare facere, cuicumque libuerit. Ead. Congr. 19. Maji 1579. *ibid.*

122. An hæredes defunctorum ſint cogendi ad retinendum domi cadavera uſque ad tempus illa ſepeliendi? An vero iiſdem hæredibus liceat pro libito aſportare dicta cadavera e propriis domibus ad quamcumque aliam Eccleſiam per modum depoſiti, uſque ad horam illa tumulandi, etiamſi eſſent ſepelienda in Eccleſiis Regularium, non obſtante diſſenſu Parochi, ſeu prohibitione ab eodem facta uti Vicario Foraneo? S. R. C. reſpondit: *Petita, & etiam non obtenta licentia, poſſe cadavera deponi arbitrio hæredum in qualibet Eccleſia uſque ad tempus illa proceſſionaliter deferendi ad Eccleſiam ſepulturæ*. Die 22. Junii, & 13. Julii 1675. 58

123. Epiſcopus impediat cum omni diligentia, ac paſtorali ſollici-

licitudine abuſum gentilitatis, quod fœminæ in funere ſuorum liberorum, parentum, aut maritorum capillos vellant. Pœnas autem exigendas ipſe non retineat, ſed apud depoſitarium deponant. Congr. Ep. & Reg. 20. Aprilis 1587. *ibid.*

124. Non tamen imponant pœnam excommunicationis. Ead. Congr. 6. Decemb. 1588. *ibid.*

125. Convivia, & prandia tolerari poſſunt in Anniverſariis defunctorum, ubi eſt conſuetudo, præſertim ſi ita a defuncto cautum fuiſſet in diſpoſitione teſtamentaria, habita ratione pauperum, qui de illis participant, ſed providendum erit, ut abſit exceſſus ſumptuum, & quidquid poteſt eſſe ſcandali. Ead. Congr. 6. Decemb. 1588. 59

126. Partes reſiduæ cereorum, ſeu intortitiorum, quæ a Parochianis in die commemorationis omnium fidelium defunctorum deferuntur in Eccleſiam Parochialem, ibique ſuper ſepulcra, aut altaria durantibus divinis officiis, accenſa permanent, ſpectant ad Parochum, niſi obſtet conſuetudo, aut de contraria mente deferentium conſtet. Ead. Congreg. 26. Jan. 1638. 60

127. In ſecundo triduo majoris hebdomadæ non poſſunt celebrari exequiæ defunctorum, & officium, & preces recitentur privatim. Sacr. Rit. Congr. 11. Auguſti 1736. *in Placentina.* *ibid.*

128. Cadavera in quacumque hora diei deferri poſſunt ad Eccleſiam, de nocte vero nonniſi de licentia Ordinarii. Congr. Concil. 15. Martii 1704. & Clemens XI. 9. Decembris 1704. 61

129. Quoad tempus humationis cadaverum ſervandam eſſe Synodum cenſuit S. R. C. 22. Junii 1675. & iterum 13. Julii ejuſdem anni. *ibid.*

130. Defunctorum corpora in Eccleſiis Regularium tumulanda, deferenda ſunt recto tramite, & per viam a Parocho declarandam ad Eccleſias ipſorum Regularium, non autem prius ad Parochialem. Quod ſervandum erit etiam hæredibus defunctorum contradicentibus, & ad dictam Parochialem prius deferri volentibus. S. R. C. 19. Decembris 1671. *in Savonen.* 62

131. Parochi juriſdictio ſuper cadaver durat, quouſque tranſeat in aliorum juriſdictionem; non tranſit autem cadaver in juriſdictionem Regularium, niſi quando pervenit ad fores eorum Eccleſiæ. Congreg. Concil. 28. Februarii, & 26. Martii 1711., & S. R. C. 2. Septemb. 1741. *ibid.*

132. Cadavera recto tramite ad Eccleſiam deferri debent. Congr. Ep. & Reg. 11. Decembr. 1615. & 14. Jan. 1639. *ibid.*

133. An cadavera defunctorum ſepelienda in Eccleſia Regularium, antequam ad eorum Eccleſiam deferantur, debeant prius aſportari ad Parochialem, & eorum ibidem debeat fieri expoſitio uſque ad horam ſepulturæ? Reſp. negative. Congreg. Concil. 14. Martii 1722. 16. Martii 1726. & 6. Febr. 1734. *ibid.*

134. An cadavera ſepelienda in Eccleſiis Regularium, antequam ad eorum Eccleſiam deferantur, debeant prius aſportari ad Parochialem, & in ea permanere per aliquod tempus. Reſp. negative. S. R. C. 22. Junii & 13. Julii 1675. *ibid.*

135. Hæres defuncti invitare poteſt numerum ſacerdotum, ſeu ſæcularium, ſeu Regularium, immo & confraternitatum ſibi bene viſum. Congr. Ep., & Reg. 5. Maji 1617. 63

136. Ad hæredes, & non ad Parochum ſpectat vocare quot, & quos libuerit. Ead. Congr. 4. Janu. 1594. *ibid.*

137. Numerum Religioſorum, ac electionem Religioſorum pro aſſociandis cadaveribus, ad hæredes defunctorum pro libito voluntatis eorum ſpectare, & pertinere, & ita ubique in poſterum ſervari debere declaravit S. R. C. 4. Janu. 2640. *ibid.*

138. Hæredes defuncti invitare poſſunt numerum ſacerdotum ſæcularium, aut Regularium, immo & Confraternitatum ſibi bene viſum, nec cogi poſſunt ad vocandum Capitulum, vel alios, ſed ſolum Parochum, cui debetur duplum eleemoſynæ illa, quæ datur aliis Sacerdotibus ſimplicibus. Congr. Ep. & Reg. 17. Martii 1579. 11. Octobris 1580. 24. Januarii 1581. 11. Januarii 1647. & 11. Decembris 1649. *ibid.*

139. Hæredes non tenentur vocare, niſi Parochum. Congreg. Ep., & Reg. 28. Septembris 1646. *ibid.*

140. Parochus minime excluditur, licet a defuncto accerſiri tantum Regulares jubeantur. Ead. Congr. 24. Aprilis 1594. *ibid.*

141. Inhiberi non poteſt, quod non ſepeliantur cadavera abſque interventu duorum Presbyterorum a Capitulo deputatorum vice Parochi, etiam ubi Parochia ſpectat ad ipſum Capitulum, quia unius aſſiſtentia ſufficit. Ead. Congr. 16. Martii 1593. *ibid.*

142. Si electio non fiat ab hæredibus, Parochus ad funus poteſt vocare quos voluerit, omiſſis etiam viciníoribus. S. R. C. 7. Septembris 1613. *in Ferrarien.* *ibid.*

143. Quoties electio fit a Parocho, clerici Eccleſiæ debent externis præferri. Congr. Ep., & Reg. 23. Aprilis 1649. *ibid.*

144. Funus comitantes, in Parochiali Eccleſia, vel in alia juxta loci conſuetudinem omnino convenire debent. S. R. C. 8. Februarii 1631. *in Tropien.* *ibid.*

145. Nullo modo permittendum eſt a funus comitantibus Parochum expectari per vias, vel ad domum defuncti; non obſtante contraria conſuetudine expectandi per vias, vel ad domum defuncti. Sacr. Rit. Congr. 12. Februarii 1633. *in Theleſina.* 64

146. An illatis cadaveribus private ab hæredibus ad aliquam tertiam Eccleſiam per modum depoſiti, Regulares convenire, & congregari debeant in dicta tertia Eccleſia, aut in Parochiali ad effectum illa aſſociandi ad Eccleſiam, ubi ſunt tumulanda? Sacra autem Rituum Congregatio inhærendo aliis Decretis reſpondit, Regulares debere congregari in illa Eccleſia tertia, ubi cadaver fuit depoſitum ut ſupra. Die 22. Junii 1675. *in una Ord. Erem. S. Auguſtini*, & iterum 13. Julii 1675. *in una Ord. Minor. Obſerv.* *ibid.*

147. Regulares tenentur accedere ad Eccleſiam Parochialem, & ab hac cum Parocho ad domum defuncti; ſed ſi cadaver depoſitum fuerit in aliqua Eccleſia, ſufficit quod iidem Regulares conveniant in Eccleſiam, ubi cadaver eſt efferendum, & hinc cadaver aſſocient ad Eccleſiam ſepulturæ. Congr. Ep. & Reg. 24. Decembris 1581. 16. Maji 1588. 19. Auguſti 1603. 16. Auguſti 1616. 28. Novembris 1642. & 26. Aprilis 1652. *ibid.*

148. Et id non obſtante quod non adeſt clerus, ſed ſolus Parochus. Ead. Congr. 23. Martii 1646., 29. Maji 1648., & 28. Aprilis 1651. *ibid.*

149. Defunctorum corpora ſi deponantur in Parochiali, ut inde transferantur ad Eccleſiam Regularium, in qua elegerunt ſepulturam, nihil debetur Eccleſiæ Parochiali, exceptis juribus Parochialibus. S. R. C. 23. Martii 1619. *in Placentina.* *ibid.*

150. An liceat Curatis, ſalvis eorum juribus Parochialibus, impedire contra voluntatem hæredum defunctorum, ne Regulares vocati ad funus, corpora defunctorum ad quaſvis Eccleſias deferenda, una cum Parochis, & clericis proceſſionaliter aſſocient? Sacr. Rit. Congr. reſpondit. *Regulares in caſu propoſito non poſſe impediri.* Die 3. Aprilis 1633. approbante Urbano VIII. Die 25. Junii 1633. in Conſt. *Nuper.* 65

151. Parochi, Capellani Confraternitatum, Sacerdotes, aliique Eccleſiaſtici, qui cotta induti interveniunt proceſſionibus funeralibus, deferant, ſicuti in aliis proceſſionibus, birretum ſacerdotale, non vero pileum, excepto tempore pluviæ, & noctis, prout diſponit Rituale Romanum *tit. de Proceſs.*, & ut ſæpe reſolvit S. R. C. quæ quidem pilei prohibitio non ſolum eſt pro Eccleſiaſtico Sæculari, ſed etiam Regulari, licet ſint Parochi cotta induti. Clemens XI. 9. Decemb. 1704. Conſt. *La Santità.* *ibid.*

152. Regulares in proceſſionibus deferre non debent galerum, ſive pileum, non obſtante prætenſo ſolito, & Epiſcopus eos cogat ad deponendum, etiam per cenſuras, prout innovando Decretum anno 1664. ſub die 30. Aug. emanatum, ita ſervari mandavit Sacr. Rit. Congr. 26. Aprilis 1692. *in Aquependien.* *ibid.*

127. Prohibere non poteſt Epiſcopus, ne Regulares in proceſſionibus pileum deferant, Congr. Ep. & Reg. 8. Novemb. 1581. *ibid.*

153. An Archipresbyter aſſociando cadavera ſepelienda in Eccleſia Regularium, teneatur incedere ſub illorum cruce, ſeu potius valeat propriam crucem elevare? Affirmative quoad primam, & negative quoad ſecundam partem reſpondit Sac. Congregatio Concilii 16. Martii 1726. & 29. Januar. 1735. *ibid.*

154. Abuſus ſepeliendi defunctos privatim, ſine lumine, cruce, & Parocho, non eſt permittendus. Congr. Ep., & Reg. 28. Januarii 1650. 66

155. Hæres defuncti pro funere ad ſuum libitum accipere poteſt quantitatem ceræ, Congr. Ep. & Reg. 5. Maji 1617. *ibid.*

156. An Regulares poſſint cogi ad aſſocianda cadavera in eorum Eccleſiis tumulanda; an vero poſſint expectare in propriis eorum Eccleſiis? Sacr. Rit. Congr. reſpondit: *Regulares non poſſe cogi ad exeundum a propriis Eccleſiis, ad effectum aſſociandi Cadavera in eiſdem ſepelienda, ſed ſufficere, quod illa expectent ad januas*, die 22. Junii & 13. Julii 1675. 67

157. Regulares primi debent invitari quando cadaver ſepeliendum eſt in eorum Eccleſia. Congr. Ep. & Reg. 9. Januarii 1595. *ibid.*

157. An Parochus teneatur aſſociare cadavera in Eccleſiis Regularium ſepelienda, uſque ad januas ejuſdem Eccleſiæ etiam ipſis Regularibus non aſſociantibus? Sacr. Rituum Congreg. reſpondit: *Parochum teneri aſſociare cadavera in Eccleſiis Regularium ſepelienda*. Die 22. Junii, & 13. Julii 1675. *ibid.*

158. Nullo modo eſt tolerandus abuſus, quod mortui curru clauſi deferantur ad Eccleſiam. Congr. Ep. & Reg. 17. Martii 1650. *ibid.*

159. Epiſcopus prohibere non poteſt, ne hebdomadarius cotta, ſtolaque utatur cum funeribus, quæ deferuntur ſepelienda ad Eccleſias Regularium. Congr. Ep. & Reg. 13. Junii 1594. 68

160. Hebdomadarius Regularium, ad quorum Eccleſiam cadaver ſepeliendum defertur, etſi in cotta, & ſtola funeri interſit, nec domi, nec in via officium facere poteſt ut Parochus. Congreg. Ep., & Reg. 28. Octob. 1584. *ibid.*

161. An Congregationi Sacerdotum Sæcularium ſub invocatione S. Philippi Nerii in aſſociatione Confratrum Defunctorum

rum competat præcedentia ſupra Regulares? 2. An eidem Congregationi occaſione aſſociatis eorumdem cadaverum liceat elevare propriam crucem? Ad primum, & ſecundum *affirmative* reſpondit. Sacr. Rit. Congr. 19. Auguſti 1719. *in Imolen.* 69

162. Non licet Regularibus levare, & efferre defunctorum corpora, niſi vocato, & expectato defuncti Parocho, eoque ibi intereſſente, ſi tamen ipſe aliter fieri non conſentiat, vel niſi requiſitus venire recuſet. Congr. Ep., & Reg. 12. Januarii 1604. *ibid.*

163. Si Regulares a Parocho, vel clero nimium tardantibus vilipendio afficerentur, Ordinarius debet præſcribere terminum competentem expectandi poſt perventionem, & requiſitionem, quo elapſo levare poſſint funus auctoritate propria. Congr. Ep. & Reg. 8. Octobris 1585. 70

164. Dum Defunctorum cadavera in Eccleſiis Regularium ſepeliuntur, tenetur Parochus funerale ducere, & comitari uſque ad eaſdem Eccleſias Regularium. Congr. Concil. 28. Julii 1591. *ibid.*

166. Sicut non licet Parocho, depoſito feretro ante limina Eccleſiæ Regularium, conſuetas recitare preces ſupra cadaver, ita non poterunt Regulares (etiam rogari a parentibus defuncti, vel a quolibet alio) antequam vere, & realiter ſit cadaver intra limites propriæ juriſdictionis, ſuper illud abſolvere, depoſito feretro in vico, qui actus ad ſummum unice ſpectaret ad Parochum. S. R. C. 2. Sept. 1741. 71

167. Parochis in aſſociatione, ſive occaſione aſſociationis cadaverum non licet ingredi Eccleſias Regularium, ſed tenentur dimittere eadem cadavera ad januam Eccleſiarum, ibique ſolum poſſunt benedicere, & dare ultimum vale. Officia vero, & alia munia, quæ in ejuſmodi miniſteriis adhiberi ſolent, ab ipſis Regularibus peragi debent, non autem a Parochis. Atque ita in præmiſſis omnino deinceps fieri, & exequi præſentium vigore mandat, & præcipit, contrariis quibuſcumque non obſtantibus. Sacr. Congreg. Ep. & Reg. 27. Novembris 1671., accedente ampliſſima approbatione & confirmatione Clem. X. Conſtit. *Nuper* 18. Januarii 1672. *ibid.*

168. Parochi tenentur cadavera ſuorum Parochianorum levare a loco, ubi aſſervantur, & aſſociare uſque ad portam Eccleſiæ Regularium, etiam ipſis Regularibus non aſſociantibus, nec Parochi ſe ingerere poſſunt in faciendo ſuper iiſdem cadaveribus officium in Eccleſiis præfatorum Regularium, ſed ad ipſos Regulares in propria Eccleſia ſpectat, & pertinet. Urbanus VIII. 24. Julii 1641. & S. R. C. 4. Martii 1673., & 27. Januarii 1680. approbante Innocentio XI. 21. Martii 1680. 72

169. An ad Parochum ſpectet facere officium funebre ſuper cadaveribus ſepeliendis in Eccleſiis, & Oratoriis publicis confraternitatum? Reſp. affirmative, quando tumulandus eſt ſubjectus Parocho, intra cujus fines eſt Eccleſia, vel Oratorium. S. R. C. 10. Decemb. 1703. approbante Clem. XI. die 12. Januarii 1704. 73

170. An liceat Confraternitati Salutis ſepelire in propria Eccleſia cadavera Confratrum, & Conſororum, qui ibidem elegerint ſepulturam; & an ejuſdem Cappellanus abſente Parocho valeat officium, aliaſque functiones ſuper iiſdem cadaveribus explere? Sacra Congr. Conc. reſpondit affirmative quoad primam partem, quoad ſecundam negative, niſi Parochus vocatus renuat, vel alium ſacerdotem non ſubſtituat. Die 28. Julii 1724. *ibid.*

171. Conſuetudo benedicendi cadavera ad Eccleſiæ portam, & in funeribus ſervanda eſt. Congr. Ep. & Reg. 8. Novemb. 1647., & 21. Januarii 1650. *ibid.*

172. Pſalmi *Lauda, anima mea, Dominum*, & *De profundis* omittantur in precibus poſt officium in die obitus, & depoſitionis Defuncti. S. R. C. 3. Auguſti 1737. *in Nolana.* 74

173. In miſſis defunctorum non pulſentur organa, nec aliud quodvis muſicum inſtrumentum adhibeatur. Benedictus XIII. in Concilio Romano tit. 15. cap. 6. *ibid.*

174. In depoſitione defunctorum in verbis illis: *Non intres in judicium cum ſervo tuo, Domine, quia nullus apud te juſtificabitur homo*; quando eſt mulier, aut plures ſunt defuncti, non poſſunt verba *ſervo tuo* immutari *in ſerva tua*, vel *ſervis tuis* abſque ſacræ Rubricæ læſione, & ſervandum eſt Rituale. S. R. C. 31. Auguſti 1697. *in Fanen.* 75

175. In exequiis parvulorum in feria V. & VI. & Sabbato majoris hebdomadæ poteſt omitti *Gloria Patri* in pſalmis, qui dicuntur, pro conformitate temporis. S. R. C. 16. Januarii 1677. *in Hiſpalen.* 80

176. Parvulorum ſepulcrum ab aliis debet eſſe ſeparatum. S. R. C. 12. Decembris 1620. *in Civitate Caſtellan.* 81

177. Parvulorum corpora poſſunt ſepeliri, etiam in Eccleſiis Regularium, ſi ibi eſt ſepulcrum majorum, vel concurrente conſuetudine, ſi ibi pater eligat ſepulturam. S. R. C. 12. Decemb. 1620. *in una Civit. Caſtell.* 82

178. An liceat in Eccleſia Confraternitatum habere ſepulcra, & reſpective poſſint cadavera tumulari abſque licentia Parochi, & in præjudicium jurium Parochialium? Sacra Congr. Concil. reſpondit: Licere habere ſepulcra accedente licentia Epiſcopi, & poſſe in eis cadavera tumulari, ſi eligatur ſepultura, abſque licentia Parochi, ſed ſalvis juribus Parochialibus. Die 10. Maji 1727. *ibid.*

179. An in ſepulcro Confraternitatis in propria Eccleſia ſito, ſepeliendi ſint Confratres, qui ſine ſepulturæ electione decedunt? Reſp. negative. Congreg. Concilii 13. Februarii 1666. 83

180. Sepulturam eligere licet parentibus in quacumque Eccleſia voluerint, etiam Regularium, pro eorum filiis minoribus, qui ad annos pubertatis nondum pervenerint, nec a Parochis locorum impediri poſſunt, aut debent, præſertim ſi in dictis Regularium Eccleſiis ſepeliri conſueverint, vel in eis habeant ſepulcrum majorum. Congr. Ep., & Reg. 20. Januarii 1640. *ibid.*

181. Pater poteſt eligere ſepulturam pro filiis impuberibus in vita, non poſt mortem eorum. Congr. Ep., & Reg. 27. Octob. 1587., & 6. Decemb. 1641., ac 6. Junii 1659. *ibid.*

182. An etiam mater, cum Pater non adeſt, poſſit filio impuberi ſepulturam eligere? Reſp. affirmative. Eadem Congr. 13. Septemb. 1603., & 6. Decemb. 1641. *ibid.*

183. Dummodo adſit conſuetudo, vel in Eccleſia electa ſepulcrum majorum. Ead. Congr. 18. Junii 1648., & 2. Junii 1651. *ibid.*

184. Sacra Congr. Reg., & Ep., examinata prius diligenter relatione Epiſcopi, cenſuit licuiſſe, & licere parentibus in Eccleſia Fratrum Minorum Conventualium S. Franciſci eorum filiis minoribus, qui ad annos pubertatis nondum devenere, eligere ſepulturam, ac propterea reſtituenda eſſe ipſorum Fratrum Eccleſiæ cadavera infantium jam depoſita, præmiſſis, ceteriſque quibuſcumque non obſtantibus. Die 20. Martii 1643. 84

185. Exhumetur puella, & ſepeliatur in ſepulcro majorum, in quo ſepeliri debent, quicumque carent facultate ſibi eligendi ſepulturam. Congr. Ep., & Reg. 21. Octob. 1616., & præſertim ſi pater ſic ſepeliri intendat. Eadem Congr. 22. Februarii 1642. *ibid.*

186. Infantes, aliique quicumque, qui non habent facultatem ſibi eligendi ſepulturam, vel hac non electa decedunt, ſunt tumulandi in ſepulcro ſuorum majorum, vel in Parochiali Eccleſia. Congr. Ep., & Reg. 16. Novemb. 1615. *ibid.*

187. Quicumque ſive ſit infans, ſive impubes, ſive adultus, qui ſepultura non electa decedit, ſepeliendus eſt in ſepulcro majorum ſuorum, cum ibi tacite ſepulturam elegiſſe videatur. Ead. Congr. 21. Octobris 1616. *ibid.*

188. Clerici non ſepeliantur in ſepulcro ſuorum majorum, ubi eſt conſuetudo eoſdem ſepeliendi in ſepulcris ſeparatis a laicalibus. Congr. Ep., & Reg. 13. Maji 1650. 85

189. Clericus, qui ſibi non electa ſepultura decedit, ſepeliri debet in ſepulcro majorum, & non clericorum. S. R. C. 6. Maji 1705. *in Senogallien.* *ibid.*

190. Sepultura non electa ſi uxor præmoriatur, & maritus habeat proprium ſepulcrum, in ipſo tumulari debet, quamvis extra limites parochiæ, ubi mortua eſt. S. R. C. 15. Januarii 1633. *in Senogallien.* 86

191. An cum Fratres aliqui extra monaſterium moriuntur, & a Curatis ſacramenta receperunt, poſſint ab eorum ſuperioribus ad ſuas Eccleſias deferri, parochis inconſultis? Reſp. Regulares extra clauſtra decedentes, poſſe ad eorum Eccleſias deferri, etiam parochis inconſultis. Congr. Concilii 2. Julii 1620. *ibid.*

192. Epiſcopo, & Parocho nullum jus ſepulturæ competit ſuper Regularem, etiam extra clauſtra, vel in domo parentum ſuorum defunctum. Congreg. Ep., & Reg. 22. Maji 1615. *ibid.*

193. Clerus ſæcularis nihil poteſt prætendere propter exequias, aut ſepulturam Monachorum, aut Fratrum morientium extra clauſtra. Congr. Ep., & Reg. 24. Novemb. 1634., & 24. Septembris 1636. 87

194. Fratribus Minimis S. Franciſci de Paula, ut iis, qui in ſuis immorantur obſequiis, Sacramenta libere miniſtrare poſſint, & ipſos, cum deceſſerint, in eorum cœmeteriis ſepelire, cujuſvis licentia ſuper hoc minime requiſita, concedit Leo X. die 7. Julii 1513. *ibid.*

195. An in Eccleſiis Fratrum ſepelienda ſint cadavera eorum, qui ejuſdem Ordinis habitu induti, ex hac vita migrarunt? Reſp. ſi conditiones in Bulla aurea fel. rec. Sixti Papæ IV. contentas, in ipſis adimpletas eſſe conſtiterit, videlicet quod a Guardiano Domus loci, in quo tales decedere contigerit, aut ab alio Superiore, vel ab altero, cui id Superior committendum duxerit, habitum receperint, ac prædictus Guardianus, vel alius Superior eoſdem præmonuerit, eorum cadavera propter habitus conceſſionem, ſeu receptionem penes ipſos fratres, quorum habitum geſtant, eſſe ſepelienda; eo caſu cum habitu Religionis decedentes, in Eccleſiis pariter ejuſdem Religionis Eccleſiaſticæ ſepulturæ eſſe tradendos. Congr. Ep., & Reg. 11. Decemb. 1615. *ibid.*

196. Parochi, Superiores Eccleſiarum Sæcularium, & Regularium Sacriſtæ, & alii, ad quos ſpectat, non permittere debent, quod cadavera Eccleſiaſticorum ſæcularium, præſertim Sacerdotum, ſicut etiam Diaconorum, & ſubdiaconorum transferantur ex propriis domibus ad Eccleſias, vel in iſtis exponantur quocumque alio habitu, ſive Confraternitatum, ſive Religionum, ſed cum ſacris veſtibus eorum Ordini convenientibus, juxta diſpoſitionem Ritualis Romani tit. de exequiis. Clemens XI. 9. Decemb. 1705. 88

197. Canonici pluviali, planeta dalmatica, vel tunicella parati, non debent deferre almutias; Canonico vero defuncto induto planeta, ſeu dalmatica, vel tunicella imponi poteſt almutia ſuper brachium. S. R. C. 4. Aug. 1663. *in una Dalmatiarum.* 89

198. Plu-

198. Pileus Epiſcopi demortui debetur Eccleſiæ tumulanti, non Cathedrali. Congr. Ep., & Reg. 26. Apr. 1653. *ibid.*

199. Ut in Eccleſiis nihil indecens relinquatur, iidem (ſcilicet Capitula, Parochi, Rectores, Vicarii, Sacriſtæ, Oſtiarii, & alii Cuſtodes, etiam Regulares) provideant, ut capſæ omnes & depoſita, ſeu alia cadaverum conditoria, ſuper terram exiſtentia, omnino amoveantur, prout alias ſtatutum fuit: & defunctorum corpora in tumbis profundis infra terram collocentur. Pius V. Conſt. *Cum primum Apoſtolatus*, 1. Apr. 1566. *ibid.*

200. Non comprehenduntur monumenta marmorea, muris, ſeu columnis adhærentia, præſertim amotis cadaveribus a locis altis; hæc enim ornamentum potius, & decorem, quam indecentiam, vel impedimentum aliquod afferunt Eccleſiis. Congr. Epiſc. 13. Oct. 1579. *ibid.*

201. Sed capſæ omnes, & alia ſimilia depoſita, licet aureis velleribus contecta, omnino debent amoveri. *Eadem Congr.* 15. *Dec.* 1579. *ibid.*

202. Inſignia, ſive vexilla appoſita io Eccleſiis in ſignum alicujus victoriæ, contra ſanctæ fidei hoſtes obtentæ, in Conſtitutione Piana non comprehendi cenſuit *ead. Congr.* 22. *Martii* 1580. *ibid.*

203. Eccleſiæ non debent fodi, neque excavari pro ſepultura, ſed in ſepulcris, ſive tumbis profundis infra terram Chriſtianorum cadavera ſepeliri. Congr. Ep. & Reg. 23. Julii 1603. *ibid.*

204. Altaria, ſub quorum pradellis cadavera ſunt ſepulta, licet propterea conſecrationem non amittant, debent tamen interdici, donec cadavera in alium deferantur locum. Congr. Ep. & Reg. 10. Nov. 1599. 90

205. Prohiberi non poteſt, quin cadavera intra Eccleſiam ſepeliantur, ſed alia via arcendi ſunt fœtores. Congreg. Ep. & Reg. 3. Febr. & 16. Decemb. 1603. *ibid.*

206. Statutum Communitatis ne cadavera ſepeliantur in Eccleſiis iotra locum, ſeu terram conſtitutis abſque præjudicio emolumentorum Parochi, etſi confirmatum per Cardinalem a latere legatum nullum eſſe declaravit, *eadem Congreg.* 1. *Septemb.* 1603. *ibid.*

207. Tolerari tamen poteſt, quod ii, qui decedunt non electa ſepultura, tumulentur extra mœnia. Ead. Congr. 5., & 27. April. 1603. *ibid.*

208. Non licet Parochis majorem eleemoſynam exigere pro defunctis in Eccleſiis Regularium ſepeliendis, quam eis ſolveretur, ſi in propriis, vel aliis ſæcularium Eccleſiis ſepeliri deberent. Congr. Ep., & Reg. 27. Oct. 1603. 22. Aug. 1642., 2. Octobris 1643. 20. Martii 2647. 27. Janu. 1651. *ibid.*

209. Ordinariis locorum per præſentes committimus, ut provideant omnino, ne diutius abuſus hujuſmodi tolerentur, & decernaot, ne Parochi plus percipere poſſint io ſepulturis, quæ fiunt in Eccleſiis Regularium, quam in eis, quæ fiunt in propriis, ſeu aliorum clericorum. Urb. VIII. Conſt. *Cum ut dilectus* 11. Martii 1638. 92

210. Ceteris paribus non poſſunt Parochi majorem eleemoſynam exigere pro ſepultura forenſium, aut extraneorum, quam incolarum. Congr. Ep., & Reg. 25. Maji 1640., 31. Martii 1646., 20. Junii 1653., & 10. Junii 1654., ac 8. Auguſti 1659. *ibid.*

211. Parochi pauperum cadavera gratis ſepelire tenentur. Congreg. Ep., & Reg. 5. Maji 1617., & 31. Martii 1646. *ibid.*

212. Reſidua illius ceræ, quam aliqua Confraternitas, vel locus Pius impendit de ſuo io ſepeliendis pauperibus gratis, nec a Parocho, nec a quocumque alio prætendi poſſunt, niſi ſubſit fraus aliqua. Congr. Ep., & Reg. 22. Novemb. 1588. 11. Martii 1578., 21. Auguſti 1606. & 15. Martii 1616. *ibid.*

213. Licet hæredibus cadavera defuoctorum ad tumulum aſſociari facere intertotitiis, & candelis extinctis, offerendis Confraternitatibus pro aſſociatione SS. Sacramenti, aut pauperum ad ſepulturam, dummodo eorumdem cereorum ſaltem duplum accenſum deferatur, unde ſi extinctis deferuntur duo, ex accenſis ſaltem debent eſſe quatuor. Congr. Ep., & Reg. 14. Octobris 1598. *ibid.*

214. Servanda eſt conſuetudo circa candelas, quas prætendit Abbas, dum impeditus ad funera mittit crucem Eccleſiæ ſuæ, donec aliter declaretur. Ead. Congr. 19. Aprilis 1641. *ibid.*

215. Si quis ſepultus fuerit extra Eccleſiam, io qua debebat ſepeliri, ſunt reſtituenda omnia emolumenta occaſione ejus ſepulturæ percepta, & etiam ipſum cadaver, ſi petatur. Ead. Congr. 29. Novembris 1622. 93

216. Maxime ſi fuerit ſepultus in loco, vel capſa ſeparata, & ejus contemplatione relictum fuerit annuum legatum Eccleſiæ ſepulturæ. Ead. Congr. 15. Februarii 1593., 13. Julii 1618., & 5. Julii 1647. *ibid.*

217. Non tamen convenit reſtitui, ſi fuiſſet ſepultus a multo tempore, & maxime ſi cum aliis corporibus, unde difficulter poſſint ejuſdem oſſa diſcerni: quo caſu ſola funeralia reſtituuntur, cum declaratione, quod cadaver ſpectabat ad talem Eccleſiam. Ead. Congr. 19. Junii 1601., 7. Decembris 1604., 12. Junii 1654., & 30. Aprilis 1655. *ibid.*

218. Reſtituendum eſſe cadaver Eccleſiæ, in qua defunctus ſepulturam elegerat, una cum emolumentis, quarta deducta cenſuit. Sacra Congregatio Epiſcopi, & Reg. 1. Februarii, & 31. Maji 1647., 5. Februarii 1649., 14. Januarii, & 1. Aprilis 1650., ac 22. Septembris 1657. *ibid.*

219. Cadaver, quod alicubi poſitum non eſt per modum depoſiti, ſed traditum eſt perpetuæ ſepulturæ, exhumari non licet, nec alio aſportari, niſi de licentia Ordinarii. Congreg. Ep. & Reg. 28. Januarii 1603. *ibid.*

220. Cadavera alicubi tumulata per modum depoſiti, abſque ullius venia ad ſuam ſepulturam transferri queunt. Ead. Congr. 16. Octobris 1602. *ibid.*

221. Tranſlatio cadaverum de partium conſenſu, juſtaque de cauſa, ac ſine ſolemnitate fieri debet. Congr. Ep., & Reg. 4. Auguſti 1597., & 2. Auguſti 1658. *ibid.*

222. Pro tranſlatione cadaverum de uno in alium locum, nullam deberi gabellam declaravit Sacr. Congr. Immunit. 10. Junii 1613. *ibid.*

223. Exhumari nequeunt cadavera ſine licentia Sacræ Congreg. pro recognitione facienda a curia ſæculari. Eadem Congreg. 17. Decembris 1602. 94

224. Quam facultatem etiam tradere poteſt Epiſcopus, tametſi Eccleſia eſſet Regularium. Sacr. Congr. Immun. 8. Auguſti 1645. *ibid.*

225. Defunctorum cadavera non poſſunt vulgo arreſtari, ſeu ſequeſtrari ob debita civilia, quibus gravantur, etiam erga Menſam, nec eadem de cauſa poteſt differri eorumdem ſepultura, ſed prius cadavera ſepelienda ſunt, & poſtea debitum medio jure petendum, cum chriſtiana pietas non patiatur propter intereſſe pecuniarium remanere inſepulta cadavera. Congr. Ep. & Reg. 14. Auguſti 1590., 20. Octobris 1592. & 23. Auguſti 1652. *ibid.*

226. Quia ſævire in mortuos feritas eſt plus quam barbara a jure ipſo civili proſcripta. Ead. Congr. 20. Decemb. 1580., 9. Julii 1581., 18. Decemb. 1601., 16. Novemb. 1640. & 19. Aprilis 1641. *ibid.*

227. Sepultura mortuorum nullo prætextu retardari, aut impediri debet, etiam compoſitionis, aut quartæ funeralis cauſa. S. R. C. 15. Martii 1704. *in Novarien.* *ibid.*

228. In Eccleſiis Regularium ſine horum conſenſu oon poteſt quis ſepeliri, niſi ſit propria defuncti Parochialis, licet ibi ſepulturam elegiſſet, aut ad rem donationem, vel legatum feciſſet. Congr. Ep. & Reg. 2. Junii 1587. *ibid.*

229. Non licere Curatis ſepelire cadavera defunctorum, neque officia in Eccleſiis facere Regularium abſque expreſſa licentia ſuperioris Eccleſiarum ipſorum Regularium, non obſtante contraria conſuetudine cenſuit S. R. C. 19. Julii 1636. *ibid.*

230. Supra ſepulchri tabulam pro libito ornamenta plana quælibet hæredes efformare valent, dummodo e ſolo non emineant, & abſint coronæ vulgo *Cornice*. Congr. Ep. & Reg. 26. Maji, & 6. Octobris 1645. *ibid.*

231. Nec ab Ordinariis locorum impediri poſſunt. Ead. Congr. 9. Septemb. 6. Octobris 15. Decembris 1645., & 11. Maji 1646. *ibid.*

232. Univerſi Religioſi, & Sæculares Clerici, cujuſcumque ſtatus, vel conditionis exiſtant, qui aliquos ad vovendum, jurandum, vel fide interpoſita, ſeu alias promittendum inducunt, ut apud eorum Eccleſias ſepulturam eligant, vel jam electam ulterius non immutent, ſententiam ex communicationis ipſo facto incurrunt, ab alio, quam a Sede Apoſtolica (præterquam in mortis articulo) nullatenus abſolvendi. Bonifacius VIII. *Cap.* 1. *De Sepult. in 6.*, & Clemens V. in Clem. *Cupientes* de pœnis. 95

233. Electio ſepulturæ ex inductione ut ſupra habita, nullius adeo eſt firmitatis, ut hi, qui ſic elegerint, nec apud ſic electas Eccleſias ullatenus ſepeliri, nec alibi poſſint eligere ſepulturam, ſed ſepeliendi omnino ſunt apud illas Eccleſias, apud quas ſepeliendi de jure fuiſſent, ſi alias ſepultura non electa forſitan deceſſiſſent. Bonifacius VIII. *cap.* 1. *de ſepult. in 6.* *ibid.*

234. Si vero iidem Religioſi, vel Clerici prædictos io ſuis Eccleſiis, vel Cœmeteriis præſumpſerint ſepelire, ad reſtitutionem tam ſepultorum corporum (ſi petatur) quam etiam omnium, quæ occaſione ſepulturæ illorum pervenerint quomodolibet ab eoſdem, infra decennium integraliter faciendam, ipſos obligatos eſſe cenſemus. Quam niſi fecerint, Eccleſiæ ipſæ, apud quas ſepulti fuerint, necnon & Cœmeteria earumdem, ex tunc eo ipſo ſiot, & tamdiu maneant Eccleſiaſtico ſuppoſita interdicto, donec ab eis facta fuerit reſtitutio plenaria omnium prædictorum. Idem Bonifacius VIII. *in cit. Conſtit.* 96

235. Num illi, qui coram teſtibus dumtaxat, licet abſque ſcriptura, in Regularium Eccleſiis ſepulturam ſibi elegerint, ibidem ſint ſepeliendi? Sacr. Congr. Ep., & Reg. reſpondit, *in dictis Eccleſiis eſſe ſepeliendos, ſine præjudicio tamen jurium Parochialium.* Die 11. Decemb. 1615. *ibid.*

236. Electio ſepulturæ ſufficienter probatur per duos teſtes fide dignos. Ead. Congr. 28. Auguſti 1598. *ibid.*

237. Conſanguinei defunctorum, qui in Eccleſiis Regularium ſepeliuntur, illis parentare io Parochialibus, & aliis Presbyterorum Eccleſiis, etiam Cathedralibus, compelli nullo modo poſſunt. Congr. Ep., & Reg. 14. Januarii 1639., cujus Decretum approbavit Alex. VII. in ſua Conſtit. *Alias pro parte* ſub datum 30. Aprilis 1660. 97

238. An curati poſſint cogere hæredes, ſeu executores teſtamentarios, ut pro defunctis, qui tumulantur in Eccleſiis Regularium io Eccleſiis etiam Parochialibus celebrari faciant officia, novenalia, & anniverſalia prout celebrantur in Eccleſiis Regularium, in quibus cadavera ſepeliuntur? S. R. C. reſpon-

reſpondit; non poſſe cogere. Die 23. Aptilis 1633. approbaote Urb. VIII. die 25. Junii 1633. *ibid.*

239. Damnati ad mortem ſepeliri non debent in Eccleſia magnæ devotionis, ſi inde populus concipit horrorem, & occaſionem Eccleſiæ minus frequentandæ. Congr. Ep., & Reg. 17. Martii 1759. *ibid.*

240. In Exequiis poſt abſolutionem, quæ fit ſupra cadaver in die obitus, vel ſupra tumulum in die anniverſario dicto ℣. *Requieſcant in pace* ſubjungi debet: *Anima ejus, & animæ omnium fidelium defunctorum per miſericordiam Dei requieſcant in pace*; ſed ſuper lecticam, ſeu caſtrum doloris in commemoratione omnium fidelium defunctorum nihil eſt ſuperaddendum. S. R. C. 2. Decemb. 168a. *in una Canon. Regul. Lateran.* 98

241. In abſolutione in die commemorationis omnium fidelium defunctorum oon eſt dicenda tota conclufio in oratione. S. R. C. 5. Julii 1698. *in Collen.* 99

242. Ubi ex diſpoſitione Teſtatorum ſingulis diebus canendum eſt in Eccleſia reſponſorium pro defunctis, poteſt quotidie decantari, exceptis feſtis 1. & 2. claſſis, & octavis privilegiatis, necnon tota hebdomada majori; in prædictis autem feſtis 1. & 2. claſſis, & octavis privilegiatis, ac majori hebdomada, ne pia Teſtatorum voluntas defraudetur, reſponſorium prædictum recitetur privatim in choro, abſolutis horis canonicis. S. R. C. 8. Julii 1741. 100

243. Approbatur, & conceditur pro Eccleſia univerſali miſſa nova ad poſtulandam gratiam bene moriendi, ponenda io Miſſali poſt Miſſam *Pro remiſſione peccatorum*, & in Rubricis generalibus *in tit. de coloribus paramentorum* ſub colore violaceo; ac præterea io Gradualibus ad cantum chori in eodem cantu, & tono, qui io antiquis habetur feria IV. Dominicæ primæ, & Sabbato Dominicæ tertiæ in Quadrageſima, & in Dominicis IV. VI. XVI. XX. & XXI. poſt Pentecoſten. S. R. C. 20. Martii 1706. approbante Clem. XI. die 27. ejuſdem menſis, & anni. 101

244. In Litaniis Sanctorum pro diverſitate functionum, & temporum aſſignatis, & in illis pro commendatione animarum, poſt nomen S. Joannis Baptiſtæ ſtatim adjungi debet illud S. Joſephi, dicendo. *Sancte Joſeph ora pro omnis. Omnes Sancti Patriarchæ &c.* Benedictus XIII. 19. Decemb. 1726. *in Decreto Urbis, & Orbis.* 102

245. Sixtus V., in Bulla *Reddituri* 11. Julii 1587. univerſis Chriſtifidelibus, qui SS. nomen Jeſus, aut Mariæ devote invocaverint, indulgentiam viginti quinque dierum conceſſit; iis vero, qui præfata agere conſueverint, ſi in articulo mortis conſtituti, & ore, vel ſi non potueriot, ſaltem corde ſanctiſſimum nomen Jeſus, & Mariæ invocaverint, inſuper indulgentiam plenariam adjecit. Quas indulgentias Apoſtolica auctoritate confirmavit Benedictus XIII. in ſuo Brevi 12. Januarii 1728. 105

CAPUT PRIMUM.

De Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum.

I. ANimas Defunctorum in Chriſto precibus adjuvari viventium, catholica profitetur Eccleſia, cujus traditio, ſemperque cuſtodita conſuetudo D. P. Auguſtino teſte *lib. de cura pro mortuis cap.* 1. tantæ eſt auctoritatis, ut hæc una ſatis eſſet pro vindicandis Defunctorum commemorationibus, precibus, & ſacrificiis, quamvis nihil hujuſmodi in divinis ſcripturis legeretur. Tanti Patris perbellum lubet tranſcribere teſtimonium, in quo *ſerm.* 172. *num.* 3. nedum excuſantur, quæ minus conſona eſſe videntur, ſcilicet conſolabiles viventium lacrymæ, ſanabiles ſuper ſuorum amiſſione querelæ, & fraterna obſequia, aliaque poſtremi erga ſuos officia muneris, & humani lenimenta mœroris, laudatur cura ſepulcra conſtruendi, & ſepeliendi mortuorum corpora, quin etiam impenſius commendantur orationes, ſacrificia, & eleemoſynæ, quibus eorundem adjuvantur ſpiritus. *Permittantur itaque pia corda carorum de ſuorum mortibus contriſtari dolore ſanabili, & conſolabiles lacrymas fundant conditione mortali, quas cito reprimat fidei gaudium, qua creduntur fideles, quando moriuntur, paululum a nobis abire, & ad meliora tranſire. Conſolentur eos etiam fraterna obſequia, ſive quæ funeribus exhibentur, ſive quæ dolentibus adhibentur, ne ſit juſta querela dicentium* Pſal. 68. 21. Suſtinui, qui ſimul contriſtaretur, & non fuit, & conſolantes non inveni: *Sit pro viribus cura ſepeliendi, & ſepulcra conſtruendi, quia & hæc in ſcripturis ſanctis inter bona opera deputata ſunt, nec ſolum in corporibus Patriarcharum, aliorumque Sanctorum, & humanis cadaveribus quorumcumque jacentium, verum etiam in ipſius Domini corpore prædicati, atque collaudati ſunt, qui iſta fecerunt. Impleant hæc homines erga ſuos officia poſtremi muneris, & ſui lenimenta mœroris. Verum illa, quæ adjuvant ſpiritus Defunctorum, oblationes, orationes, erogationes multo pro eis obſervantius, inſtantius, abundantius impendant, qui ſuos carne, non ſpiritu mortuos, non ſolum carnaliter, ſed etiam ſpiritaliter amant.*

II. *Sed cum hæc ita ſint* (diluit Sanctus Doctor lib. 1. de cura pro mortuis, quæ in contrarium facere poſſunt) *quomodo huic opinioni contrarium non ſit, quod dicit Apoſtolus* 2. cor. 5. 10. Omnes enim aſtabimus ante Tribunal Chriſti, ut ferat unuſquiſque ſecundum ea, quæ per corpus geſſit, ſive bonum, ſive malum, *non te ſatis videre ſignificas. Hæc quidem ſententia Apoſtolica ante mortem admonet fieri, quod poſſit prodeſſe poſt mortem, non tunc, quando jam recipiendum eſt, quod quiſque geſſerit ante mortem. Verum hæc ita ſolvitur quæſtio, quoniam quodam vitæ genere acquiritur, dum in hoc corpore vivitur, ut aliquid adjuvent iſta defunctos, ac per hoc ſecundum ea, quæ per corpus geſſerunt, eis, quæ poſt corpus religioſe pro illis facta fuerint, adjuvantur. Sunt enim, quos nihil omnino adjuvant iſta, ſive pro eis fiant, quorum tam mala ſunt merita, ut neque talibus digni ſint adjuvari, ſive pro eis, quorum tam bona, ut talibus non indigeant adjumentis. Genere igitur vitæ, quod geſſit quiſque per corpus, efficitur, ut proſint, vel non proſint, quæcumque pro illo pie fiunt, cum reliquerit corpus. Nam meritum, per quod iſta proſint, ſi nullum comparatum eſt in hac vita, fruſtra quæritur poſt hanc vitam.*

III. Etſi vero non Defunctis omnibus, ſed ſolum iis, qui leviorum criminum labe deceſſerunt infecti, proſint orationes noſtræ, adhuc Eccleſiam, quia quinam hi ſint, haudquaquam diſcernit, merito pro omnibus orare, & ſacra facere, *ibidem cap. ult.* teſtatur Sanctus Antiſtes: *Sed quia non diſcernimus, qui ſint, oportet ea pro regeneratis omnibus facere, ut nullus prætermittatur eorum, ad quos hæc beneficia poſſint, & debeant pervenire. Melius enim ſupererunt iſta, quibus nec obſunt, quam eis deerunt, quibus proſunt.* Ad rem digna profecto, quæ recolatur, eſt tota quæſtio ſecunda Doctoris tam inclyti *de octo Dulcitii quæſtionibus*, quam ita concludit, nobis ſimul inſinuans, ad quid deſerviant preces noſtræ, cum pro iis, quibus proſunt, aut non proſunt, offeruntur: *Cum ergo ſacrificia, ſive altaris, ſive quarumcumque eleemoſynarum pro baptizatis Defunctis, omnibus offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones ſunt, pro non valde malis propitiationes ſunt, pro valde malis, etiamſi nulla ſunt adjumenta mortuorum, qualeſcumque vivorum conſolationes ſunt. Quibus autem proſunt, aut ad hoc proſunt, ut ſit plena remiſſio, aut certe, ut tolerabilior fiat ipſa damnatio.*

IV. Verum licet Eccleſiæ coæva deprehendantur ſacrificia, aliaque pia opera pro Defunctis generatim, & ſpeciatim oblata, minime tamen comperitur, ſtatum aliquem tunc præſtitutum fuiſſe diem, quo fidelium defunctorum omnium commemoratio ageretur, in eoque præ ceteris effunderentur preces, ac ſacrificia fierent. Fertur omnium primus Sanctus Odilo Cluniacenſis Abbas ritum hunc anno 998. in ſua cœnobia invexiſſe, ſcribit namque Petrus Damiani: *Venerabilis Pater Odilo per omnia monaſteria ſua conſtituit generale Decretum, ut ſicut prima die Novembris juxta univerſalis Eccleſiæ regulam omnium Sanctorum ſolemnitas agitur, ita ſequenti die in pſalmis, & eleemoſynis, & præcipue Miſſarum ſolemniis, omnium in Chriſto quieſcentium memoria celebretur.* Laudabilem hunc ritum ſummos æmulatos Pontifices, in univerſalem invexiſſe Eccleſiam, communius cenſent Auctores, quos inter Gavantus *ſect.* 7. *cap.* 13. *num.* 2., Meratus *ibidem*, Thomaſſinus *de dier. feſt. celebr. lib.* 2. *cap.* 21. *num.* 8., Guyetus *lib.* 4. *cap.* 23. *quæſt.* 2. Baillet. *in vita S. Odilonis*, & ex antiquioribus Baronius *in not. in martyr. ad diem* 2. *Novemb.*, quibus noviſſime acceſſiſſe videtur Benedictus Papa XIV. *annot. tom.* 2. *par.* 3. *numer.* 143., licet perinſignes Auctores hi duo eamdem reapſe Odilone antiquiorem faciant, quod ejuſdem meminerit *lib. de ord. Antiph.* Fortunatus Amalarius ducentis ferme annis prædicto Odilone vetuſtior. Scribit hic namque: *Poſt Officium Sanctorum inſerui Officium pro mortuis; multi enim tranſierunt de præſenti ſæculo, qui non illico Sanctis conjunguntur, pro quibus ſolito more Officium agitur*: ea enim verba *ſolito more* commemorationem, ſeu Officium prædictum præcedenter in uſu fuiſſe, luculenter videntur oſtendere.

V. At ſcite Guyetus ponderat, quod non ſcribit Amalarius *Poſt Officium Sanctorum*, ut illi legunt, ſed *poſt Officia Sanctorum*, per quæ verba ſignificatur quidem uſus Officii Defunctorum in ſuo Antiphonario inſerti poſt officia propria, & communia Sanctorum, quo loco & habetur in noſtris Breviariis, non autem dicti Officii poſtridie feſti omnium Sanctorum, cum nullatenus ibi de hoc feſto agatur, ſed de Officiis dicendis in feſtis Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum &c., ut patet ex præcedenti cap. 54., cujus titulus eſt *de reſponſoriis communibus Sanctorum*. Ratio tamen adducta, *multi enim tranſeunt &c.* efficere facile potuit, ut inſtituta poſtmodum præfata commemoratione, dies 2. Novembris ipſi decerneretur.

VI. Sunt & qui Bonifacio IV, uti feſti omnium Sanctorum, ita ſubſequentis Defunctorum commemorationis inſtitutionem tribuunt, ſed cum ex illius inſtitutione prorſus invalide hujus inſtitutio eruatur, hujuſmodi opinionem ultroneam, & gratuitam magis eo dicerem. Ad Auguſtini uſque referri poſſet tempora, quod *lib. de cura pro mortuis cap.* 4. ſcribat: *Non ſunt prætermittendæ ſupplicationes pro ſpiritibus mortuorum, quas faciendas pro omnibus in chriſtiana, & catholica ſocietate defunctis, etiam tacitis nominibus quorumcumque, ſub generali commemoratione ſuſcepit Eccleſia, ut quibus ad iſta deſunt parentes, aut filii, aut quicumque cognati, vel amici, ab una eis exhibeantur pia matre communi.* Attamen Auguſtinus communiter exponitur de precibus, & ſacris ab

Eccleſia operari ſolitis pro omnibus etiam Defunctis generatim, oeminem in ejus ſocietata mortuum rejiciendo; quod toto cælo diſtat a ſtata, & ſolemni commemorationa omnium Fidelium Defunctorum, quamvis iiſdem nitatur argumentis. Nam cum preces, & ſacra pro mortuis tam ſingillatim, quam generatim inſtituta ſorent, & in quibuslibet liturgiis Defunctorum univerſim memoria recoleretur, ecquiſnam dubitaverit, quin jore ſtatus dies præſtitutus ſit, ut hæc chriſtianæ ſocietatis officia conſulto, & majori pietatis ſtudio exercerentur? Hoc item habet ſolemnis Commemoratio Defunctorum, ut noſtram torpentem pietatem excitet, & nos admoneat officii noſtri, ut eorum & ea die recordemur, & diebus reliquis in ſtudia eos precibus, ſacriſque magis adjuvandi nervum omnem intendamus. Quæ celebritas, cum potior ſit, & generalior, quæ de Defunctis agitur, priorem utique & noſtram expoſcebat conſiderationem.

DECRETUM PRIMUM.

Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum non eſt celebranda, nec facienda in die Dominico, ſed transferri debet in feriam ſecundam ſequentem. S. R. C. 24. Sept. 1605. *in Auguſtan.*

I. PUgnat admodum cum celebritate, lætitia, ac myſteriis per diem Dominicum repræſentantis præfatæ commemorationis celebratio. Celebritatem, & lætitiam æque obſcurat, & minuit, immo magis luctuoſum hocce Officium, quam jejunii obſervatio, aut genuum flexio; quorum utrumque tamen die Dominico interdictum Concilia, & Patres proclamant, & habetur *cap. Quoniam, extra de feriis*. Myſteriorum vero cum præcipuum ſit, ac maximum reſurrectio tum Chriſti jam facta, tum noſtra futura aliquando in renovatione ſæculi, nihil utriuſque hujus reſurrectionis ſigno diſcrepantius, quam ipſa mortis effigies in commemoratione Defunctorum omnium graphice exarata, & ad vivum expreſſa; unde ob id etiam lex eſt, ut anniverſaria, aliaque Defunctorum officia in die Dominico minime celebrentur, exceptis ſolis exequiis ad præſentiam corporis inſepulti; quod neceſſitatis eſt. Quam utique legem adhuc ſatius fuit ſervari in commemoratione prædicta, quia nulla peculiaris urget neceſſitas, & abſque ullo incommodo transferri poteſt in feriam ſequentem, quemadmodum præſens mandat Decretum, diſerte præſcribit Rubrica in Breviario Romano poſita, quibus Gavantus, & Guyetus *loc. cit.* addunt Decretum Urbani VI., nos vero Decretum quartum capitis.

II. Quæ cum ferme eadem militent occurrente feſto de præcepto quoad forum, ad hunc etiam caſum Decretum extende, ita ut commemoratio prædicta transferenda ſit in diem tertiam, vel adhuc quartam, ſi præcedentes per feſta de præcepto, & diem Dominicam ſint impeditæ. Ad rem faciunt apprime Decreta, quæ incidentia anniverſaria non minus depellunt e diebus feſtivis, ac Dominicis, & in terminis id edocent Gavantus *ſect. 7. cap. 13. num. 2.*, Guyetus *lib. 4. cap. 23. quæſt. 2.*, & Victorius Novellarienſis *in Synopſi pag.* 198. Non deſunt tamen, eodem Guyeto teſte, Eccleſiarum particularium uſus plurimi, ut Pariſienſis, Meldenſis, & Andegavenſis, præfatam commemorationem in diebus Dominicis, & feſtivis retinentes, quos fortaſſe jus Breviarii proprium, & certe præſcripta conſuetudo facit legitimos; a Romanis tamen, etſi inibi commorentur, minime ſequendos, cum iiſdem fas eſſe non poſſit, a propriis abſcedere legibus, ut eas locorum ſequantur, ſicuti in ſimilibus lata traditum fuit *in tom. 1. cap.* 40. *Decr.* 10.

DECRETUM SECUNDUM.

In Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum poteſt fieri Officium de feſto duplici minori, ſed Miſſæ ſunt celebrandæ de Requiem. S. R. C. 5. Octobris 1686. *in una Urbis.*

I. LEgit Meratus in Miſſalis indice *num.* 488. *In die commemorationis omnium Fidelium Defunctorum poteſt fieri Officium de feſto duplici minori, etiam translato, ſed Miſſæ privatæ ſunt celebrandæ de Requiem.* In duobus hæc lectio diſcrepat a priori, nempe quod feſto duplici minori addit *etiam translato*, & ubi illa ſimpliciter habet *ſed Miſſæ*, hæc adjicit *privatæ*. Quoad Miſſas Decreta ſequentia docebunt, etiam feſtum duplex minus translatum comprehendi in præſenti Decreto, quod ceteroquin, dum feſtum duplex minus abſolute dicit, a ſua diſpoſitione etiam translatum minime excludit, quin potius claudit, cum feſtum duplex minus abſtrahat ab occurrenti, & translato.

II. Commemorationis Officium non eſt diei canonicum, ut canonicum aliud debeat expellere, quare & in Breviario ſtat una cum Officio canonico diei infra octavam omnium Sanctorum; quidni igitur & cum officio canonico duplici minori? Si dicas, quod mutuam ſibi perturbationem ingerunt, quatenus ſi Miſſa dicitur de feſto, abripitur commemorationi, & ſi de commemoratione, abripitur feſto, unde neceſſe foret, alterutrum incongrue, & diminute celebrari; nonne eadem die ex Eccleſiæ mandato miſſæ dicuntur abſque incongruentia de Requiem, cum juxta Rubricas generales diei infra octavam deberentur?

III. Quæ dubitandi fuerunt cauſæ, magis obſunt fortaſſe, nimirum lætitia, & ſolemnitas feſti duplicis, quam in diebus feſtivis lædi, & perturbari a præfato luctuoſo officio dicebamus, & ejuſdem præ ſemiduplici privilegium excludendi Miſſas de Requiem, quibus conſequenter minus apte ut minimum ſpoliata veniret commemoratio Defunctorum, & quatenus ex feſti applicarentur pro Defunctis, his eædem minus forent proficuæ. Verum cum dies 2. Novembris Defunctorum ſuffragiis ab univerſa Eccleſia ſit ſpecialiter conſecrata, peculiarique ſolemnitate, & duplici officio exculta, ob feſtum ſemiduplex, vel duplex minus, quod vel nullius, aut minimæ eſt ſolemnitatis, & certe non tantæ, quantæ eſt præfata commemoratio, hanc Congregatio diminuta, & ſine congruentibus Miſſis, fortaſſe Defunctis etiam magis proficuis, celebrandam minime cenſuit, ſed potius eſſe diſpenſandum pro hoc particulari caſo ſuper Rubricis, & Decretis in feſto duplici miſſas de Requiem inhibentibus, quemadmodum jam eadem die ex Eccleſiæ inſtituto abripiuntur diei infra octavam, cui juxta Rubricas conveniret eſſe conformes, ut de Requiem celebrentur. Qua ſola diſpenſatione conſulitur Rubricis admittentibus infra octavam duplex occurrens, & translatum, non abrumpitur convenientia cum reliqua Eccleſia in celebratione hujuſce communis celebritatis, & modo valde appoſito debitus ſervatur præferentiæ ordo.

IV. Hæc dicta ſunto etiam pro die 3., aut 4. Novembris, quando in alterutram prædicta commemoratio transfertur; eamdem ſiquidem tamquam propriam ſedem ſtatim occupat, & in ea penſatur ut occurrens, adeoque cum privilegiis omnibus, quibus in propria die donatur. Opinionem hujuſmodi Gavanto ſtetiſſe, quod *ſect. 7. cap. 13. num.* 2. præcedentibus diebus impeditis, die 4., in qua occurrit feſtum duplex minus S. Caroli Borromæi, prædictam commemorationem collocet, communiter Auctores eruunt, ſed tamen perperam; tempore quippe, quo ille commentaria exaravit, feſtum S. Caroli ritu dumtaxat ſemiduplici gaudebat, ad duplicem minorem poſtmodum per Alexandrum VII. evectum. Niſi tamen Gavanti, hæc fuit ſententia Victorii Novellarienſis *in Synopſi pag.* 198., & Pittoni *Decif. ſacr. rit. num.* 1176., ſed hi poſt Decreta id permittentia ſcripſere.

DECRETUM TERTIUM.

Occurrente duplici minori, ſeu translato in die commemorationis Defunctorum, Officium faciendum eſt de Sancto, Miſſæ vero celebrandæ ſunt de Requiem. S. R. C. 19. Junii 1700. *in Curien.*

I. EN Decretum, quod dicebamus in die commemorationis omnium Fidelium Defunctorum feſto duplici minori, etiam translato, locum facere; quoad expoſitionem vero præcedens Decretum recole, cui præſens omnimode conſonat.

DECRETUM QUARTUM.

In die commemorationis omnium Defunctorum in Eccleſiis Cathedralibus, vel Collegiatis, ubi quotannis occurrit dies octava Dedicationis Eccleſiæ, Miſſæ privatæ dicendæ ſunt de Requiem, & cantandæ ſunt duæ Miſſæ conventuales, una ſcilicet de die octavæ poſt Tertiam, & altera de Requiem poſt Nonam juxta Rubricas. Quando vero dies octavæ incidit in Dominicam, omnes Miſſæ celebrandæ ſunt de die octavæ, & commemoratio omnium Fidelium Defunctorum transferatur in diem ſequentem. S. R. C. 17. Sept. 1696. *in una S. Germani Montis Caſſini.*

I. GUyetus *lib. 4. cap. 8. qu. 5.* etſi die 3. aut 4. Novembris ſimul cum commemoratione Defunctorum fieri poſſe ſentiat de feſto ſemiduplici, & forſan etiam duplici minori, non tamen die 2. a qua & ſemiduplex abigit, & hanc congruam diſcriminis rationem reddit, quod in poſteriori caſu ſingulis annis Miſſæ abriperentur feſto, ubi in priori ſolum eo anno, quo commemoratio transfertur. Secus putat de die octava, & infra octavam, tum quia octava translationem non patitur, tum quod ejus Miſſa in feſto lecta fuit, qua de cauſa etiam alibi vidimus, diebus infra octavam miſſam abripi, ut detur vigiliis intra octavam occurrentibus. Hæc opinio, quatenus per amotionem feſti ſemiduplicis, & duplicis e die 2. conſulit celebrationi Commemorationis omnium Defunctorum, contraria habet ſuperiora Decreta, in quibus & refutata fuit; quatenus vero diem octavam, & infra octavam eidem commemorationi conjungit, præſens Decretum habet favorabile, quod tamen arbitror Guyeti rationibus minime innixum, ſed iis, quas in ſuperioribus allegavimus. Ex intransferibilitatis namque titulo dies octava ſuper duplex minus habet, quod transferri faciat etiam duplex majus occurrens, ſed hinc magis eruitur, quod prædictam commemorationem abigeret, & non Miſſas cederet. Nec magis relevat repetitio Miſſæ quoad diem octavam, quidquid ſit de die infra octavam, quia illa inſtar feſtorum a Rubricis inſpicitur, & eorumdem more integrum jus ſervat ad Miſſam, quam nec cedit Vigiliis, nec Dominicæ ipſi, licet Miſſa hujus propria alias vacare deberet. Unde Decretum ipſum omnes Miſſas eidem concedit, quando incidit in Dominicam; quod autem addit de transferenda commemoratione in diem ſequentem, id præſtat in gratiam diei Dominicæ, non diei octavæ, cum qua eamdem componit, quando in Dominicam nequaquam incidit.

II. *Miſſæ privatæ dicendæ ſunt de Requiem*, ſeu de Defunctorum

rum commemoratione, cui tamquam ſolemniori conceduntur, ut ſuperius dicebamus. Sed quid de Miſſa ſolemni, ſeu Conventuali? *& cantandæ ſunt duæ Miſſæ conventuales*, præſens adjicit Sanctio, *una ſcilicet de die octava*, aut de feſto, ſi hoc occurrat, ne dies octava, aut occurrens feſtum negligatur penitus, *& altera de Requiem*, ne occurrenti commemorationi ſolemnis Miſſa deſideretur. *Juxta Rubricas*, nedum generales, quæ de feſto, & ſignanter etiam de die infra octavam omnium Sanctorum conventualem præſcribunt Miſſam, ſed etiam particularem die 2. Novembris poſitam: *In Eccleſiis cathedralibus, & collegiatis dicuntur duæ Miſſæ, una de octava poſt Tertiam, altera principalis pro defunctis poſt Nonam*. Quod addit ſanctio de hac Defunctorum Miſſa dicenda *poſt Nonam*, ejuſdem etſi diſertum ſit Rubricæ præſcriptum, in Capite de Miſſa Conventuali reſervamus agere, ubi & de ceteris cunctis, quæ ad eamdem Miſſam ſpectant.

DECRETUM QUINTUM.

Cum Feſtum S. Pirminii Epiſcopi Meldenſis, & Confeſſoris a Clericis Regularibus Societatis Jeſu Civitatis Œniponti Diœceſis Brixinen. die 3. Novembris ſub ritu duplici minori celebretur; cumque eadem die aliquando occurrat commemoratio omnium Fidelium Defunctorum, propterea ex parte Clericorum Regularium prædictorum S. R. C. humillime ſupplicatum fuit declarari, an occurrente feſto S. Pirminii Epiſcopi Meldenſis eadem die commemorationis omnium Defunctorum, poſſint ipſi, aut etiam debeant transferre Feſtum S. Pirminii ad aliam diem non impeditam currentis octavæ, an vero non obſtante Officio commemorationis Defunctorum ſit faciendum Officium de S. Pirminio, ac ſaltem Miſſa ſolemnis dicti Sancti celebrari poſſit? Et S. R. C. reſpondit *tranſferendum eſſe Officium S. Pirminii*. Ita die 11. Julii 1716. *in una Brixinen.*

I. PRæcedentia Decreta hinc labi videntur; ſi enim feſtum duplex minus e die 3. Novembris, in quam commemoratio omnium Defunctorum aliquando duntaxat incidit, in caſo hujuſce incidentiæ transferri mandatur, multo magis faciendum id erit de feſto duplici minori e die 2., in qua eadem commemoratio ſtate recurrit. Derogationem quidem effugis, ſi tamquam particulare criminaris Decretum, ſed cum petitio proceſſerit pro *declaratione*, quæ nihil novi facit, ſed ſolum quid juris exponit, ex reſponſione generale Decretum efficitur, & ut minimum in generalem regulam deſervit, ubi eadem, vel ſimilis procedit ratio, quæ in Decreti efformatione inſpecta fuit. Hinc merito Meratus, qui in Breviarii Indice Decretum ut ſupra exarat, in Indice Miſſalis num. 631. illud tamquam generale quidem exhibet, ſed cum limitatione ad caſum, in quo, & pro quo emanavit. *Quando die 3. Novembris occurrit feſtum duplex minus ratione inſignis Reliquiæ (ſicut accidit Œniponti in Eccleſia PP. Societatis Jeſu, in qua celebratur feſtum S. Pirminii Epiſcopi Meldenſis ob inſignes ejus Reliquias ibi aſſervatas) & cadit in feriam ſecundam, in quam transfertur aliquando commemoratio omnium Fidelium Defunctorum, tunc dictum feſtum transferendum eſt ad primam diem non impeditam, non vero celebratur dicta die tertia ſimul cum commemoratione omnium Fidelium Defunctorum.*

II. Aſſervabantur in prædicta Eccleſia inſignes Reliquiæ S. Pirminii, agebatur feſtum cum ſpeciali ſolemnitate, & earumdem expoſitione Reliquiarum, Hæc minus apte fiebant una cum luctuoſa commemoratione Defunctorum, & ideo Congregatio ſatius adjudicavit eſſe dividenda, ut ſic inibi in luctuoſa celebritate Defunctorum convenientia ſervari poſſet cum tota Eccleſia, & rite, atque lætanter agi ſolemnitatem S. Pirminii, quam ceteroqui tamquam minus ſolemnem bene translationi conſignavit. Decreta itaque hinc non derogationem depromunt, ſed limitationem, videlicet quod feſtum duplex minus, quod ſpeciali ſolemnitate recolitur, transferendum eſt commemoratione retenta, ſive poſtea illud occurrat die 2. aut 3., cum hoc tamen diſcrimine, quod occurrens die 2., cum ſemper, vel quaſi ſemper ſit impeditum, immutari debet in diem alteram, quæ non ſit ſequens tertia, ne iterum amotioni ſit obnoxium, dum ratione Dominicæ in diem 3. commemoratio transfertur.

III. Duo hinc facile erues, quorum primum eſt, commemorationem Defunctorum idem juris habere in die 2. & 3., quando in hanc transfertur. Alterum eſt, integra perſtare Decreta, quæ cum præfata commemoratione feſtum duplex minus componunt, ſolumque ut ſupra limitari. Evidens hoc redditur a Decreto 5. Martii 1736., quod dum ſimul cum commemoratione omnium Defunctorum alicujus Religionis de feſto duplici minori fieri poſſe declarat, nos conſequenter edocet, idipſum præſtari poſſe etiam in caſu commemorationis omnium Defunctorum Eccleſiæ catholicæ, cujus inſtar illa fuit invecta. Identitatis namque id expoſcit ratio, & Decretum poſterius eſt, utpote de die 5. Martii 1736., quare præfata Decreta ſuo robori reſtitueret, quando adhuc per præſens derogata cenſerentur.

IV. Hucuſque de duplici minori occurrente, vel tranſlato in diem, in qua celebratur commemoratio omnium Fidelium Defunctorum, nunc ſermo convertendus foret ad duplex altioris ritus, ſed de hoc reſervamus agere in expoſitione memorati Decreti.

DECRETUM SEXTUM.

In die commemorationis omnium Fidelium Defunctorum Sacrificia poſſunt a Sacerdotibus celebrantibus applicari ad libitum, ſcilicet vel pro omnibus Fidelibus Defunctis, vel pro aliquibus tantum. S. R. C. 4. Aug. 1663. *in una Dalmatiarum*.

I. FRaainellus *de oblig. Sacerd. ſect. 3. concluſ. 4.*, Gavantus *par. 4. tit. 15. num. 58.*, Bordonus *de legatis cap. 6. num. 75.*, aliique Doctores quibuſvis ſacerdotibus obligationem injungunt ad Miſſas indifferenter applicandas ex intentione, & præſcripto Eccleſiæ pro omnibus Defunctis in generali eorumdem commemoratione, poſthabitis particularibus obligationibus, quibus tenerentur quotidie pro Teſtatoribus ſacrificium offerre, quibus haud cenſent injuriam fieri, prævalente lege generali Eccleſiæ legi privatæ. Teſtatorum, qui ceteroquin, cum & ipſi in Defunctorum commemoratione comprehenſi maneant, participant de ſacrificiis cunctis ea die oblatis, ac conſequenter jure minime cenſeri queunt inviti.

II. Quarti *par. 1. tit. 5. dub. 3.* Biſſus *lit. 5. num. 16. §. 4.*; aliique plurimi liberum faciunt ea die Miſſas applicare, ſcilicet vel pro omnibus Fidelibus Defunctis, vel pro aliquibus tantum. Congregatio horum opinionem approbat; cum enim obligatio qualibet ſit oneroſa, & ſignanter ea, de qua loquimur, privet ſacerdotes ſtipendio ad convenientem eorum victum neceſſario, ſupponenda non eſt, ſed ex lege repetenda, nulla autem lex Eccleſiæ eſt, in qua imponatur, vel indicetur. Optat quidem Eccleſia, quod ſpecialiter ea die ſuffragiis Defunctorum deſtinata, preces pro iiſdem, & ſacrificia offerantur, & Defunctorum officium injungit, at a ferenda lege ſuper applicatione generali Miſſarum ſemper abſtinuit.

III. Auctores autem, qui applicationem liberam faciunt, adhuc monent ea die pro omnibus ſacrificium offerri, & ulterius progreditur Quarti, qui *in Appendice de ſacrif. quæſt. 4. pun. 2. diff. 3.* Cappellanum quotidianum, dummodo ea die pro omnibus Defunctis celebret, eximit ab onere ſacrificandi pro fundatore ex hujus tacito conſenſu, & præſumpta Eccleſiæ mente. Optimum eſt quidem conſilium, ſed hinc nollem quis inferat, ſic ſatisfactum iri obligationi aſſumptæ ex erogante ſtipem ad Miſſam pro particulari Defuncto; hoc enim eſſet contra juſtitiam, quia fructus illius ſacrificii, qui totus, & integer debetur illi particulari, hoc ipſo inter Defunctos omnes dividitur, nec aliter jure præſumi poteſt de mente eroganitis ſtipendium, cum mentem ſuam diſerte jam ipſe expreſſerit.

IV. Quod vero attinet ad cappellaniam quotidianam, iiſdem Auctoribus nos credere minime poſſumus; non videmus quippe, quo umquam ex capite ejuſdem onus ea die ceſſare queat. Et quidem non ceſſat ex capite impotentiæ ſuper celebrationem, uti ceſſat in triduo mortis Chriſti, quia die illa integrum eſt celebrare. Nec ex defectu libertatis ſuper applicationem ſacrificii in favorem ſolius fundatoris, cum juxta Decretum pro quocumque liberum ſit Miſſam integre offerre. Nec ex tacito fundatoris conſenſu, quia hic ſe expreſſit de ſacrificio quotidiano in remedium animæ ſuæ, & cenſetur ſibi voluiſſe conſulere omni meliori modo, quare numquam jure præſumi poteſt, quod aliqua die ad dicti ſacrificii participationem alios admiſerit, quinimmo cum etiam pro ea die ſufficiens ſtipendium dederit, in ejuſdem totalem favorem etiam in dubio, & in opinionum diverſitate eſt pronunciandum. Nec denique ceſſat ex præſumpta Eccleſiæ mente, quia etſi hæc optet ea die ſuffragia Defunctis generaliter adhiberi, voluit tamen applicationem ſacrificii eſſe liberam, & id ad retundendam opinionem illorum, qui eamdem ex Eccleſiæ mente faciebant ut ſupra neceſſariam, & Cappellaniæ obligationem pro ea die vacare aſſerebant. In qua rerum ſerie velle adhuc ceſſare cappellaniæ onus in ſuppoſitione, quod Cappellanus pro cunctis mortuis celebret, & ita Eccleſiæ mentem, & Decretum interpretari, non utique legitima, ſed mere arbitraria, & textui violenta expoſitio foret.

V. Ex Cappellaniis ſunt, quæ vacationem admittunt, & juxta ſententiarum diverſitatem vel ex ſolo titulo honeſtatis, & reverentiæ ſacramenti, vel adhuc cauſa voluptatis, & ſi vacationum tempore celebretur, non niſi pro fundatore celebrari poſſe contendunt aliqui, concedunt alii etiam pro ſe, & pro aliis, ſed ſolum abſque ſtipendio, & liberaliter, alii vero tuentur etiam accepto ſtipendio. Loci hujus non eſt hanc quæſtionem cernere, curſim tamen ſubdimus, quod ſi Cappellanus diem commemorationis prædictæ pro ſua vacatione aſſumat, & reſpective cedat ſuæ voluptati, aut ſuperet impedimentum ſuæ indiſpoſitionis in gratiam Defunctorum omnium, pro his celebrare poteſt, etiam accepto ſtipendio, & credimus adhuc fundatoris cauſam agere, utpote qui in ejuſmodi caſu de fructu ſacrificii ſaltem participaret, ubi omnino privaretur, ſi Cappellanus ea die vel ob voluptatem, aut honeſtatem a ſacrificando abſtineret.

VI. Quoniam vero, etſi ſententia de valore ſacrificii infinito extenſive poſt Decreta de Celebratione Miſſarum e ſua probabilitate multum deciderit, adhuc non deſunt, qui eam tutantur, non ita quod per eandem Miſſam duplici ſtipendio ſatisfieri queat, ſeu duabus obligationibus juſtitiæ, quia obligationi juſtitiæ, cum ſit obligatio certa, ſatisfieri non poteſt per fructum ſacrificii incertum, & ſub opinione poſitum, ſed ita quod eadem Miſſa ſimpliciter applicetur ad ſatisfaciendum obligationi juſtitiæ, & ſub conditione valoris infiniti etiam ad juvandos alios ex liberalitate, ſeu ex virtute pietatis, idcirco nos

nos admodum non refragaremur, ſi quis in die commemorationis præfatæ eadem ſententia uti vellet, applicando abſolute, & ſimpliciter Miſſam pro fundatore, aut pro illo, qui ſtipendium elargitus eſt, & ſub aſſerta conditione etiam pro Defunctis omnibus; tunc enim nulli fit injuria, nec fundator, aut qui ſtipem erogavit, poteſt eſſe rationaliter invitus, cum ipſe totum, & integrum ſacrificii fructum indubitanter aſſequatur, perinde ac ſi pro ipſo ſolo offerretur; Defuncti vero reliqui non niſi ſub data conditione, & ſemper ſine ullo damno illius, qui dedit ſtipendium. Quod etiam æque fieri poteſt in favorem cujuſcumque alterius.

VII. De Miſſa Conventuali ſuccedit quæſtio, & cum Eccleſiæ, quæ nec cathedrales ſunt, nec collegiatæ, ad ejuſdem celebrationem non teneantur, utique nec ad applicationem, & ideo cum apud eaſdem applicatio ſit libera, poterit etiam per receptionem ſtipendii obligari. Secus eſt de Eccleſiis cathedralibus, & collegiatis, quæ ad celebrandas, & applicandas conventuales miſſas manent obſtrictæ, ita ut hæ cunctæ Benefactorum ſuffragio ſint reſervatæ præter illas, quæ prima die menſis non impedita Defunctis decantantur, hæ namque ex Rubrica V. Miſſalis ſunt applicandæ *generaliter pro defunctis Sacerdotibus, & Benefactoribus, & aliis*, quibus indubitanter adjungi debet Miſſa Conventualis Commemorationis generalis Defunctorum, quæ eſt dies ſuffragiis generalibus magis deſtinata, quam ſit dies prima menſis non impedita.

DECRETUM SEPTIMUM.

Miſſa ut in die obitus præſente corpore, ultra miſſam de communi Defunctorum, celebranda erit, quando aliquis obierit in die commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, S. R. C. 14. Apr. 1696. *in Uliſſiponen.*

I. M*iſſa ut in die obitus*, ait Decretum, quod cum id ſtatuat, ut per eam diſtinctim ſuffragetur animæ illius, qui recens obiit, & cujus corpus præſens eſt in Eccleſia, conſequenter edocet, applicationem Miſſarum ea die ſuffragiis generalibus non eſſe obligatam, ſed ad celebrantis arbitrium, ut in ſuperioribus dicebamus: Item ſi miſſa *ut in die obitus* celebranda eſt, neceſſe nec erit ea die pro Defunctis omnibus fructum impetrationis per orationes ab Eccleſia præſcriptas offerre, ut ſenſiſſe videtur Quarti *par. 1. tit. 5. dub. 3.*, ſed dici debet miſſa cum orationibus, quæ congruunt circumſtantiis, & perſonis, in quibus, & pro quibus dicitur, & ſicut in die obitus, anniverſario, diebus 3. 7. 30., aut pro particulari Defuncto juxta caſuum varietatem. Qui namque dant ſtipendium, nedum ſibi obligari intendunt fructum ſatisfactionis, ſed etiam impetrationis, orationum, & precum. Quæ dicta ſunto ſine læſione Rubricarum, quæ liberum faciunt epiſtolas, & evangelia unius miſſæ in altera uſurpare, ita ut hæc libertas nec per præſens Decretum cenſeatur adempta, ne quidem in die ipſa commemorationis omnium Defunctorum, & ſolum in præcepto ſint poſitæ reſpectivæ orationes, ut dicetur alibi.

II. Ultra miſſam de communi Defunctorum, ſcilicet de prædicta commemoratione, quæ Defunctis omnibus eſt communis. Hæc autem dictio *ultra* importat obligationem alterius Miſſæ in ſuffragium Defunctorum omnium, ſed reapſe tamen hæc obligatio ſolum cathedrales, & collegiatas afficit Eccleſias, non alias, quæ conventualium miſſarum lege minime tenentur. Verum nec hæ audeant tam ſalutare ſuffragium Defunctis omnibus ea die denegare, quæ adjuvandis eorum ſpiritibus ſpecialiter eſt deſtinata, ſed pro iiſdem ſaltem Miſſam legant, ſi ob miniſtrorum deficientiam, aut impedimenta alia non valent eamdem ſolemniter decantare.

III. Decretum autem ſolummodo diſponit de miſſa ſolemni ut in die obitus decantanda, quatenus ſine propria Miſſa decens non eſt Defunctorum corpora tumulari, nec cenſeri poteſt ſufficiens Miſſa Commemorationis Defunctorum omnium, quia in his & recens mortuus manet incluſus. Ceterum præceptum minime imponit cantandi Miſſam pro recens mortuo, & ſepeliendo, ſed ſolum eamdem Miſſam declarat licitam etiam in die Commemorationis omnium Defunctorum, ut ſuperius dicebamus.

CAPUT SECUNDUM.

De Officio Defunctorum.

I. NOn ſine cauſa Mater Eccleſia poſt ſolemnem Officii Divini recitationem, Specialem pro Defunctis curſum inſtituit. Omnes filios pari complectens amore, poſtquam Dei optimi erga viventes beneficia debitis gratiarum actionibus diu, noctuque eſt proſecuta, miſericordes oculos ad eos convertens, qui nos præceſſerunt cum ſigno fidei, & dormiunt in ſomno pacis, eorum etiam ſpiritus æterno Regi, cui omnia vivunt, devota precum ſolemnitate commendat. Non omnes Eccleſiæ filii, quibus data poteſtas eſt hæredes fieri æternæ vitæ, poſt ultimam vitæ hujus clauſulam tranſire ſtatim merentur ad patriam, ſed ex iis ſunt, qui ſalvi quidem erunt, ſic tamen *quaſi per ignem*, ut ait Apoſtolus 1. *Cor.* 3. 11. ſcilicet illi, quorum animæ nec ob mortalem culpam a Dei gratia, & amore excluſæ, nec adeo defœcatæ, ut confeſtim admitti poſſint in Regnum Cælorum, in quod Apoc. 21. 27. *nihil coinquinatum intrabit*, temporaria pœna in Purgatorii igne plectuntur. Hæ ut animæ, quæ ſuam deplorant miſeriam, & noſtram implorant miſericordiam, ſuffragiis noſtris adjutæ, ad ſupernam beatitudinem quantocitius introducantur, inter preces plurimas Eccleſia & invenit Defunctorum Officium, cujus inſtitutionem primævam nonnulli adſcribunt Apoſtolis, Durandus Origeni, Arnoldus Wion Amalario, Iſidorus de Iſolanis Divo Ambroſio, & Jacobus de Valentia S. Patri Auguſtino. Verum licet conſuetudo pro Defunctis exorandi Apoſtolicam uſque agnoſcat inſtitutionem, ſecus tamen Defunctorum Officium, quale nunc recitatur, quare Auguſtino teſte *lib. 9. Confeſs. cap.* 12. ſuper corpus Monicæ Matris ejus recens mortuæ non prædictum Officium, ſed pſalmus cum intercalatione ex pſalterio lectos fuiſſe diſcimus: *Cohibito ergo a fletu illo puero* (nempe Adeodato) *pſalterium arripuit Evodius, & cantare cœpit pſalmum; cui reſpondebamus omnis domus; Miſericordiam, & judicium cantabo tibi Domine.* Nos itaque malumus idem Officium dicere antiquiſſimum, ſed ejuſdem primævam originem ignorari, quam teſtimoniis dubiis, & inconcludentibus argumentis temere aliquid affirmare.

II. Incipit Officium abſolute, terminatur conciſe, deſunt in eo capitula, hymni, abſolutiones, benedictiones &c., quia ut notat Amalarius *lib. 3. cap.* 44. ad imitationem agitur Officiorum, quæ aguntur in morte Chriſti. Aliorum Officiorum inſtar primas habet Veſperas, & hæ quinque pſalmorum modulatione complentur, ut Chriſtus Jeſus efficaciſſimo quinque vulnerum lavacro, quidquid illi per quinque corporis ſenſus peccaverunt, abſtergat. Sequitur canticum B. Virginis, ut omnia eorumdem inquinamenta ipſa Deipara intercedente deleantur. Pſalmus tandem 145. in fine recitatur, in quo exitus ſpiritus, & extincti corporis reverſio in terram ſuam commemoratur. Habet vigilias, ut vocant, ſeu matutinum cum laudibus. Nocturnæ preces tribus pſalmis, totidemque lectionibus, & reſponſoriis conſtant, ut percepta venia peccatorum cordis, oris, & operis, Angelorum conſortio, quorum triplex eſt hierarchia, & ter triplex chorus, aggregari mereantur. In laudibus quinque pſalmos eodem, quo in veſperis, myſterio decantamus, addimuſque canticum Zachariæ, gratias agentes Deo, qui per viſcera miſericordiæ ſuæ viſitavit ſedentes in tenebris, & umbra mortis, & fecit redemptionem plebi ſuæ. Clauduntur laudes pſalmo 129. quem in perſona ad Deum aſcendere exoptante modulamur, ut de profundis, extremiſque malis liberati, refrigerii ſedem obtineant, quietis beatitudinem, & luminis claritatem. Horis minoribus, & ſecundis caret veſperis, tum quia par erat ab officio canonico diſcrimine aliquo precationes has minus ſolemnes diſtingui; tum quia Sanctorum memoria cum Deo regnantium, & commemoratio purgantium electorum non pari pſalmorum numero recolenda videbatur. In ſecundis tamen veſperis potius agnoſcit myſterium Durandus *lib. 5. cap. 9. num.* 10., quod cum ad poſtremam, eamque completam Sanctorum in corpore glorificationem referantur, haud congruunt iis, quos nedum ipſam animæ gloriam adeptos fuiſſe ſupponimus. Quoniam vero in præcedenti capite de defunctorum officio, quod quaſi potior pars eſt eorumdem generalis commemorationis, pertractare diſtulimus, recta certe ratio expoſcit ad illud noſtram convertamus conſiderationem.

DECRETUM I. CAPITIS, IN ORDINE VIII.

Matutinum Defunctorum pro generali eorum commemoratione non debet cantari pridie veſperi in feſto omnium Sanctorum, ſed recitandum eſt mane die 2. Novembris poſt laudes diei. S. R. C. 23. Maji 1603. *in Egitanien.*

I. ÆQuum eſt, tria alia ſimul examinanda producantur Decreta, quæ ad idem ſpectant Matutinum Defunctorum, & ſunt Decreta 2. 3. 4. cap., in ord. 9. 10. 11. *Matutinum Defunctorum pro generali eorum commemoratione prohibitum eſt cantari pridie veſperi in feſto omnium Sanctorum, ſed recitandum eſt mane die 2. Novembris poſt laudes diei.* S. R. C. 1. Sept. 1607. *Officium Defunctorum pro ſecunda die Novembris poteſt, etiam præſente Eiſcopo, ante completorium diei feſti omnium Sanctorum recitari.* S. R. C. 5. Julii 1698. in Collen. *Matutinum diei commemorationis omnium Fidelium Defunctorum non poteſt recitari in choro in die feſtivitatis omnium Sanctorum poſt completorium, ſed ſervandæ ſunt Rubricæ.* Sac. R. C. 22. Januarii 1701. *in una Camald. Montis Coronæ.* Num Matutinum Defunctorum in commemoratione eorumdem generali pridie veſperi in feſto omnium Sanctorum valeat recitari, Auctores plurimum diſſident. Gavantus *ſect. 7. cap. 13. num. 2., & ſect. 9. cap. 2. num. 16.*, Guyetus *lib. 4. cap. 23. quæſt.* 22., & Perſicus *de hor. can. cap. 7. dub. 6. num.* 7. illud recitandum eſſe contendunt die 2. Novembris poſt laudes diei, & iiſdem ſuffragantur diſerte Decretum primum, & ſecundum, & adhuc quartum, quia Rubricæ, quas ſervandas edicit, illud jungunt laudibus diei, poſt quas itidem demandatur a Decreto primo capitis de Commemoratione Defunctorum alicujus Religionis. Ab hac lege Gavantus Cathedrales Eccleſias eximit, quibus pro præcedenti die ſuorabile extat Cæremoniale Epiſcoporum *lib. 2. cap.* 10., ad quaſque propterea Meratus *in Indice Decr. Brev. numer.* 206., & Pittonus *Deciſ. ſacr. rit. num.* 1129. tertium Decretum limitant, Biſſus *lit. o. num. 40. §. 7.* Eccleſiis omnibus matutini anticipationem facit licitam, & ei favet tertium Decretum, cujus abſolutus loquendi modus Eccleſiis cunctis favere videtur, atque limitationem ad Cathedrales Eccleſias rejicere. Victorius

Novel-

Digitized by Google

Novellarienſis *in Synopſi pag.* 208. conſuetudini ſtandum eſſe autumat, & in favorem habet quartum Decretum, quod dum Rubricas ſervari mandat, Eccleſiarum probat conſuetudinem, Rubrica namque Defunctorum officio præfixa, diei laudibus prædictum matutinum quidem jungit, ſed addit illico, *niſi alia ſit conſuetudo Eccleſiarum*. Nos vero ut rem clare, & diſtinctim in tanta Auctorum, & Decretorum varietate aperiamus, per diſtinctas concluſiones procedendum eſſe arbitramur.

II. Dicimus 1. nullum ex productis Decretis, quæ in feſto omnium Sanctorum præfati matutini anticipationem inhibent, afficere privatam, ſed ſolum publicam, & choralem ejuſdem recitationem. Et quidem primum, & ſecundum tenent verbum *cantari*, quod privatæ recitationi non congruit, & quartum diſerte habet *in choro*.

III. Dicimus 2. recitatis veſperis, prædictam anticipationem eſſe licitam in Eccleſiis Cathedralibus; his enim ſaltem favet Decretum tertium, & certa per hæc verba Cœremoniale laudatum: *De veſperis, & matutinis, quæ celebrantur quotannis pro commemoratione, & ſuffragiis omnium Fidelium Defunctorum immediate poſt ſecundas veſperae feſtivitatis omnium Sanctorum, quæ ſimul, & junctim in multis Eccleſiis recitari ſolent, hoc eſt, ſtatim poſt veſperas omnium Sanctorum veſperæ, & matutinæ Defunctorum, ad hoc ut populus commodius, & frequentius illis intereſſe poſſit; & tunc ſi Epiſcopus ipſemet erit in craſtinum celebraturus Miſſam ſolemnem pro Defunctis, debebit etiam in his veſperis, & matutinis officium facere, nullis tamen tunc ei Canonicis e lateribus aſſiſtentibus*. Gavantus etiam congruitatem in eo agnoſcit, ut Epiſcopi cum ſuo Clero liberiores ſint ad Miſſam ſolemnem in mane pro Defunctis decantandam, & præſertim quia etiam alteram de officio debent ſolemnem facere. At hæc ratio non minus militat pro Eccleſiis Collegiatis, aliiſque, in quibus viget conventualium Miſſarum uſus; unde ut minimum Decreta cetera inhibitiva cum excluſione Cathedralium Eccleſiarum ſunt accipienda.

IV. Dicimus 3. idipſum eſſe integrum Eccleſiis omnibus, in quibus talis invaluit conſuetudo. Eruitur ex Decreto quarto, quia ut dicebamus, Rubrica Defunctorum officio præfixa, ad quam relationem indubie habent Rubricæ ceteræ, & ab eadem limitationem, ita diei laudibus jungit matutinum Defunctorum, ut *niſi ſit alia conſuetudo Eccleſiarum*, in conditionem ſtatim adjiciat; qua cum clauſula conſequenter limitanda veniunt contraria Decreta, & Rubrica ipſa diei 2. Novembris, ſicuti cum eadem communiter accipitur Rubrica, quæ in feriis ſecundis Adventus, & Quadrageſimæ idem præſcribit poſt diei laudes officium Defunctorum.

V. Dicimus 4. in Eccleſiis, in quibus non eſt obligatio chori, poſſe pro libito anticipari, & poſtponi; hoc enim ipſa recitatio eſt arbitraria, & ex devotione, & de hujuſmodi recitationibus nec Rubricæ, nec Decreta procedere ſolent. Idipſum conſequenter erit de Eccleſiis choralibus relate ad officium Defunctorum, quod non eſt in præcepto, ut apud Regulares in commemoratione ſuorum Defunctorum, cum namque tale officium ſit arbitrarium, arbitraria itidem erit hora, poſt quam eſt recitandum. Quia tamen congrue recitatur juxta Rubricas, & Eccleſiæ morem, Decretum S. R. C. 5. Maji 1736. apte illud aſſignat poſt laudes diei.

VI. Dicimus 5. etiam ubi eſt obligatio chori, poſſe ut ſupra anticipari, aut poſtponi, ut frequentior habeatur concurſus populi, qui cum in loco ſit laborioſis operibus v. g. diſtentus, aut alias communiter occupatus, diluculo in mane aut non conveniret, vel admodum infrequentior. Cum enim Eccleſia Defunctorum ſuffragiis ſit eo die apprime intenta, jure cenſetur ſuper Rubricarum apicibus diſpenſare, quando alias ſuffragia notabiliter decreſcerent; unde & Cœremoniale Epiſcoporum laudat Eccleſias, non tantum Cathedrales, ſed etiam ceteras (*Quæ ſimul, & junctim in multis Eccleſiis recitari ſolent*) quæ veſperas, & matutinum Defunctorum junctim dicunt poſt Veſperas omnium Sanctorum, *ad hoc, ut populus commodior, & frequentior illis intereſſe poſſit*, & inſimul nos inſtruit de hac limitatione inhibitivis Decretis ſimiliter adhibenda.

VII. Dicimus 6. ubi licitum cenſeatur, uti conſuetudo probare videtur, matutinum diei pridie veſperi, etiam in publica pſalmodia anticipari, licitam quoque eſſe anticipationem matutini Defunctorum poſt laudes diei; hoc enim eſt acceſſorium quoddam, & quid adnexum matutino diei, conceſſo autem principali conceſſum cenſetur & acceſſorium, & de adnexis idem judicium eſt habendum. Et quidem Decreta, quæ inhibent matutinum Defunctorum cantari in feſto omnium Sanctorum, addunt *poſt veſperas*, aut *poſt completorium*, & dum priora, dum inſuper edicunt illud eſſe perſolvendum *mane diei 2. Novembris*, procedunt in ſuppoſitione, quod laudes diei minime anticipentur, ut evidens ſit ex iis eorumdem verbis *poſt laudes diei*. An autem liceat matutini anticipatio in publica recitatione, alibi actum eſt, & licet id fieri a Congregatione minus probetur, quia eſt contra debitum tempus, & inſtitutum, rationabili tamen interveniente cauſa aliqua ab Eccleſiis per viros pios, & timoratos directis in uſum paſſim deducitur, nec diſſimiliter præſtatur ab univerſa Eccleſia in triduo mortis Chriſti, & per octavam SS. Sacramenti.

VIII. Hinc patet intellectum Decretorum inhibitivorum manere reſtrictum ad caſus, Eccleſias, & circumſtantias, in quibus ſuperius dicta anticipationem, aut poſtpoſitionem non reddunt licitam; & quæritur, an ſi ſecus fiat, peccatum ſit, & quale? Quærunt Auctores, an, & quale peccatum ſit invertere ordinem horarum canonicarum in choro, v. g. prius recitare tertiam, & poſtea primam. Sunt, qui docent ſeclUSO ſcandalo nullum eſſe peccatum, qui eſſe veniale, qui mortale, & qui penitus excuſant, ſi cum aliqua rationabili cauſa fiat, aut bis, vel ter. Magis autem damnant inverſionem illam, quando officio præcedentis diei nondum perſoluto, recitatur illud ſequentis, aut hoc illi interſeritur, ut ſi poſt veſperas dicatur matutinum ſequentis diei necdum recitato completorio. Equidem ſi id fiat voluntarie, & ſine ulla penitus cauſa, vix effugitur culpa letalis, apparet ſiquidem illico contemptus præcepti Eccleſiaſtici, & inſtitutionis Eccleſiæ, & eluduntur myſteria, quæ per horarum canonicarum ordinem ſignificantur. Hæc tamen minime procedunt de matutino defunctorum, quod licet per Rubricas ſit addictum matutino diei, non habet tamen cum eo talem ordinem, qualis eſt inter horas canonicas; eſt ſiquidem officio canonico omnino extraneum, nec cum eo continuationem aliquam habet, unde & a Rubricis ipſis permittitur poſt alias horas juxta conſuetudinem recitari; quare ſine ulla culpa arbitramur alio officii loco poſſe recitari, immo & præcedenti die poſt veſperas Defunctorum, licet nondum perſoluto completorio, quia tunc Eccleſia incipit pro Defunctis precari, & ipſamet interſerit veſperas extraneas ab officio canonico. Eſto autem id ſine ulla fiat culpa, abſque ulla tamen vel levi tentari non debet cauſa, quia alias contemni videretur Eccleſiæ inſtitutio, omnino arbitrarie inverteretur tempus noctis, recitandis matutinis laudibus antiquitus deſtinatum, & per Rubricas præſcriptum, quæ cum officii leges ſint, merito a ſuperius recenſitis Decretis ſervandæ indicuntur.

IX. Fortaſſe dices, quod ſic nihil ſupereſſet orationis pro Defunctis in die 2. quæ addicta eſt communi Eccleſiæ voto fundendis precibus pro mortuis. Verum cum juxta ritum Eccleſiaſticum dies incipiat a primis veſperis, præfatum matutinum cenſeretur adhuc recitatum die 2., etſi pridie poſt veſperas recitaretur, quinimmo pro die 2. ſemper ſupereſt miſſæ ſacrificium, quod præ ceteris eſt potiſſimum Defunctorum levamen. Ne autem hic repetamus alibi jam tradita, ex dictis *to. 1. cap. 46. Decr.* 4. ſupponimus in rigoroſo præcepto eſſe prædictum Defunctorum officium.

DECRETUM V. CAPITIS, IN ORDINE XII.

Veſperæ Defunctorum pro prima die menſis dicuntur poſt veſperas, etiam Dominicæ, vel feſti de præcepto, ſi accidat. S. R. C. 23. Maji 1603. *in Egitanien.*

I. OFficium Defunctorum fuiſſe olim quotidie officio diei in Eccleſiis ſuperadditum, luculentis evincitur teſtimoniis Albini Flacci *lib. de off. div. tit. de exeq. mortuor.*, Amalarii Fortunati *lib. 4. de Eccl. off. cap.* 42., Rodulphi Tungrenſis *prop.* 20., Durandi *lib.* 7. *cap.* 35. *num.* 18., & erui poſſe videtur ex can. *Viſum de conſecr. diſt.* 1. Recenſentur itidem ab iiſdem Auctoribus dies, qui ab eodem officio habebantur immunes, & ſunt tempus paſchale, feſta novem lectionum, dies Dominicæ, & octavæ majores. Verum quidquid fuerit de antiqua conſuetudine, cujus obligationi Eccleſiæ non Romani ritus adhuc manent obnoxiæ, in dubium eſt, quod quæ Romano more vivunt, ex relaxatione Pii V. lege antiquæ conſuetudinis non amplius adſtringuntur, ſed ſolum in choro tenentur illud dicere prima die menſis extra tempus Paſchale, Quadrageſimam, & Adventum, officio novem lectionum non impedita, & qualibet feria ſecunda ſimiliter non impedita intra Adventum, & Quadrageſimam, excluſis adhuc feria ſecunda majoris hebdomadæ, ac vigilia Nativitatis, quoties hæc incidit in feriam ſecundam. Dicitur vero idem officium nonnunquam *onus chori*, quatenus per Romanas Rubricas ut ſupra choro demandatur, ubi extra chorum dumtaxat *pro temporis opportunitate*. Ceterum ſi adhuc in choro enumeratis diebus omittatur, nullum incurritur peccatum, ſed ſolum deperditur indulgentia centum dierum, cujus propoſitione Pius V. removens peccati periculum, ad dicti officii recitationem allexit. Quod verum eſt ſtante adhuc conſuetudine poſt Bullam Pianam invecta, vel continuata, quia non animo ſe obligandi, ſed magis ex devotione, & gratia adipiſcendi indulgentiam præſumitur inducta, atque ſervata. Quæ hic libaſſe ſufficiat, ne quid deſit, quod ad Defunctos attinet, ſed ea Lector recolat in cap. 46. tomi primi fuſiori calamo exarata.

II. Nunc de iis, quæ ibi non fuerunt diſcuſſa, & dubium ſit, num inſtet menſile hocce Defunctorum officium menſe Novembri, in quo jam locum habet generale aliud commemorationis omnium Defunctorum? ℟. affirmando; habet quippe Rubrica eidem menſi præfixa, *prima die non impedita dicitur officium Defunctorum*. Quid unquam expreſſius? Hinc infer, debere itidem dici aliis menſibus, etſi recitatum foret pro anniverſario, aut alio quovis titulo, & eo quidem potiori jure, quo tituli hujuſmodi nonniſi particularium ſunt, ipſa vero commemoratio generalis eſt omnium Defunctorum, pro quibus omnibus eſt etiam indictum menſile officium. Idipſum adhuc eſſet, ſi ex devotione intra menſem pro omnibus Defunctis jam recitatum fuiſſet, quia cum officium illud primæ diei non impeditæ ſit addictum, nonniſi præſcripta die fructuoſe ad explendam obligationem, & indulgentiam adipiſcendam recitatur.

III. At quid, ſi die, qua menſile occurrit, dicendum itidem ſit ob diem obitus, vel diem anniverſariam? Bis erit dicendum;

dum; tum quia obligationes ejuſmodi pendent ex mente obligantium, quorum unus in caſu eſt Eccleſia, alius vero fundator, atque utriuſque mens eſſe præſumitur, ut una, eademque recitatione ſatisfiat obligationi a ſe impoſitæ. Tum quia altera illarum obligationum, nempe quæ eſt ex legato, vim habet ex juſtitia commutativa, quæ cum ſpectet æqualitatem rei ad rem, expleri non poteſt ſolutione, quæ ſit alteri communis.

IV. Verum eritne bis eadem die ita dicendum, ut neutrum ad diem aliam transferri valeat? Guyetus *lib. 4. cap. 23. q. 6.* reponit, aut bis eſſe dicendum, vel ſi id moleſtum nimis videatur, illud, quod ex fundatione eſt, in alium diem eſſe transferendum; menſile enim, aut hebdomadarium ea Rubricis determinatam diem habet, unde in alteram nequit rejici, & quatenus rejiceretur, non ſatisfieret Rubricis, & indubie deperderentur indulgentiæ, & cum his adhuc Defunctorum ſuffragia, quando intra menſem non occurreret dies alia libera, in qua reſumeretur. Ceterum cum bina Defunctorum officia mutuo non ſe excludant, ſatius erit, ambo officia illa eodem die recitari, ut utrique obligationi, ſicut par eſt, ſatisfiat, nedum quoad officii recitationem, ſed etiam quoad tempus, cui recitatio fuit alligata, licet ad tollendum, ſeu ſublevandum Cleri incommodum, menſile, ſeu hebdomadarium ſubmiſſe dici non reprobemus. In hoc utique peccant Rubricæ Breviarii Auguſtiani, quæ in ſimili occurſu officio menſili præferunt officia commemorationum Ordinis tamquam duplicia, & ſolemniora, quaſi inſtar officii canonici duo officia Defunctorum ab eadem ſe die expellerent, & quatenus ita foret, recitatio arbitraria ratione ritus præferenda eſſet obligatoriæ, cum tamen inter officia ipſa canonica, quæ inter ſe ſe ſunt incompatibilia, officium de præcepto, licet inferioris ritus, præſtet cuicumque ad libitum, vel arbitrario. Vel itaque amborum recitationi in caſu incumbendum foret, immo deberet, aut quando gratia præcavendi incommodi alterutrum transferri liceret, magis translationi committi deberet officium commemorationis arbitrarium, quod tamen cum in caſu juxta Rubricas non transferretur ratione ſcilicet occurrentis alicujus impedimenti, ſed cauſa voluntatis, dubium ſit, an ſecum ferat privilegium miſſarum de Requiem in feſto duplici.

V. Ex his habes facile, quod ſi in die commemorationis omnium Defunctorum cum officio tumulandum ſit cadaver aliquod, aut ſtate recurrat anniverſarium alicujus Defuncti, vel ea fundatione dicendum ſit officium Defunctorum, hoc dicendum erit ultra illud, quod eſt in præcepto ratione occurrentis commemorationis; per idem enim officium utrique obligationi ſatisfieri non poteſt, quare & Decretum 7. cap. 1., ſi incidat dies obitus, ultra miſſam conventualem de omnibus Defunctis, miſſam alteram demandat de die obitus. Quoniam tamen in eo differt dies obitus a die anniverſario, quod hic transferri poteſt, non ille, ſatius erit anniverſarium in alterum diem transferri, vel immutari ad tollendum Cleri incommodum, & ne celebria illa duo officia ſe mutuo impediant. Idem judicium facito de officio ex fundatione, ſi pro particularibus Defunctis ſit indictum, quia hoc ipſo infert multiplicationem onerum, ſecus ſi demandatum ſit dici pro omnibus Defunctis, quia tunc jure præſumitur non eſſe, niſi alio titulo præſcriptum illud idem, quod Eccleſia eo die demandat, ut late traditur *tom. 1. cap. 41. Decr. 7.* Si vero eadem die recurrere poſſent officium dictæ commemorationis, & officium menſile, etſi utrumque indictum ſit in ſuffragium Defunctorum omnium, adhuc per unius recitationem non ſatisfieret utrique obligationi, quarum utraque invehit diſtinctum onus, & pro diverſa die indictum, quod conſequenter numquam in unum coaleſcere valet, etſi per accidens quandoque in eandem diem incidat, in qua propterea nihilominus perſolvendum erit, quin eorumdem alterum transferri valeat, cum in ejuſmodi caſu utrumque juxta Rubricas eadem die recurrat, & neutrum ſit arbitrarium, ſed utrumque in præcepto conſtitutum. Hinc autem habes, cur etſi utrumque ſimul fieri collaudavimus, adhuc illud commemorationis Defunctorum Ordinis transferri poſſe diximus, quia ſcilicet eſt arbitrarium, quod tamen in reliquis conditionem commemorationis omnium Defunctorum, de qua modo dicebamus, ſequi debet, ita ut ipſum magis retineri debeat, anniverſario, & officio fundationis tranſlato, ne lædatur monaſteriorum convenientia in celebratione ejuſdem, ob quam privilegiis pluribus videbimus illud fuiſſe decoratum.

VI. Succedit quæſtio, num impeditis cunctis feriis ſecundis Quadrageſimæ, vel Adventus, Officium Defunctorum recitari debeat ratione menſis in aliis feriis non impeditis? Negat Gavantus *ſect. 9. cap. 2. num. 12.*, & Guyetus *lib. 4. cap. 23. q. 4.*, quia Rubricæ Martii, & Decembris reſpective habent: *Ante Quadrageſimam, vel Adventum prima die non impedita dicitur officium Defunctorum*; quæ verba ſeorſum faciunt, quod intra Quadrageſimam, & Adventum nulla habenda ſit ratio menſis. Adderem ego Rubricam officio Defunctorum præfixam, quæ facta generali diſpoſitione de eorum officio dicendo qualibet prima die menſis non impedita extra tempus paſchale, ſtatim ſubdit: *In Adventu autem, & Quadrageſima feria ſecunda cujuslibet hebdomadæ ſimiliter non impedita*; dictio namque *autem* eſt adverſaria, & importat diverſitatem diſpoſitionis, præſertim quando præcedit diſpoſitio generalis. Iterata autem repetitio ejuſdem officii, quæ tunc temporis indicitur, abunde compenſat omiſſionem, quæ aliquando evenire poteſt.

VII. Dubitant nonnulli, num prima die menſis recitandum ſit idem officium quando recitatum eſt in ultima præcedentis, ſed ejuſmodi dubium jam affirmative a Rubrica reſolvitur, dum illud demandat *prima cujuſcumque menſis die non impedita*; per recitationem enim in ultima die menſis non ſatisfit, niſi obligationi labentis menſis, cur itaque iterum in prima die menſis recitandum non erit in adimplementum obligationis menſis incipientis? Quo in caſu primæ ejuſdem veſperæ dici debent poſt veſperas ultimæ diei menſis præcedentis, a quibus incipit prima dies menſis ſequentis juxta ritum Eccleſiaſticum.

VIII. Quas Defunctorum veſperas poſt veſperas præcedentis diei, etſi feſtum de præcepto incidat, aut dies Dominica, Decretum præcipit, & conſonanter quidem ad Rubricas, quæ abſolute eaſdem demandant poſt veſperas præcedentis diei, etſi probe ſciant, quod iſtæ nonnumquam eſſe poſſunt de die Dominica, aut feſtiva. Diſertior eſt Rubrica Dominicæ primæ Quadrageſimæ, & feſti omnium Sanctorum, quæ poſt veſperas ejuſdem Dominicæ, & feſti Veſperas Defunctorum ſtatuit eſſe dicendas. Nec dicas, hoc ideo, quia in priori caſu ſunt Dominicæ luctus, & mœroris, in poſteriori autem diſpenſationem fieri in gratiam ſolemnis commemorationis, quæ eſt dies adjuvandis mortuorum ſpiritibus ſpecialiter deſtinata; hoc enim effugium penitus diſſipat Rubrica menſis Decembris, quæ dum ante Adventum prima die non impedita demandat feriale Defunctorum officium, hujus conſequenter veſperas conſignat præcedenti diei feſtivæ S. Andreæ, cum in menſe Decembri ante Adventum dumtaxat prima dies ejuſdem menſis poſſit eſſe inimpedita.

IX. Fortaſſe oppones Dominicæ myſteria, & diei feſtivæ jucunditatem, quas ob rationes commemoratio ipſa Defunctorum, & anniverſarium, ſi quod incidat, in diem ſequentem transfertur. Verum quam effugis, in foveam incaute incidis, nam allegata ita in ſequentem diem transferuntur, ut adhuc in præcedenti feſtiva poſt veſperas diei aſſequantur ſuas veſperas. Quæ igitur Defunctorum ſunt, a diebus Dominicis, & feſtivis ante ſecundas veſperas abiguntur, ſecus poſt ſecundas earundem veſperas, quia tunc temporis expleta cenſetur diei ſolemnitas, & juxta Eccleſiæ ritum dies ſequens incipit. Quod autem in rationem profert Gavantus *num. 15.*, nempe quod ſic populus frequentior audit Defunctorum veſperas, Defunctis quidem utilius eſt, ſed ad rem non facit, alias quippe quæ Defunctorum ſunt, in corpore dierum feſtivarum, in quo frequentior interfuiſſet populus, debuiſſent admitti.

DECRETUM VI. CAPITIS, IN ORDINE XIII.

Officium Defunctorum non poteſt dici in ſemiduplicibus, & officiis novem lectionum, niſi ad effectum dumtaxat ſatisfaciendi menti Teſtatorum. S. R. C. 12. Julii 1728. *in Januenſi*.

I. NIſi eſt dictio exceptiva, adverſativa, & taxativa, quare cum eandem præcedat oratio negativa, Decretum ſenſum redderet, quod ad ſatisfaciendum menti Teſtatorum (qui eſt caſus, quem afficit dictio *Niſi*) dici quidem poteſt officium Defunctorum in ſemiduplicibus, & officiis novem lectionum, non autem pro quocumque alio caſu. Quem ad ſenſum adhuc apprime confert dictio *dumtaxat*, quæ ſimiliter taxativa eſt, limitativa, & excluſiva. Plus tamen æquo rigida evadit hæc expoſitio, quatenus omnes alios excludit caſus, & nimis liberalis caſui, cui favet, quare res ſeveriori examini ſubjicienda venit.

II. Uti autem certum eſt, quod præſens ſanctio non afficit officium commemorationis omnium Defunctorum Eccleſiæ catholicæ, vel alicujus Religionis, de quo procedunt, quæ de eodem particulariter diſponunt Decreta in reſpectivis capitibus expoſita, ita eſt indubium, non vetari tale ſuffragium diebus ſingulis, nullo excepto, poſſe privatim in propriis domibus, aut publicis Eccleſiis a quolibet particulari animabus Purgatorii adhiberi; eſſet enim alias ſentire de pia matre Eccleſia in crudelitate, non vero bonitate erga eaſdem animas, quas ceteroqui adjuvare ſemper eſt ſolita, & præſertim, quia rationes, quæ congruæ ſunt pro intermiſſione ejuſdem officii in caſibus aliis, haud militant de ejuſmodi privata, & ſubmiſſa recitatione, ut infra apparebit.

III. Verum ut Decreti mens arripiatur, & hinc ejuſdem dignoſcantur limites, fas eſt advertere, quod ſenſere nonnulli, officium Defunctorum, quod vi Rubricarum menſe quolibet in prima die non impedita in præcepto eſt conſtitutum, recitandum eſſe in ſemiduplicibus, vel aliis novem lectionum officiis, quando dies omnes menſis impeditæ inveniuntur. Arbitrabantur alii, quod non obſtante Rubrica Breviarii, quæ ſemiduplicia, & officia quælibet novem lectionum ab onere dicti officii declarat immunia, adhuc ſervanda foret antiqua conſuetudo illud recitandi in officiis novem lectionum, prout vigebat ante Bullam Pianam, & poſt hanc continuata fuit, quemadmodum Congregatio ipſa 1. Sept. 1607. id jam declaraverat de officio parvo B. Mariæ, non obſtante Rubrica Breviarii, quæ officia novem lectionum non minus ab hoc officio facit libera, ut nos ipſi diximus *in tom. 1. cap. 46. Decret. 1.* Conſuetudinem itidem, quæ ſubſequenter inducta, & præſcripta foret, non minori obligandi vi gaudere putarunt alii, a pervigiliis Pentecoſtes, SS. Joannis Baptiſtæ, Laurentii, & omnium Sanctorum edocti, quæ nonniſi ratione ſimilis conſuetudinis cenſentur in præcepto, uti & Regulares addicti choro, & in ſacris non conſtituti, non alia ratione ad recitationem officii divini obligantur. Contra hos omnes præſens prodiit Decretum, quia Rubricæ expreſſe eximunt ab onere dicti officii officia quælibet novem lectionum,

& illud

Digitized by Google

& illud diſerte demandant prima die non impedita, quare omnino gratis, & arbitrarie in caſu dierum omnium impeditorum fingitur in præcepto in officiis novem lectionum. Conſuetudinem præviam ad ſuam Bullam omni obligandi vi expoliavit Pius V., reſtrinxit ad nonnulla tempora officiis novem lectionum non impedita, & in his adhuc reatui culpæ omiſſionem noluit obnoxiam, ſed ſolum deperditioni indulgentiarum, quarum propoſitiona ad recitationem alleait. Conſuetudo ſubſequens non animo ſe obligandi, ſed pietatis cauſa jure invecta præſumitur, aut continuata, & ideo haud potis obligare juxta late tradita *tom.* 1. *cap.* 8. *Decr.* 3. Bene ergo deciditur, quod vi Rubricarum, aut conſuetudinis, vel mandato Eccleſiæ in ſemiduplicibus, ſeu officiis novem lectionum officium Defunctorum dici non poteſt, ſeu magis non obligat.

IV. Diverſa eſt autem ratio de Rubrica Breviarii quoad officium B. Mariæ, quia licet hocce officio officia quælibet novem lectionum declaret libera, trahenda tamen eſt ad tramites Pianæ conſtitutionis, vi cujus in Breviarium fuit inducta; Piana autem conſtitutio officia quælibet novem lectionum officio Deiparæ facit immunia, ſed *ſine præjudicio ſanctæ conſuetudini* celebrandi dictum officium, quam in choro *more ſolito* ſervandam eſſe diſerte ſtatuit. Quam conſuetudinem cum minime præſervet in favorem officii Defunctorum, idcirco hoc unice in præcepto cenſeri poteſt, prout cantat Rubrica Breviario inſerta. Ad rem hanc abs re non erit recolere, quæ late fuerunt tradita in capite 46. tomi primi; & præſertim in Decretis primo, & ſecundo ejuſdem capitis. Quæ vero dedimus in eodem tomo cap. 8. Decr. 3. num. 37., ubertim evincunt in conſuetudine officii Defunctorum haud adeſſe conditiones illas, quæ communiter aſſignantur ad dignoſcendum, quando conſuetudo animo ſe obligandi fuit invecta, quæque ceteroqui agnoſcuntur in prædictis conſuetudinibus vigiliarum, & recitationis officii divini. Si namque longæva quælibet, & præſcripta conſuetudo vim obligandi aſſequeretur illico, propemodum infinitis tenerentur Religiones obligationibus jejuniorum, diſciplinarum, orationis mentalis, exercitiorum ſpiritualium, litaniarum B. Mariæ &c., quas nemo cordatæ mentis agnoſcit.

V. Diximus *ſeu magis non obligat*, quia voluntaria ejuſdem officii recitatio, cum ea ſe ſit admodum laudabilis, & conjuncta cum charitate proximi, nec officiat celebritati diei, ſi nonnulla demas feſta, de quibus inferius, numquam rite cenſeri valet rejecta. Idipſum conſequenter erit de eodem officio recitando ex propria pietate, aut vi voti, regulæ, conſtitutionum, ſeu alia quacumque de cauſa, puta mercede, pacto, promiſſione &c., ita ut in hiſce caſibus, ſi obligatio præſertim juſtitiæ, fidelitatis, aut religionis habeatur, nedum poſſit, ſed etiam debeat, ſi vero obligatio non adſit, ſaltem dici poſſit præfatum officium, uti reipſa in uſum deducunt Eccleſiæ plurimæ. Quibus non officiunt taxativæ Decreti dictiones, hæ quippe non excludunt caſus ſimiles, vel habentes eamdem rationem cum caſu excepto, nec Decreta umquam præſumuntur inhibere opera pietatis, vel aliarum virtutum.

VI. Hactenus de caſibus exclusis, & non exclusis, nunc de caſu excepto, cui non renituntur Rubricæ, quæ dum officium Defunctorum ab officiis novem lectionum ablegant, loquuntur de eodem dicendo ratione ſuffragiorum generalium, non ad adimplendam Teſtatorum mentem, cui multum honoris ſemper Eccleſia detulit, ut in ejuſdem gratiam ſuper generalibus ſuis legibus, quæ Miſſas de Requiem inhibent, etiam non ſemel diſpenſare conſueſcat. An autem hac de cauſa diebus ſingulis dici queat, quæſtio alia eſt, quam præſens Decretum, dum illud ſimpliciter indulget *in officiis novem lectionum*, necnon ſequens ſanctio, quæ ſimiliter præſtat *pro diebus exceptis a Breviario*, affirmative videntur reſolvere. Verum cum diſtinctione nos procedendum eſſe credimus. Si ſermo ſit de die obitus, ſeu depoſitionis, vel quaſi obitus, diebus 3. 7. 30., vel anniverſaria, omnibus iis diebus, quibus miſſa ſolemnis de requiem infra declarabitur licita, licita item erit, licet ſolemnis, & publica, recitatio ejuſdem officii. Idipſum ſit de caſibus aliis, in quibus ad Teſtatorum mentem implendam, vel vivorum voluntatem miſſa ſolemnis de requiem, & multo magis privata dici poteſt. At quoniam inter officium, & miſſam ratio eſt admodum diſpar, ad anguſtias has non eſt res redigenda. Officium cum diei ſuperaddatur officio, huic nullum affert præjudicium, ubi miſſa abripitur feſto, cui debet eſſe conformis, & inſuper Defunctorum miſſa ſuppleri poteſt per miſſam de die, non officium per officium.

VII. Si itaque una cum officio dicenda ſit miſſa, congrue quidem officium rejicitur ad diem Miſſæ, ſed ſi placeat, miſſam ſupplere per eam de die, vel eamdem dividere ab officio, ut per hujus ſaltem recitationem, ſi non poteſt per Miſſam, Defunctis acceleretur ſuffragium, aut denique Miſſa non ſit itidem indicta, officio Defunctorum latius utique patet ſpatium. Gavantus *num.* 20. excipit feſta primæ, & ſecundæ claſſis, ac triduum mortis Chriſti; quibus conſequenter addit dies feſtivos ſolemnes, dum horum minus ſolemnes privilegii non facit participes. Meratus *ibidem num.* 9. de more jurat in ejuſdem ſententiam, & Guyetus *lib.* 4. *cap.* 23. *qu.* 12. in eo ſolum diſcrepat, quod etiam Dominicæ exceptionem ponit, & ſic cujuslibet diei feſtivæ, licet minus ſolemnis.

VIII. Præclaris hiſce Auctoribus (ſi demas diem obitus, cujus officium licitum credimus omnibus diebus illis, quibus de eodem Miſſa ſolemnis de requiem haberi poteſt) nos ipſi adhæremus quoad exceptionem feſtorum primæ, & ſecundæ claſſis, quorum lætitia, & ſolemnitas perturbaretur admodum per præfatum luctuoſum officium, a qua perturbatione ſaltem immunia eſſe debent feſta majora, quibus a Rubricis ipſis multum honoris, & privilegii deferri alibi obſervavimus. Et quidem potior hæc fuit ratio, ob quam in prædictis feſtis diſpenſatum non extitit ſuper Miſſis ſolemnibus de requiem, licet occurreret commemoratio ipſa omnium Defunctorum, vel aliquod anniverſarium. Hiſce duplicibus ob eamdem cauſam adde dies quaſcumque Dominicas, & feſtivas, uti utique aliter evincunt tradita in Decreto 1. cap. 1. Quæ autem dedimus in Decr. 5. cap. 1. translationi non conſignant Defunctorum officium, non feſtum, ſi occurrat aliquod, licet duplex minus, ſpecialem adjunctam habens ſolemnitatem propter rationis diverſitatem; ibi enim quidem feſtum transferendum eſſe diximus, ſed cauſa ſolemnitatis, qua commemoratio Defunctorum præ feſto gaudet, & convenientiæ, quæ alias minus congrue tolleretur in celebratione præfatæ communis celebritatis; in noſtro autem caſu nec locum habet ejuſmodi convenientia, & alias feſtum officio Defunctorum in ſolemnitate præſtat, in qua minus apte illud perturbaretur. Triduum denique mortis Chriſti, quando adhuc non haberetur expreſſum Decretum S. R. C. 11. Auguſti 1736., de quo in cap. de exequiis, ex eo titulo excipiendum venit, quod gaudet ritu duplici primæ claſſis.

IX. Quæcumque vero feſta alia duplicia, etiam majora per annum, cum ſuſtineant Miſſam ſolemnem de requiem cadente aliquo anniverſario, indifferenter pati & poterunt Defunctorum officium, quod nullum officio diei affert incommodum, & minus lætitiæ feſti adverſatur. Decretum S. R. C. 8. Julii 1741., de quo in capite de Abſolutione, dum reſponſorium pro Defunctis ex diſpoſitione Teſtatorum quotidie canendum, ſingulis quidem diebus decantari permittit, ſed *exceptis feſtis* 1. *& 2. claſſis, & octavis privilegiatis, nec non tota hebdomada majori*, ſuperius tradita confirmare videtur, indubie quippe minus feſti celebritati officit breve Defunctorum reſponſorium, quam officium ipſum.

X. Hinc volo eruas, ſolemniter nec poſſe decantari Defunctorum officium *in octavis privilegiatis, & in tota hebdomada majori*, ferunt ſiquidem illæ ſecum lætitiam feſti, ob quam privilegiatæ extiterunt contra anniverſaria ipſa, & hebdomada major eſt adeo conſecrata memoriæ paſſionis Chriſti, ut nec interrumpi valeat a feſto primæ claſſis, quaſcumque etiam anniverſarii, immo & Titularis, qui cum transfertur ob feſta alia, eſto primæ claſſis, non continuo ſolemnem ſuam Miſſam deperdit, excludat Miſſas, & officia ipſa additicia, ſcilicet officium parvum B. Mariæ, pſalmos graduales, & officium Defunctorum; quod in qualibet feria ſecunda non impedita intra Quadrageſimam dici ſolet. Adjungenda videtur feria IV. Cinerum ob privilegium, quo gaudet contra quodcumque feſtum, & Miſſas de requiem, niſi præſente corpore, & id juris facit vigiliis Nativitatis, & Pentecoſtes privilegium non diſſimile. Nos tamen quid temere definire nolumus, ſed magis cum Decreto tacere, & quatenus quid cogeremur dicere, prædictum admitteremus officium in feria IV. cinerum, quia cum non reſpuat officia addititia Beatæ Mariæ, & pſalmorum gradualium, talis cenſita non eſt, quæ officium addititium Defunctorum debeat recuſare, quod & ratione hebdomadæ indubitanter admitteret, ſi in feriam ſecundam poſſet incidere. Secus nos ſentire facerent ſpeciales prærogativæ, & privilegia, quibus pervigilia Nativitatis, & Pentecoſtes obſervamus ſuffulta, ſed cum his vigilia Epiphaniæ minime gaudeat, nec ſit vere Dominica, licet vices Dominicæ fortaſſe teneat, hanc dicto officio non faceremus immunem.

XI. Succedit quæſtio, an diebus illis, quibus idem officium publice dici non poteſt, privatim dici debeat, aut magis ad diem aliam transferri? Idem Decretum, dum in caſu prædictum reſponſorium privatim abſolutis horis canonicis dicendum eſſe ſtabilit, quid ſimile faciendum ſimul edocet de Defunctorum officio. Nos tamen cum diſtinctione reponimus; vel enim recitatio ejuſdem officii eſt mere arbitraria, & ex particulari pietate, & tunc ſicuti recitatio ipſa in ſolo eſt poſita arbitrio, ita & modus, & dies, quo, & in quo haberi debet, quare in caſu integrum erit, aut eamdem privatim habere, vel ad diem alteram amandare. Vel eſt in præcepto conſtituta ratione mercedis acceptæ, aut alio ſimili titulo, & tunc ut obligationi, quæ ſupponitur de publica decantatione, ut par eſt, ſatisfiat, privatim habenda non eſt, ſed transferenda; differens admodum enim eſt ratio de caſu Decreti, in quo ſupponitur reſponſorium quotidie de præcepto cantandum, ac proinde etiam die illo, in quem transferendum foret. Quod ſi quid ſimile de Defunctorum officio diſpoſitum eſſet, non dubitamus, quod magis privatim recitandum foret ad Decreti tramites, quia minus utique apta de eodem Defuncto una die bina publice haberentur officia, & defraudaretur alias pia Teſtatorum voluntas, quæ præfata officia diſtributa voluit per ſingulos anni dies, quibus in caſu modo poſſibili ceteroquin haberentur.

XII. Quæ autem expoſitio tenet, dicta ſint de publica, & ſolemni ejuſdem officii decantatione, vel recitatione in corpore dictorum dierum, non autem ſub veſperum, vel poſt ſecundas veſperas, ut dicebamus in præcedenti Decreto, cum exceptione tamen nonnullorum ſolemniorum dierum, in quibus nec poſt ſecundas veſperas haberi convenit, ut evincunt tradenda in capite ſequenti. Submiſſe vero licitum ſit etiam in corpore quorumcumque dierum illud dicere, aſt conſultius ſit hoc pacto illud recitare abſolutis horis canonicis.

DECRETUM VII. CAPITIS, IN ORDINE XIV.

Officium Defunctorum dici poteſt in choro ſeparatim ab officio diei in diebus exceptis a Breviario pro adimplenda Teſtatorum voluntate, S. R. C. 12. Aug. 1682. *in Triventina*.

I. UBer expoſitio, quam præcedenti ſanctioni fecimus, præſenti & porrigit limites, & intellectum, quare ponderandam ſtatim arripimus dictionem *ſeparatim*, ea qua fallimur, ſi non ſit, qui inferat, quod defunctorum officium dici quidam poteſt in diebus exceptis a Breviario; ſed non uniri cum officio diei per ſubtractionem verſus *Fidelium animæ*, & omiſſionem antiphonæ finalis B. Mariæ, quibus abſolvi ſolet officium canonicum. Quando defunctorum officium non dicitur de Rubricarum mandato, ſed ex devotione, vel ex Teſtatorum voluntate, in tomo primo cap. 40. Decr. 5. Carellum, & Euſtachium a S. Ubaldo docere vidimus, quod officio canonico conjungi non debet, ſed ſeparatim illo prius perſoluto per prædictum verſum *Fidelium animæ*, & finalem Antiphonam, ſecus vero ſentire Gavantum, Caſtaldum, Rubeum, Biſſum, Arnaudum, atque Guyetum, Auctores in re rubriciſtica indubie præclariores, e quarum partibus, etſi noſtram mentem clare non expreſſerimus, ea ibi productis nos ipſi magis ſtare videmur. Ejuſmodi opinioni quiſque videt quammaxime obeſſe dictionem *ſeparatim*, ſub qua ſanctio exceptis diebus concedit Defunctorum officium; nos tamen eam non tanti facimus, ut a prædictorum Auctorum ſententia nos recedere faciat. Decretum eſt mere affirmativum; quis autem eſt adeo bardus, ut neſciat, quod hujuſce rationis Decreta affirmant quidem partem, quam ſtatuunt, ſed non negant contrariam, quam ſilent, quando etiam dictio per petitionem jure credi non poſſet invecta? Exceptis itaque, ut ſupra, diebus licitam quidem dicimus præfati officii ſeparatam recitationem, ſed non minus conjunctam, immo hanc conſultiorem, & nedum quia ex modo in præceptivis recitationibus teneri præſcripto diſcimus, quomodo nos debeamus gerere in arbitrariis, ſed etiam quia dum Decretum S. R. C. 5. Maii 1736. in veriori ſui expoſitione laudibus diei jungit matutinum commemorationis Defunctorum alicujus Religionis, quod non eſt de Rubricarum mandato, ſed arbitrarium, nos ſufficienter inſtruit, quod liberum eſt, immo conſultius etiam arbitrarias officii Defunctorum recitationes officio diei conjungere.

II. Nunc lubet perquirere, an quando veſperæ, vel matutinum Defunctorum ſeparatim dicuntur ab horis canonicis, præmittenda ſit oratio dominica? Id præſcribere Cœremoniale Papæ *lib. 2. ſect. 2. cap. 24. & 25.*, & Cœremoniale Episc. *lib. 2. cap. 10.*, inquit Gavantus *ſect. 9. cap. 2.* ne videlicet inchoentur ex abrupto; Guyetus vero *lib. 4. cap. 23. q. 22.* idipſum fieri laudat tum in initio, tum in fine. Quoniam tamen Rituale Romanum nihil ejuſmodi præſcribit, licet agat de eodem officio ſeparatim dicendo, nec diſſimiliter præſtat Breviarium, tibi haud licitum eſſe putes ab eorumdem diſcedere legibus, licet Papa, & Epiſcopus reſpectivum Cœremoniale ſervare debeant, non quando privatim recitant, ſed quando ſolemniter celebrant, ad cujus dumtaxat inſtructionem prædicta Cœremonialia prodiere.

III. Succedit perquirere, num quando dicuntur conjunctim cum officio diei, in fine ſubdi debeat eadem oratio Dominica? Affirmat Guyetus *quæſt. 21.*, ſi non ſequatur alia hora dici; habet enim Rubrica 32. Breviarii, *finitis horis dicitur ſecreto Pater*, unde cum in caſu poſt officium Defunctorum finiantur horæ canonicæ, cum quibus illud conjungitur, utique præfata oratio Dominica ſubdenda videtur. Vide modo exceptionem, quam eadem Rubrica ſuæ apponit diſpoſitioni, *Niſi ſequatur officium B. Mariæ, quia tunc poſt illud dicitur, & niſi alia hora ſubſequatur, qua finita dicitur Pater, ita ut ſemper dicatur in fine ultimæ horæ.* Dictio *ſemper* per juriſperitos ſtat *pro omni tempore, & omni caſu*, ergo niſi alia ſequatur hora canonica, in fine ultimæ horæ *Pater* ſemper dici debet, non præcedenter ad officium Defunctorum, quod Rubrica conjungit officio diei, & huic propterea adimit verſum ipſum *Fidelium animæ &c.*, ergo poſt officium Defunctorum, in quo terminari cenſetur hora canonica. Exemplum officii B. Mariæ, poſt quod injungitur recitatio orationis Dominicæ, quando conjunctim illud dicitur cum officio diei, non obſcure indicat, idipſum faciendum eſſe in caſu officii Defunctorum; non minus enim illud extraneum eſt officio canonico, & juxta legum regulas diſpoſitum pro uno caſu, pro quibuſcumque ſimilibus caſibus cenſetur diſpoſitum. Ejuſdem tamen orationis Dominicæ ſilentium imponit Biſſus *lit. O. num.* 108. §. 3., cui conſuetudo videtur conformis; cuinam autem magis ſtandum ſit, ex dictis tu judicium facito, dum nos progredimur duo annotare, quorum unum eſt, quod ſi poſt officium Defunctorum ſequatur alia hora canonica, poſt hanc indubie ſubdenda erit oratio Dominica ad allegatæ rubricæ tramites, juxta quos cum in fine cujuſvis horæ canonicæ diei debeat, quando terminatur officium, ex ſe profecto ipſa illam expoſcit, quando etiam ratione præcedentis horæ dicenda non foret. Alterum ſit, quod cum nullibi in fine officii defunctorum oratio Dominica ſit dici præſcripta, compertum eſt, quod dici non debet, quando idem officium ſeorſim ab officio canonico recitatur; quatenus enim, quando defunctorum officium conjungitur officio diei, præfata oratio dicenda foret, id ei convenit ratione horæ canonicæ, cum qua conjungitur, unde ſi hac conjunctione expoliatur, neceſſe pariter eſt expolietur eadem oratione Dominica.

IV. Antiphonæ finales B. Mariæ, quæ in choro poſt quamlibet horam, quoties a choro diſcedendum eſt, ſin autem, poſt ultimam horam ſemper de præcepto dicuntur, juxta rubricam Breviarii 36. num. 3. *numquam dicuntur poſt aliquam horam, quando ſubſequitur cum officio diei officium defunctorum, præterquam poſt completorium, in quo ſemper dicuntur, etiamſi prædictum officium ſubſequatur*; unde cum officium Defunctorum numquam ex vi rubricarum ad completorium ſequatur, in tomo 1. cap. 40. Decr. 5. num. 5. rite intulimus, eaſdem Antiphonas eſſe omittendas, ſive ad officium diei ſequatur officium Defunctorum ex rubricarum præſcripto, vel ex vi legatorum, aut ex particulari devotione. Ad rem adhuc maxime confert, quod per rubricam poſita generali regula ſemper dicendi Antiphonas finales poſt quamlibet horam canonicam, quando terminatur officium, ex verba *Numquam vero dicuntur poſt aliquam horam, quando &c.*, nos edocent tria, quorum primum eſt, quod officium defunctorum cuicumque horæ canonicæ jungi valet, ut ſentit Guyetus *q.* 23., & non tantum veſperæ veſperis, & Matutinum Laudibus diei, quemadmodum rubricæ præcipiunt de eodem officio vi rubricarum dicendo. Secundum eſt, quod poſt quamcumque horam dicatur, ſemper omitti debent præfatæ Antiphonæ, & quidem nedum ante officium Defunctorum, pro quo caſu vix dubium fingi poteſt, cum rubricæ per ademptionem verſus *Fidelium animæ* jungant Defunctorum officium officio diei, ſed etiam poſt idem officium Defunctorum, quem ad caſum dumtaxat eſt applicabilis diſpoſitio rubricæ. Tertium denique eſt, quod ſi poſt officium Defunctorum dicatur alia hora canonica, in hujus fine dici debent Antiphonæ finales, non ratione horæ, quam ſubſecutum eſt officium Defunctorum, ſed ratione horæ, quæ dicta eſt poſt idem mortuorum officium.

V. Indubia hæc ſunt quoad chorum, in quo poſt quamlibet horam canonicam Antiphonæ finales dici mandantur, ſi a choro eſt diſcedendum, ſed ſic non eſt extra chorum, ubi cum horæ minores non expoſcant præfatas Antiphonas, non leve dubium poteſt inſtitui, an conjunctim recitato Matutino diei cum officio Defunctorum, ſi addatur alia hora ex minoribus, & ſtatim terminetur officium, addenda ſit congruens ex prædictis Antiphonis. Et videtur, quod non, quia horæ minores extra chorum eaſdem non exquirunt Antiphonas, & quæ dici debebat ratione laudum, a ſubſequenti Defunctorum officio fuit perempta. Quoniam tamen rubrica etiam extra chorum in fine laudum Antiphonas finales dicendas eſſe mandat, & ſi alia ſubſequatur hora, in fine ultimæ horæ, haud ambigimus in caſu Antiphonam finalem eſſe dicendam, diſpoſitionemque ejuſdem rubricæ, quæ laudibus eamdem Antiphonam abripit, quando ſubſequitur Defunctorum officium, manere reſtrictam ad caſum, in quo dicto Defunctorum officio progrediendum non eſt ad aliam horam canonicam.

DECRETUM VIII. CAPITIS, IN ORDINE XV.

Duplicatio Antiphonarum præter diem commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, & diem depoſitionis Defuncti, fiat in diebus 3. 7. 30., & anniverſario. S. R. C. . . . Martii 1738.

I. DE die commemorationis omnium fidelium Defunctorum, & die depoſitionis dubium quodlibet tollit rubrica Breviarii, quæ *de off. dup. num.* 1. in iiſdem duplex demandat officium. Aliorum dierum Breviarium non meminit, ſed ſupplet Rituale, quod *tit. de offi. Defunct.* hæc verba tenet: *In die vero depoſitionis, & tertio, ſeptimo, & anniverſario duplicantur Antiphonæ.* Ajes, deeſt in textu dies trigeſimus. Ita quidem, ſed idem Rituale ſupplet *de exeq. abſ. corp.*, ubi etiam in die 30. Antiphonarum duplicationem diſerte mandat. Et quidem dies hi omnes, non excluſo trigeſimo, ſuis non carent myſteriis, & ſunt æque ſolemnes, quare etiam in omnibus prælata ſolemnitatis ſignificatio eſt adhibenda.

II. Annon item alias? Guyetus *quæſt.* 16. haud renuit, *quandocumque ſolemniter dicuntur tres nocturni*, & ab hac opinione non abit Gavantus *num.* 3., licet nec repugnet ritum ſemiduplicem adhiberi, ſi minus ſolemniter tale agatur officium. Rem decidat Rubrica V. Miſſalis *num.* 3., quæ ultra enumeratos dies unam tantum orationem aſſignat in Miſſa, *quandocumque pro defunctis ſolemniter celebratur*; orationis autem unicitas in Miſſa, ritum duplicem arguit in officio. Verum quid juris erit, ſi unum dumtaxat dicatur nocturnum? Guyetus idem habet judicium, & cum id minime detrectet Rituale pro diis depoſitionis, 3. 7. 30., & anniverſario, idipſum liceat nobis dicere de quocumque officio ſolemni. In enumeratis itaque diebus, & in quolibet officio ſolemni duplicentur antiphonæ, etſi unum dumtaxat dicatur nocturnum, & ritu ſimplici procedatur in officio non ſolemni, etſi novem lectiones in eo legantur; non enim nocturnorum triplicitas ritum infert duplicem, alias in exequiis præſente corpore, quando unum tantum dicitur nocturnum, ritu ſimplici dici deberet, nec deſunt plurima ex officiis ipſis canonicis, quæ ritu ſemiduplici excoluntur, licet in iiſdem novem lectiones legantur. Ritus duplicis itaque cauſa in Defunctorum officio magis erit ſolemnitas, quæ ſi intereſt, nihili refert, ſive unum, ſive tria dicantur nocturna.

DE-

DECRETUM IX. CAPITIS, IN ORDINE XVI.

Quando ab aliqua Congregatione dicitur totum officium Defunctorum, non debet illud dici ut ſecunda die Novembris, omittendo pſalmos poſt veſperas, & matutinum poſitos in officio Defunctorum. S. R. C. 5. Julii 1698. *in Collen.*

I. EO vergit Decreti ſcopus, ut non continuo in precibus officii Defunctorum omittendi ſint pſalmi, per hoc quod ſub tribus nocturnis dicatur; at quoniam hac de re in ſequenti Decreto fuſe debemus agere, hic ſurſim nonnulla ponderare malumus, quæ de officio defunctorum dicenda ſuperſunt. Ejuſmodi officium conſtat tribus nocturnis, & cum omnibus tribus eſt in præcepto in commemorationem omnium fidelium defunctorum, non ſic tamen in prima die menſis non impedita, aut feriis ſecundis adventus, & quadrageſimæ, in quibus pro ſuffragiis generalibus unum ſolummodo dicitur nocturnum cum hoc ordine, ut feria 2., & 5. primum, feria 3. & 6. ſecundum, & feria 4., & Sabbato tertium nocturnum ſit recitandum. Qui ordo ſervandus eſt, licet officium pridie veſperi anticipetur, ita ut dicendum ſit nocturnum, non labentis feriæ, in qua dicitur, ſed imminentis, in qua mandatur.

II. Diebus depoſitionis, 3. 7. 30., & anniverſario Rituale tres adſcribit nocturnos, cum hac tamen lege, ut ſi ob temporis anguſtiam, vel aliam urgentem cauſam tres dici nequeant, ſaltem unus non prætermittatur. At quinam dicendus erit? Rituale de exequiis abſente corpore minime diſtinguit, ſed abſolute habet, *vel ſaltem dicatur unum nocturnum;* de exequiis vero ad præſentiam corporis nocturnum aſſignat dicens, *Dicatur ſaltem primum nocturnum cum laudibus*, quare nos ſatius fore credimus etiam in exequiis abſente corpore, diebus 3. 7. 30., & anniverſario, ac quolibet alio officio ſolemni, in quo tres nocturni dici deberent, vel id fieri ſaltem congrueret, nulla ratione habita ad occurrentem feriam primum determinate adhiberi nocturnum; ſic enim ſatis indicatur officii qualitas, & ſolemnitas, quæ tres nocturnos expoſceret, licet ob ingruentem cauſam in poſtremis duobus decurtetur.

III. An in ejuſmodi caſibus duo nocturni dici queant, ſi pro tribus tempus non ſuppetat, inſtitui poteſt quæſtio, quæ attento uſu Eccleſiaſtico, qui officium quodlibet ſub tribus, aut novem lectionibus abſolvit, negative reſolvenda videtur. Rituale aſſignans in propoſito caſu primum nocturnum adhibet dictionem *ſaltem*, quæ ejus rationis eſt, ut non excludat majorem numerum, quam fuit expreſſum, quinimmo firmat ſic, quatenus plus ob urgentem cauſam fieri nequeat. Admodum & relevat, quod ex duobus nocturnis defunctis majus ſuffragium obvenit, in cujus conſpectu parvipendenda venit diſformitas ab officio canonico, quod ſemper trium, vel novem, nunquam ſex lectionum eſt; & præſertim quia in defunctorum officio rigide non ſervantur leges officii canonici, unde & nonnunquam in officio trium lectionum ritus duplex adhibetur, licet nihil ejuſmodi in officio canonico habeatur. Equidem quia Rituale tam de exequiis præſente, quam abſente corpore a tribus nocturnis per dictionem *ſaltem* illico tranſit ad unum nocturnum, cum ad duos tranſire potuiſſet, nos ejuſdem dictionem *ſaltem* ſervari poſſe credimus per excluſionem dumtaxat trium nocturnorum, quin contra ritum Eccleſiaſticum hinc libertas eruatur facta pro duobus nocturnis, licet poſtea eos minime damnandos putemus, qui duorum nocturnorum uberius ſuffragium præſtarent defunctis, ſed piget admodum, quod fallimur, ſi ſit, qui hac utatur libertate, & commiſeratione angatur erga defunctos.

IV. Qui autem ex devotione prædictum officium recitat, integrum eſt ei illud vel trium, aut ſex, ſeu novem lectionum facere, quinimmo, & nocturnorum qualitas in ejuſdem ſita eſt arbitrio: congruum tamen erit, quod qui unum dumtaxat nocturnum dicit, ſe accommodet ſuperius recenſito feriarum ordini, & quatenus etiam in Dominicis id ſuffragii præſter defunctis, primum nocturnum adhibebit, quod eatenus non notat rubrica, quatenus officium ſuffragiorum generalium, ob quod talem ordinem in Breviarium invexit, in Dominicam aptum non eſt incidere. In officiis fundationis, legati, aut ex mercede accepta aliave ſimili de cauſa tam quoad tres, vel novem lectiones, quam quoad qualitatem nocturni attendendæ ſunt voluntates Teſtatorum, ſeu erogantium ſtipem, quæ in legem deſerviunt. Quod ſi hæ non ſe exprimant, ſuperius ſtatuta ſervari poterunt, ut videlicet in diebus depoſitionis, vel quaſi depoſitionis, 3. 7. 30. & anniverſario, quatenus unum dumtaxat nocturnum dici debeat, uti & in quocumque officio ſolemni primum dicatur nocturnum, in reliquis vero teneatur ordo feriarum.

V. Invitatorium *Regem, cui omnia vivunt* cum pſalmo *venite* Rubrica Breviarii dici mandat *in die commemorationis omnium fidelium defunctorum, & in die depoſitionis defuncti*, quibus *num.* 3. Gavantus addit *dies 3. 7. 30., anniverſarium, & depoſitionis abſente corpore, & regulariter, quando tres nocturni dicuntur*; qua in re cum concordent Durandus *lib.* 5. *cap.* 3., Guyetus *quæſt.* 17., Corletus, Baruffaldus, aliique communiter, dubitari non licet. At idipſumne erit, ſi unum ſolummodo dicatur nocturnum? Utique in die obitus præſente corpore, cum id diſerte mandet Rituale, quod nos cum Guyero, & Gavanto fatemur extendi poſſe ad dies 3. 7. 30., anniverſarium, & depoſitionis abſente corpore, ac ad quodcumque officium ſolemne.

VI. En modo Rubricam, qua reſponſorium longius *Libera me* in Breviario aſſigitur: *Dicitur ſolummodo in die commemorationis omnium defunctorum, & quandocumque pro defunctis dicuntur novem lectiones.* Cum dictio *ſolummodo* ſit taxativa, excludit quoſcumque dies alios, uti dictio *Quandocumque*, quia univerſalis, comprehendit quodlibet officium novem lectionum, etſi ritu ſemiduplici, & ſine ſolemnitate celebretur; quare nec præſente corpore, ſi unum dumtaxat dicatur nocturnum, præfatum reſponſorium dicendum erit.

VII. Preces in veſperis poſt Magnificat, & in laudibus poſt Benedictus *flexis genibus* dicendas Rubrica demandat, ut magis, ſubdit Baruffaldus *tit.* 37. *num.* 19., ſint gratæ Deo, illo humilitatis actu conſociatæ. De his precibus ſcribit Gavantus *Semper dicuntur flexis genibus, etiam quando omittuntur pſalmi, præterquam a ſolis Epiſcopis, quibus a Cæremoniali Epiſcoporum lib. 2. cap. 10. ob ſui dignitatem permittitur, ut ſtantes illas dicant, quod non debet eſſe commune reliquo clero:* unde dubium non eſt, quod in quolibet officio duplici, ſolemni, vel ſemiduplici, aut trium, vel novem lectionum flexis genibus ſemper dici debent. Solum dubium eſſe poteſt de officio exequiarum tempore ad præſentiam corporis, in cujus circumſtantia Rituale eaſdem preces per extenſum exarat, quin notet flexis genibus eſſe dicendas. Verum cum idem Rituale in ſuperioribus ſcribat; *Dicatur officium mortuorum, ut infra ponitur*, & infra, ubi agit de officio defunctorum, diſerte mandet preces flexis genibus eſſe dicendas, haud ambigerem hoc pacto eſſe recitandas, licet ibi genuflexionis non meminerit; quia ejuſdem mens erat, inibi dumtaxat eaſdem exarare preces ſine pſalmo, cum quo *tit. de Off.* conjunctæ habentur, & in hac circumſtantia non ſunt dicendæ, uti & notare alia, in quibus diſcrimen habent a precibus in titulo de officio defunctorum poſitis.

VIII. Verius *A porta inferi*, & *Requieſcant in pace*, qui eaſdem preces integrant, cum præambula quædam ſint ad orationem, quæ indubie conformis eſſe debet ei, pro quo officium dicitur, conſequenter accommodari debent quoad numerum orationi ipſi ita ut dicendi ſint in plurali numero, ſi pro pluribus dicatur officium, in ſingulari, ſi pro uno. Hac de cauſa Rituale, quia ſupponit officium pro uno fieri, *tit. de exeq. præſ., & abſ. corp., & de off. defunct.* eaſdem exarat in ſingulari numero, Breviarium vero in plurali, quia illas ſcribit pro die commemorationis omnium defunctorum, & pro ſuffragiis generalibus, unde indubium ſit, quod ut ſupra adaptari debent.

IX. Secus eſt de pſalmis in quorum fine ſemper dicitur *Requiem æternam dona eis*, in plurali numero, *etiamſi pro uno fiat officium*, ut aperte ſtatuit Rituale *de off. defunct.* unde ſic præſtandum erit etiam in pſalmis ipſis *Lauda*, & *De profundis*, qui dicuntur inter eaſdem preces. Quoniam vero idem Rituale verſum *Requiem æternam*, qui interſeritur cuilibet tertio reſponſorio lectionum, itidem ſcribit in plurali numero, etſi cum ſuperius allegatas preces exaret in ſingulari, de uno conſequenter ſupponat officium fieri, haud ambigerem in eodem ſemper pluralem numerum eſſe adhibendum. Ut enim diximus ſtatim, ea, quæ intra officium ſunt, nullæ mutationi ſunt obnoxia exceptis verſibus, quæ ſunt acceſſoria quædam ad orationem quam adaptare ei, pro quo officium dicitur, in uſum ſemper habuit Eccleſia. Fallit hæc regula dumtaxat in precibus extra officium, ut in exequialibus, in quibus pſalmi concluduntur cum *Requiem æternam* in ſingulari numero, & hoc pacto idem verſus dicitur in reſponſoriis, ut ponderabitur in capite de exequiis.

X. Verſiculos *A porta inferi &c.*, *Colloces eum &c.*, qui dicuntur poſt nocturnorum pſalmos, nonnulli accommodant quoad numerum, & genus iis, pro quibus fit officium, & in patronum aſciſcunt Gavantum, qui *num.* 3. hæc verba tenet: *Verſus, qui dicuntur poſt pſalmos, ſi pro uno fiat officium, dicuntur in numero ſingulari.* Verum Gavantus ibi non loquitur de verſiculis poſt nocturnorum pſalmos, ſed poſt pſalmos precum, ut diſerte liquet ex contextu; præcedenter enim indubie ſermonem habet de pſalmis precum, unde dum dicit *verſus, qui dicuntur poſt pſalmos*, &c., loqui non poteſt, niſi de verſiculis precum, quos etiam nos accommodandos eſſe diximus. Idipſum oſtendit ſubſequens textus, ſcilicet *ſicut & oratio ſequens*, oratio ſiquidem ſequitur ad verſiculos precum, non nocturnorum. Adeo autem abeſt, quod Gavantus pro variatione prædictorum verſuum ſenſerit, ut exceptis precum verſiculis, & ſequenti oratione, reliqua cuncta mutatione diſerte faciat immunia: *Reliqua in toto officio non mutantur, neque verſus poſt orationem, quod in Rituali Romano habetur.* E quidem Rituale, licet precum verſiculos in ſingulari numero ſcribat, ac conſequenter pro uno officium fieri ſupponat, adhuc verſiculum *A porta inferi* poſt pſalmos nocturni notat cum *animas eorum*, quin faciat annotationem ullam ſuper variatione, quatenus officium fiat pro uno, evidens argumentum, quod omnia, quæ habentur in officio defunctorum, recitanda ſunt, prout jacent, nec variationi ullæ ſubſunt, pro quocumque fiat officium. Si namque, quæ in eodem habentur, numero & generi ut ſupra adaptanda forent, ad anguſtias uſque redigeretur clerus, vix & aliqua forent, quæ mutationi non ſubjacerent.

XI. Hic ſpectant ea, quæ dedimus in tomo 1. cap. 41. de ſevera Pii V. inhibitione attentandi mutationem, vel minimam, in Breviario Romano, ad quod officium defunctorum pertinet, tamquam appendix quædam. Eamdem ob inhibitionem, quæ etiam Miſſale afficit, in miſſa non mutantur, quæ in ea habentur

bentur

Digitized by Google

bentur in plurali numero, etſi pro uno celebretur. In Officio item divino, etſi recitetur de pluribus, non variantur ea, quæ dicuntur in plurali, nec e contra; ut enim advertimus in tomo 1, Cap. 34. Decr. 24. num. 9. in plurali numero etiam ſingulari continetur, & quæ dicuntur in ſingulari, ſatis apte pluribus conveniunt, ſi de unoquoque ſeorſim enunciata intelligantur, & denique genus maſculinum ſub ſe continere idoneum eſt femininum. Ab hac lege ſolum oratio, & ſermones de Sanctis eximuntur, quia ſunt nota eorum, de quibus officium agitur, unde & hic conſonanter ſolum oratio accommodanda præſcribitur una cum verſiculis, qui ſunt ad eamdem acceſſoria quædam. Hinc habes, cur in officio Defunctorum in pſalmorum fine dicatur *Requiem æternam dona eis*, uti & quæcumque alia, prout jacent in eodem officio, & miſſa, licet interſerantur, exequiis, in quibus pſalmi, qui dicuntur per viam, concluduntur cum *Requiem æternam dona ei*, & adhuc preces reliquæ accommodantur ſingulari numero; prædicta enim inhibitio non afficit exequiales preces, & aliunde pro una ſunt fieri inſtitutæ, unde accommodari ut ſupra debuerunt; afficit vero miſſam, & officium, in quibus propterea nulla variatio attentari poteſt, & inſuper cum officium, & miſſa non ſint dici inſtitutæ determinate pro uno, ſed pro quibuſcumque indeterminate, & generaliter, adaptari minime potuerunt; unde cum nimis clero onerosum foret tot variationes agere, omnia, prout jacent, dici mandata ſunt, ne quidem accommodato *Requiem æternam* in pſalmorum fine, quia hinc nonniſi difformitas habita fuiſſet, cum plurima remanerent alia, variatione indigentia.

XII. Plurima hæc ſunt adeo, & talia, ut valida fuerint etiam noſtrum conſenſum aſſequi; prius enim hærebamus admodum ob Cæremoniale Epiſcoporum, quod *l. 2. cap.* 38. aperte ſtatuit, in morte Epiſcopi ab Ordinibus Mendicantibus, qui primum nocturnum ſuper cadaver recitant, reſpondendum eſſe ad prædictum verſiculum, *Erue, Domine, animam ejus*. Verum fortaſſe ita indictum fieri extitit, quia tale nocturnum in illa circumſtantia ſe habet exequiarum inſtar, unde & lectum aſpergere, & thurificare mandantur, & poſtea dicere verſiculum *& ne nos inducas* cum aliis verſibus, & oratione, uti fit in exequiis ipſis. Hoc igitur in caſu Mendicantes Ordines prædicto Cæremoniali quidem pareant, & laudaremus, ſi etiam in pſalmorum fine diceretur *Requiem æternam dona ei*, ſed cum officium agendum eſt ſuper aliorum corpora; indubie obedientiam Rituale expoſcit, quod hac de cauſa editum fuit. Indubium autem eſt, quod nec in morte Epiſcopi Regulares Ordines in exequiarum fine debent ſubdere verſum *Anima ejus* &c. quia ibi terminanda non eſt funerea functio, ſed partiales illæ exequiæ unam integram exequiam conſtant.

XIII. Non eſt, quod nitar oſtendere, quod oratio adaptari debeat generi, & numero, cum hoc commune ſit officio ipſi canonico, & expreſſe præſcriptum a Breviario, & Rituali, quæ cum teneant orationes plurimas, harum illa uſurpanda erit, quæ congruit perſonis, pro quibus officium dicitur, & circumſtantiis, in quibus dicitur. Quænam autem diſtinctim adhiberi debeat, & quandonam defuncti nomen, & dignitas debeant exprimi, tradere reſervamus alibi. Nunc ſolum ſubdimus, quod cum defunctorum officium de mandato rubricarum dicitur in prima die menſis, aut in feriis ſecundis Adventus, & Quadrageſimæ, dicuntur tres priores orationes, que habentur in Breviario, ſub una concluſione, eaque breviori, alias vero dumtaxat una dicetur, & competens cum concluſione integra. Equidem in Rituali *de exeq. præs. corp.* una quidem licet aſſignetur oratio, adhuc ponitur cum concluſione brevi, ſed hoc ideo, quia ſupponit, quod non ibi terminetur officium, ſed continenti filo pergatur ad exequias: quare ut ponatur concordia Rituale inter & Breviarium, quod longiorem notat concluſionem, concludendi orationes hæc erit regula, ut quoties una tantum dicitur oratio, & ibi terminatur officium, concluſio ſit integra, brevis vero, quando ſequuntur exequiæ, ſeu abſolutio ad tumulum, ſive hæ fiant præſente, vel abſente corpore, ſive diebus 3. 7. 30., anniverſario, vel alio officio quolibet.

XIV. Quinimmo quia Rituale terminata oratione ſub brevi concluſione non ſubdit verſiculos *Requiem æternam*, ſed ſtatim tranſit ad miſſam, & quatenus hæc non ſit dicenda, ad orationem *Non intres*, nec dubitamus, quod prædicti verſiculi taceri debeant, quoties poſt Defunctorum officium ſequitur Miſſa de requiem, aut abſolutio ad tumulum. Tunc enim ex hujuſmodi officii fit unum veluti continuatum, unde verſus illi, qui deſerviunt ad dandum ultimum vale Defunctis, ſunt in fine precum reſervandi, quemadmodum & dicemus alibi agentes de pluribus abſolutionibus, quæ in die commemorationis omnium Defunctorum alicubi fieri ſolent. Sane cum officium Defunctorum jungitur officio diei huic adimitur verſus *Fidelium animæ*, qui inſtitutus fuit in officio canonico ad precandam requiem omnibus Defunctis in fine precum, cur itaque & quando officia plura ad Defunctos attinentia, ſimul junguntur, reſervandi non erant in precum fine verſus illi, in quibus ultimum vale Defunctis adhibetur? Diximus, *quando ſequitur Miſſa de requiem*, quia ſi ad officium Defunctorum ſequatur Miſſa vivorum, officium Defunctorum eodem prorſus pacto terminari deberet, ac ſi præfacta Miſſa ad ipſum minime ſequeretur; etſi enim vivorum preces uniri aptæ ſunt cum precibus mortuorum, ad quos a vivis jam fit tranſitus, preces tamen mortuorum aptæ non ſunt uniri cum precibus vivorum, ad quos a mortuis non fit tranſitus.

DECRETUM X. CAPITIS, IN ORDINE XVII.

In officio Defunctorum in veſperis, & laudibus dicendi ſemper ſunt pſalmi appoſiti *De profundis*, & *Lauda anima mea Dominum*, & poſt veſperas, & laudes omittantur iidem pſalmi tantum in die commemorationis omnium fidelium Defunctorum, & in die depoſitionis Defuncti. S. R. C. 23. Junii 1736. *in Einſidlen.*

I. GAvantus *ſect. 9. cap.* 1. *num.* 3. pſalmorum ejuſmodi omiſſionem indicit in die commemorationis omnium Defunctorum, & in die depoſitionis alicujus Defuncti, ſi tres nocturni dicantur, in officio item duplici, & quotieſcumque dicitur nonum reſponſorium longius *Libera me*. Huyetus *lib. 4. cap.* 23. *quæſt.* 18. ſoli commemorationi omnium Defunctorum id privilegii præſtare videtur; hanc enim dumtaxat Breviarium excipit, cui æque facile erat addere, *& in die depoſitionis Defuncti*, ſi & hanc diem a dictis pſalmis voluiſſet immunem. Verum horum haud ſtant ſententiæ ad Decretorum præſcripta; non quidem Guyeti, quia nimis rigidus depoſitionis diem prædictis pſalmis facit obnoxiam, Gavanti vero, quia plus æquo liberalis privilegium prodigit, illudque commune reddit officio duplici, & cujuſcumque, licet ſemiduplici, dummodo novem lectionum. In officio novem lectionum non continuo omittendos eſſe pſalmos, præcedens mandat ſanctio, cui integrum ſupplementum defert ea, quam exponimus, dum diſerte aſſignat dies ab iiſdem pſalmis liberas, ſcilicet commemorationis omnium Defunctorum, & depoſitionis Defuncti, necnon, obnoxias, nempe quaſcumque reliquas; dictio enim *tantum*, quæ afficit diem omnium mortuorum, & diem depoſitionis, taxativa eſt, includens caſus expreſſos, & excludens reliquos, quos cum inſuper afficiat dictio *ſemper*, quæ a juriſconſultis exponitur *pro omni tempore, & pro omni caſu*, quis unquam non percipit, quod memorati pſalmi in duobus diebus exceptis ita ſilendi ſunt, ut in ceteris cunctis ſint dicendi?

II. Admodum ſuffragatur adhuc Decretum aliud, & ſit 11. cap., in ord. 18., quod ad eliminandas dubitationes ſubinde exortas, ſub his terminis noſcitur emanatum: *Pſalmi* Lauda anima mea Dominum, *&* De profundis *omittantur in precibus poſt officium in die commemorationis omnium fidelium Defunctorum, & in die obitus, ſeu depoſitionis Defuncti dumtaxat; ceteris autem diebus ſemper, & omnino dicantur. S. R. C.* 5. *Aug.* 1737. *in Nolana.* Cum præcedenti præſens ſanctio convenit tam in diebus exceptis, quos non minus afficit taxativa *dumtaxat*, quam in diebus non exceptis, & ſimiliter hos afficit particula univerſalis *ſemper*. In eo autem ab illa diſcrepat, quod diebus, in quibus pſalmi dicendi ſunt, ſcilicet omnibus præter diem commemorationis, & depoſitionis, ulterius adjicit dictionem *omnino*, quæ cum caſus omnes ex natura ſua indiſtincte comprehendat, & reſtrictionem nullam patiatur, ſenſum reddit, quod in diebus omnibus præter exceptos ſine ulla diſpenſatione pſalmi ſunt dicendi. Ceterum quoad caſus exceptos aperte favent rubricæ, nempe pro die omnium Defunctorum illa Breviarii, quæ licet taceat de die depoſitionis, pro hac tamen Rituale ſupplet, dum *tit. de exeq. præs. corp.* per extenſum ponit preces in tali circumſtantia dicendas, prætermiſſis pſalmis. Diebus vero quibuſcumque reliquis pſalmos dicendos eſſe, eædem Rubricæ ubertim innuunt, dum a generali regula duos dumtaxat dies illos excipiunt.

III. An in die obitus, ſeu depoſitionis pſalmi omittendi item ſint, ſi officium non dicatur ad præſentiam cadaveris, inſurgit quæſtio, quam negative decidimus. Ducimur autem, quod Rituale allegato loco diſponit de exequiis præſente corpore, unde ejuſdem diſpoſitio non quadrat caſui; & præſertim, quia infra *tit. de off. defunct.* aſſignat preces cum pſalmis, & ſubdit orationes *pro die depoſitionis*, quin notet in hoc caſu pſalmos eſſe omittendos; orationes autem, quæ ibi aſſignantur pro die depoſitionis, dicendæ dumtaxat ſunt abſente corpore, nam corpore præſenti ſemper dicitur illa, quæ inter exequias ponitur; Quid igitur inde? Indubie, quod pſalmi omittendi ſunt ad præſentiam corporis, dicendi vero, ſi cadaver præſens non fuerit. Nec ſuum ſuffragium hac in re Breviarium denegat, quod eatenus nulla mentione habita de die depoſitionis, pſalmorum ſilentium in die commemorationis dumtaxat indicit, etſi aſſignet orationes in die depoſitionis dicendas, quatenus ad ipſum minime ſpectat, ſed privative ad Rituale, depoſitionis officium præſente corpore, quo ſolum in caſu pſalmi ſunt omittendi, non depoſitionis officium abſente corpore, quod Breviario, & Rituali commune eſt. Uti ergo Rituale etſi non mandet pſalmorum ſilentium pro die commemorationis omnium Defunctorum, non cenſetur diminute procedere, quia illa ſpectat ad Breviarium, non ad Rituale, ita Breviarium diminutum non erit, quamvis ſolam diem commemorationis prædictæ pſalmis immunem faciat, non diem depoſitionis præſente corpore, quod hæc ad Rituale privative ſpectet. A diminutione vero Breviarium excuſari non poſſet, ſi pſalmi etiam omittendi forent in die depoſitionis abſente corpore, quia hæc item communis eſt Breviario, quod propterea aſſignat orationes in tali circumſtantia dicendas.

IV. Regulares laudabilem eum uſum habent, ut per vices diſtributi, precibus, & multiplici officio Correligioſi cadaver minime deſerant; donec ad Eccleſiam aſportetur pro ſolemni officio, & cum talia officia dicantur in die depoſitionis, & præſente corpore, licet poſtea extra Eccleſiam, ſuper pſalmorum ſilen-

Digitized by Google

ſilentium nos indulgeri poſſe credimus, & adhuc a fortiori, ſi officia dicerentur ſuper cadaver in Eccleſia expoſitum, quamvis inibi foret, tamquam in depoſito, deinde transferendum ad Eccleſiam ſepulturæ, in qua, vel in eadem Eccleſia iterum ſuper illud ſolemniter officium &c. inter exequias foret habendum. Equidem Rituale, dum pſalmos omittit, procedit de officio ad cadaveris præſentiam inter exequias perſoluto, ſed cum etiam in propoſito caſu adſint potiora, quibus Ritualis diſpoſitio nititur, indulgeri poſſe ut ſupra diximus. Id enim honoris præſtari cadaveri præſenti poſſe credimus in die illa, in qua a viventibus pro ſemper eſt dimittendum, eique præſertim exhibentur ſubſidia animæ, & erga corpus honoris ſigna. Sane commemoratio omnium Defunctorum, quæ eſt item ex privilegiatis, id honoris habet nedum in ſolemni, ſed etiam in privata recitatione, etſi privilegium ſpecialiter latum fuerit pro ſolemni; quidni igitur & in allegato caſu, dummodo præſens ſit cadaver, etſi privilegium principaliter latum fuerit pro officio ad præſentiam cadaveris inter exequias perſolvendo?

V. At quid, ſi ſuper cadaver ſolummodo unum recitetur nocturnum? Tacendus adhuc erit pſalmus, cujus ſilentium non officii qualitas, aut nocturnorum invehit triplicitas, ſed expoſcit honor præſentiæ cadaveris. Decreta adhuc depoſitionis diem ſine diſtinctione a dictis pſalmis liberant, etſi probe noverint, quod ex indulto Rubricæ unum tantum nocturnum dici valet. Iſidem Rituale, dum ſine pſalmo exarat preces, & inſra ob anguſtiam temporis, vel aliam ob urgentem cauſam unum dumtaxat nocturnum dici permittit, quin aliquid notet ſuper eumdem pſalmum, quid unquam voluit, niſi quod non minus ſit omittendus?

VI. De commemorationibus, quas de ſuis univerſim Defunctis Religiones in uſum habent agere, dicere ſuccedit, quibus etſi Decreta reapſa minime faveant, fortaſſe ea ſuffragatur ratio, quod generalis commemorationis inſtar ſunt inſtitutæ, unde quatenus etiam conſuetudine ſint ſuffultæ, in ſua conſuetudine perſtare poſſe videntur. Sane commemorationem, quam de Confratribus Defunctis Auguſtiniana agit Religio, privilegii credimus participem cum eidem aperte faveant Rubricæ Breviarii proprii, quibus quando etiam Apoſtolica non acceſſiſſet auctoritas, id favoris attribueret immemorabilis conſuetudo, antiquior Bulla ipſa Piana, cujus rationis conſuetudines per Decreta ſimpliciter lata non infirmantur. Idipſum conſequenter erit de commemorationibus, quas idem Ordo de Propinquis, & Benefactoribus ſolemniter quotannis agit, utpote quibus eædem Rubricæ, & conſuetudo non minus ſunt favorabiles. Quæ igitur ex Religionibus, vel communitatibus pro commemorationibus ſuorum Defunctorum quid habent ſimile, privilegii ſe credere poſſunt participes, quæ vero non habent, per recitationem pſalmorum Decretis pareant. Captum itaque ſit, quod in diebus dumtaxat, de quibus ſupra elocuti ſumus, pſalmi prætermitti poſſunt, & debent, in reliquis vero omnibus ſemper dicendi ſunt, cum quotalibet ſolemnitate, & ritu, & modo officium celebrentur.

VII. Oppones Sacerdotale Romanum, quod *de offic. mort.* talem habet Rubricam: *Nota, quod pſalmus* De profundis *dicitur ad laudes defunctorum diebus ferialibus, & nullo alio tempore dicitur.* At ſcito, quod hocce Sacerdotale eſt in ſua vetuſtate detritum, & in plurimis, quæ modo recenſere non vacat, per poſteriores leges, & ſignanter per Rituale Romanum congruis de cauſis fuit correctum, & emendatum. Quæ ne videamur gratis dicere, ad extranea divagari, nolumus, ſed te poſtulamus, ut ſerio pronuncies, an Rubricæ Breviarii, & Ritualis, quæ ſolum commemorationem omnium defunctorum, & diem depoſitionis pſalmis immunes faciunt, firmæ ſtare valeant ad Rubricam Sacerdotalis, quæ dum pſalmos ſolum in diebus ferialibus locum habere declarat, quaſi eoſdem coarctat ad ſola ſuffragia generalia primæ diei menſis non impeditæ, & feriarum ſecundarum Adventus, & Quadrageſimæ. Quod ſi a correctione legum quammaxime abhorres, Sacerdotale limita ad officium vi Rubricarum dicendum, & tunc verum erit, quod ſolum diebus ferialibus, in quibus urget cauſa ſuffragiorum generalium, pſalmi ſunt dicendi, nam dies commemorationis omnium defunctorum, in qua urget pariter, etiam per moderniores aſſertas Rubricas, prædictis pſalmis non eſt obnoxia.

VIII. Oppones 2. exemplum officii canonici in cujus nonniſi ferialibus precibus pſalmi dicuntur. At jam diximus, quod officii defunctorum, & canonici eſt admodum diſpar ratio, & conſtitutio, ut liquet ex plurimis, in quibus diſcrepant, alias quippe in officio defunctorum duplici nedum pſalmi, ſed etiam preces ipſæ prætermitti deberent, & in ſemiduplici non flexis genibus dicendæ forent, cum tamen preces nunquam ſint omittendæ, & ſemper dicendæ flexis genibus.

CAPUT TERTIUM.

De die obitus ſeu depoſitionis.

I. OBitus dies is eſt proprie, quo quis vivere deſinit. Depoſitio idem plane ſignificat, ſi deponere accipiatur pro demoliri, & ſolo æquare, unde Petrus *ep. 2. cap. 1. 14.* de ſuo obitu; *Certus, quod velox eſt depoſitio tabernaculi mei*. Idipſum eſt, ſi deponere ſumatur pro ceſſare, & abjicere, *homo quippe*, ait Ambroſius ſerm. de depoſitione S. Euſebii, *mortem obeundo, vinculis carnalibus abſolutis, liber itinus ad cælum terrenum corpus exponit*. Et infra: *Ipſa plane eſt depoſitio, in qua concupiſcere abjicimus, ceſſamus delinquere, peccare deſinimus, & totum, quidquid ſaluti eſt grave, quaſi abjecta ſarcina oneris exponimus.* At ſi depoſitio ſumatur pro credere, & committere fidei, & diligentiæ alterius, ut dicatur depoſitio ipſa cadaveris terræ traditio, juxta illud S. Andreæ, *Tempus eſt, ut commendetur terræ corpus meum*, non eſt idem, quod obitus, erit tamen idem utriuſque dies, ſi eodem die defunctus ſepeliatur, quo obiit, ſecus, ſi poſtridie, vel ulterius differatur ſepultura.

II. Huc ſpectat diſtinctiva illa *In die obitus, ſeu depoſitionis*, qua ſæpe utuntur Decreta, inſcribiturque miſſa ipſa in tali circumſtantia dicenda, ut ſcilicet includatur dies obitus, & ſepulturæ, ſi forte hic differens ſit ab illo. Ab Eccleſia dies iſti confunduntur, & pro iiſdem accipiuntur, unde in collecta cantat, *Pro anima, quam hodie de hoc ſæculo migrare juſſiſti*, licet miſſam dicat in die ſepulturæ, jamque expirato die obitus; hoc autem, non quia non ſint in caſu diverſi dies, ſed quia utrique moraliter cenſentur idem dies, vel quia in die ſepulturæ repræſentatur dies obitus. Hic agendum foret de ratione computandi tum obitus, tum ſepulturæ diem, ſed quia arbitramur, quod Eccleſia totum temporis ſpatium ab inſtanti mortis uſque ad ſepulturam pro uno die reputet in favorem recens mortui, de prædicta computandi ratione in ſequenti capite reſervamus agere.

DECRETUM I. CAPITIS IN ORDINE XIX.

In die depoſitionis dicenda eſt miſſa pro Defuncto, non obſtante contraria conſuetudine. S. R. C. 12. Julii 1628. *in Janu.*

I. QUod antiquiſſimi, ſunt verba Ritualis Romani de exeq., *eſt inſtituti, illud, quantum fieri poterit, retineatur, ut miſſa præſente corpore defuncti pro eo celebretur, antequam ſepulturæ tradatur.* Antiqua, & laudabilis hinc elucet Eccleſiæ inſtitutio, nonniſi prævia miſſa ſepeliendi cadavera: unde & Auguſtinus *lib. 9. confeſs. cap. 12. 31.* de funere Monicæ matris ſuæ: *Cum ecce corpus elatum eſt, imus, & redimus ſine lacrymis, nam neque in eis precibus, quas tibi fudimus, cum offeretur pro ea ſacrificium pretii noſtri, jam juxta ſepulcrum poſito cadavere, priuſquam deponeretur, ſicut illic fieri ſolet, nec in eis precibus ego flevi.* Ad ipſum autem egreſſum animæ, aut dum erat in agone, ſacrificium offerebant majores noſtri, & de miſſa, qua animam ad tremendum Dei tribunal comitabantur, apud nos adhuc reliquum eſt offertorium, & eſt, quod dicitur in defunctorum miſſis, in quoque adhuc apparent veſtigia circumſtantiæ temporis, in qua dicebatur. Agebant illud quavis diei hora, licet non jejuni; quod cum minus placuerit tertiæ Synodo Carthaginenſi, ſanxit, poſt presbyteri parochialis prandium defunctorum animas deinceps ſolis orationibus Deo judici eſſe commendandas: *Sacramenta Altaris nonniſi jejunis hominibus celebrentur. Nam ſi aliquorum poſtmeridiano tempore defunctorum commendatio facienda ſit, ſolis orationibus fiat, ſi illi, qui faciunt, jam pranſi inveniantur.*

II. Theodorus Balſamon eidem presbytero, ſi jejunus erat, antiquum morem iterandi ſacrificium in ea circumſtantia temporis, per Synodum minime inhiberi rite cenſet, & quidem licet poſt meridiem, quidquid alii ſecus ſcripſerint: defunctorum enim poſtmeridiano tempore commendationem ſolis orationibus ſtatuit eſſe faciendam, ſed conditionem adjicit: *ſi illi, qui faciunt, jam pranſi inveniantur*; unde quatenus non forent pranſi, iiſdem non inhibet iterationem ſacrificii, etiam poſt meridiem.

III. Leo Papa IV. primus omnium contraxit licentiam ſæpius eodem die celebrandi, conſtituitque, ut nullus plures miſſas in die celebret, quam unam tantum, ſed ultra Nativitatem Domini excepit diem, in quo celebrandum foret præſente funere. Alexander II. apud Gratianum *de conſecr. diſt. 1. can. 53.* ſtatuiſſe legitur: *ſufficit Sacerdoti unam miſſam in die una celebrare, quia Chriſtus ſemel paſſus eſt, & totum mundum redemit. Non modica res eſt unam miſſam facere, & valde felix eſt, qui unam miſſam digne celebrare poteſt.* At quia addit, *quidam tamen pro Defunctis unam faciunt, & alteram de die, ſi neceſſe fuerit*, inferunt plurimi in die depoſitionis binam ejuſdem Sacerdotis celebrationem ab eodem non inhiberi.

IV. Innocentius III. *in cap.* conſuluiſti *de celebr. miſſar.* habet: *excepto die Nativitatis Dominicæ, niſi cauſa neceſſitatis ſuadeat, ſufficit Sacerdoti ſemel in die unam miſſam ſolummodo celebrare.* Ubi Gloſſa *neceſſitatem*, de qua textus, etiam agnoſcit, ſi poſtquam Presbyter celebravit, moriatur aliquis. *Sed quam dicit neceſſitatem, reſpondeo, ſi celebravit de die, & poſtea etiam moriatur aliquis &c., unde poteſt unam celebrare de die, & aliam pro defunctis.* Quam opinionem ab aliquibus jam cum limitatione defenſam, *ſerm. 6. ſecundi trigeſimi* innovavit Benedictus Papa XIII. *Ammetto ben io per antiquata queſta opinione, ma colla moderazione, purchè non accada il caſo della Sepoltura di un Cadavero in dì feſtivo, e in qualche Parrocchiale ſervita da un ſolo Sacerdote; poichè allora giuſta il Canone d' Innocenzo III. nel 1212. fondato nelle parole* niſi cauſa neceſſitatis ſuadet, *audacter inſegno, che il Prete, digiuno però, debba celebrare due meſſe, una della feſta corrente, e l' altra da morto per l' anima del preſente Defunto, maſſime avendo io rivocato in uſanza nella mia Dioceſi l' antichiſſimo rito di non ſeppellirſi mai cadavero alcuno ſenza il Divin Sacrifizio.* Abs re item non eſt, quod ſtatuit Stephanus Archiepiſcopus Cantuarienſis in ſua ſub Honorio III.

Ponti-

Digitized by Google

Pontificatu habita Oxonienſi Synodo: *Ne Sacerdos quiſpiam miſſarum ſolemnia celebret bis in die, exceptis exequiis defunctorum, cum videlicet corpus alicujus in Eccleſia fuerit eodem die tumulandum, & tunc prior miſſa de die, poſterior pro Defuncto celebretur.*

V. Quæ tradere voluimus, non ut demonſtremus Sacerdotis non jejuni celebrationem, aut jejuni binam licitam, in quocumque die, & apud quamlibet Eccleſiam defunctum tumulari contingat; Rituale enim quidem optat, & enixe inculcat, cum miſſæ ſacrificio ad ſepulturam comitari defunctos, ſed ſcite conditionem adjicit, *ſi hora fuerit competens*, per quam poſtmeridianam celebrationem rejicit, & fortaſſe etiam ſacerdotis non jejuni, quæ ceteroquin ex productis monumentis ſatis abunde reprobata manet, & inſuper in caſu eam non agnoſcit neceſſitatis cauſam, qua ſtante binam celebrationem ejuſdem ſacerdotis concedit Innocentius, cujus utique textus nonniſi violente productam expoſitionem recipit. Hæc itaque unice allegata ſunt, ut quiſque præ oculis habeat, quam ſancte ſtatutum fuerit, in die depoſitionis dicendam eſſe miſſam pro defuncto, non obſtante contraria conſuetudine, quæ cum tot reſiſtat legibus, antiquis, præſcriptis, laudabilibus conſuetudinibus, & inſtitutionibus, defunctoſque privet potiori ſuffragio; & congruenti honore, ac viventes ſolatio id ſubſidii præſtandi, ac poſtrema amoris ſigna erga defunctos ſuos in die, in quo eoſdem debent pro ſemper dimittere, haud digna profecto eſt, quæ conſuetudo, ſed magis abuſus appelletur.

DECRETUM II. CAPITIS, IN ORDINE XX.

In Dominicis, & feſtis poteſt celebrari miſſa de requiem pro Defunctis, ſepulto cadavere. S. R. C. 23. Maii 1603.

I. **E**N expoſitionem, quam *par. 1. tit. 5. lit. X.* Decreto Gavantus porrigit: *Feſta hoc loco intelliguntur de præcepto æqualia Dominicis, non tamen magnæ celebritatis, ut verbis utar Ritualis Romani, puta primæ claſſis; & eſſe debet præſens corpus in Eccleſia.* Expoſitioni ſubſcribunt Doctores fere omnes, eique ſuffragari videtur Rituale tit. de exeq. §. *ſi quis die feſto &c.* Quatenus tamen exponit, quod feſta de præcepto eſſe debeant, & in feſtis de præcepto adhuc univerſim exemplum ponit, nonnullas limitationes patitur, de quibus in ſequentibus Decretis reſervamus agere, in quibus & apparebit, neceſſariam ad effectum eſſe cadaveris præſentiam, nec ſufficere, quod alibi aſſervetur inſepultum, & quando, necnon Miſſam dumtaxat ſolemnem, non item privatas de Requiem in præſentia iri conceſſas.

DECRETUM III. CAPITIS, IN ORDINE XXI.

In duplicibus primæ claſſis, etiam præſente corpore, non poteſt cantari miſſa Defunctorum, & multo minus dicenda eſt una Miſſa privata deficientibus clericis in Choro. S. R. C. 5. Julii 1678. *in Collen.*

I. **M**Agna diei celebritas, quam Rituale ad præſentiam corporis per hæc verba obſtare facit miſſæ ſolemni de Requiem, *ſi quis die feſto ſit ſepeliendus, Miſſa propria pro defunctis, præſente corpore, celebrari poterit, dum tamen magna diei celebritas non obſtet*, in plurima Doctores diſcrevit placita. Gavantus communiter circumfertur, tamquam qui ejuſdem nomine tantum venire velit Paraſceven, & diem ſanctum Paſchæ, utique tamen perperam, nam ibi Gavantus ex mente Durandi loquitur, & de diebus, in quibus liberum non eſt, corpus defuncti ſepulturæ tradere, ubi vero de ſuo ore loquitur, *magnam celebritatem* Ritualis exemplificat in feſtis primæ claſſis, ut dicebamus in præcedenti Decreto. Verum ſi non Gavantus, ad duas præfatas dies Guyetus exceptionem reſtringit, nam *lib. 4. cap. 23. q. 26.* quibus diebus propter diem obitus liberum eſt officium defunctorum decantare, iiſdem haud dubie miſſam quoque ſolemnem haberi poſſe aſſerit; ſupra vero *quæſt.* 12. præter diem Paraſceves, & Paſchæ diebus ſingulis cenſet licitum prædictum officium. At quoniam tamquam opportunam laudat uſum aliquorum cantionem, nonniſi ſub veſperum in ſolemnioribus feſtis publice officium defunctorum facere, ſatius eſſe credidit in iiſdem a Miſſa ſolemni abſtinere, utpote quæ ſub veſperum non poteſt differri.

II. Hanc cautionem, quam Guyetus laudat, Paſqualigus *de ſacrif. no. leg. to. 1. quæſt.* 285. in præcepto cenſet eſſe conſtitutam, ita ut non quidem univerſim in omni feſto primæ claſſis vetitæ ſint miſſæ ſolemnes de Requiem præſente corpore, bene tamen in omnibus, & ſolis duplicibus primæ claſſis majoribus, ſeu ſolemnioribus. Quarti *part. 1. tit. 5. dub.* 2. ab omni feſto primæ claſſis eaſdem depellit Miſſas, quas tamen cum in veriori textus intelligentia permittat in feria ſecunda Paſchæ, in quam reſervandum aſſerit pridie mortuum, quatenus cum Miſſa ſepeliri debeat, ut minimum eaſdem non cenſuit inhibitas iiſdem diebus, qui licet duplices primæ claſſis ſint, non ſunt tamen vere feſta, ſed magis extenſiones feſtorum, cujuſmodi ſunt feriæ ſecundæ, & tertiæ Paſchæ, & Pentecoſtes.

III. Baruffaldus *tit. 34. num.* 44. magnam diei celebritatem a Rituali ut ſupra exceptam, nedum agnoſcit in feſtis univerſalis, ſed etiam particularis Eccleſiæ, in qua Defunctus tumulari debet, puta ſi eo die accidat feſtum Dedicationis, vel Titularis; quinimmo eamdem extendit ad dies omnes, *in quibus neque de duplici fieri poteſt*, ſed cum exemplum ponat in hebdomada majori, exponendum eſſe crederem de diebus, qui duplicia primæ claſſis abigunt, & præſertim quia ejuſdem facile hæc potuit eſſe ratio, quod ſi miſſæ ejuſmodi reſpuantur a feſto duplici primæ claſſis, utique & ab iis diebus, qui depellunt feſta ipſa duplicia primæ claſſis. Pittonus *to. 1. de oct.* cum Baruffaldo in eo convenit, quod ab univerſis duplicibus primæ claſſis præfatas miſſas removet, quas cum permittat in feria quarta Paſchæ, eaſdem non tamen ablegat a diebus illis, quæ duplicia primæ claſſis abigunt.

IV. Meratus *par. 1. tit. 5. num.* 2. præſentis vigore Decreti, quod in duplicibus primæ claſſis univerſim prædictas miſſas inhibet, eaſdem a quocumque duplici primæ claſſis, licet vere feſtum non ſit, ſed feſti prorogatio, cenſet expulſas, ſed non a diebus illis, qui cum duplices primæ claſſis ipſi non ſint, adhuc duplicia primæ claſſis ex privilegio depellunt, utpote quibus haud ſunt adaptabilia verba Decreti. De ſuo tamen addit, quod dies illi, qui juxta Rubricam vi. *Miſſalis num. 1.* non patiuntur miſſam alteram de Titulari, cujus officium transfertur, nec apti iidem ſunt, qui miſſam ſuſtineant de die obitus, arguit enim ipſe: ſi his diebus haud licita eſt miſſa ſolemnis de Titulari, quæ ceteroquin in feſtis plurimis primæ claſſis locum habet, quomodo cenſeri non debebit vetita miſſa defunctorum, quæ in quibuſcumque duplicibus primæ claſſis eſt dici prohibita? Dies autem iſti ſunt Dominica prima Adventus, feria IV. cinerum, Dominica prima Quadrageſimæ, Dominica Palmarum cum tota hebdomada majori, Dominica Reſurrectionis, & Dominica Pentecoſtes cum duobus diebus ſequentibus, feſta Nativitatis Domini, Aſcenſionis, & Corporis Chriſti. Reliquum nunc foret, hac ſuper re noſtrum promeremus judicium, quod tamen reſervamus dare in ſequenti Decreto, quod noviſſime ſuper præſentis intelligentia proceſſit.

DECRETUM IV. CAPITIS, IN ORDINE XXII.

Cum juxta Rubricas Ritualis Romani abſque miſſa, quantum fieri poteſt, Defunctorum corpora non ſint ſepelienda, poterit præſente in Eccleſia cadavere, unica miſſa ſolemnis de Requiem celebrari feria ſecunda Paſchæ, aut Pentecoſtes. Hæc tamen miſſa non decantabitur in duplici primæ claſſis, etiam non feſtivo de præcepto, ſi corpus præſens in Eccleſia non fuerit, aut ſi fuerit pridie ſepultum. S. R. C. 2. Sept. 1741.

I. **Q**Uas in præcedenti Decreto tradidimus, ſub oculos, neceſſe eſt, habeantur multiplices Auctorum ſententiæ, quorum nullus ex iis eſt, qui ſcripſerunt jam eodem emanato Decreto, qui miſſas ſolemnes de Requiem, etiam præſente corpore, nedum in quocumque feſto primæ claſſis vetitas cenſeat, ſed etiam ad alia inhibitionem non protendat tempora. Benedictus Papa XIV. unus eſt, qui *tom. 2. notif. 14. num.* 25. & ab extenſione Decreti abſtinet, & adhuc locum agnoſcit inquiſitioni, num in eodem Decreto comprehenſa maneant duplicia cuncta primæ claſſis, an vero dumtaxat majora, ſeu ſolemniora. Quam controverſiam licet ipſe minime dirimat, novam tamen a Sacra Congregatione deciſionem fatetur expoſcere. Quam rite ita ſenſerit, præſens ubertim oſtendit ſanctio, per quam dum licitæ declarantur prædictæ miſſæ in feriis ſecundis Paſchæ, & Pentecoſtes, quæ duplices primæ claſſis ſunt, reſpuunt duplicia primæ claſſis occurrentia, & miſſam de Titulari, qui transfertur, inſimul deſignantur non univerſim vetitæ in quolibet duplici primæ claſſis, aut officio, quod pellit occurrentia feſta primæ claſſis, aut miſſam de Titulari, quidquid ſecus ſcripſerint Baruffaldus, Pittonus, Meratus, aliique quorum meminimus.

II. Verum dum Decretum ferias ſecundas Paſchæ, & Pentecoſtes in exceptis collocat, fallor, ſi non ſit, qui ſententiam Quarti approbari contendant, ita ut laudatæ miſſæ ſint dumtaxat licitæ in iis duplicibus primæ claſſis, quæ vere feſta non ſunt, ſed ſolum prorogationes feſtorum, cujuſmodi ſunt feriæ ſecundæ, & tertiæ Paſchæ, & Pentecoſtes. Nos tamen ad has anguſtias Decretum redigendum non eſſe cenſemus; non tam enim ſunt attendendæ feriæ per Decretum expreſſæ, quæ cum in idem Decretum ratione petitionis, quæ ſuper memoratis feriis facta extitit, dumtaxat irrepſerint, ad indicandam ejuſdem Decreti amplitudinem ſunt minus aptæ, quam Rubricæ Ritualis, quas advocat, eiſque in ſua diſpoſitione innititur *cum juxta Rubricas &c.* Hæ autem ſolum obſtare volunt *magnam diei celebritatem, ſeu ſolemnitatem*, quæ profecto ratio vel non, aut ſaltem minus apte congruit cuicumque feſto duplici primæ claſſis, & aliunde convenire poteſt feſto inferioris ritus, ſi quod alicubi habeatur maxime ſolemne.

III. Equidem dignum, quod advertatur, exiſtit, quod Rituale non tam ad ritum, quam ad ſolemnitatem reſpexit, æque enim eidem fuiſſet facile, & difficultatibus fere omnibus minime obnoxium, loco ſolemnitatis ritum duplicem primæ claſſis excipere, quare haud dubitamus, quod ex feſtis primæ claſſis ſolum ſolemniora juxta ſententiam Paſqualigi a dictis Miſſis reperiantur immunia, & quod etiam feſta inferioris ritus, ſi cum maxima ſolemnitate celebrentur, eodem honore gaudeant. Hinc habes facile, cur dies excludentes ſolemniora ipſa feſta, & adhuc Miſſam de Titulari, prædictas non recuſent Miſſas; ipſi enim per tale privilegium non conſtituuntur magnæ ſolemnitates, nec redduntur participes rationis illius, ob quam Rituale diſpenſandum eſſe maluit ſuper antiquiſſimo more non ſepeliendi

Digitized by Google

di ſine prævia Miſſa de Requiem; aſt autem aſſerta ratio, ne minuatur, perturbetur, aut interrumpatur magna occurrens ſolemnitas.

IV. Ceterum nec diſſimiliter evincunt feriæ ipſæ, quæ juxta Decretum ſuſtinent Miſſas ſolemnes, de quibus agimus. Etſi namque extenſiones feſtorum ſint, adhuc ſunt primæ claſſis, in tota Eccleſia admodum ſolemnes, & feſtivæ de præcepto, cujus feſtivitatis cauſa videntur a Decreto ipſo æſtimari ſuper duplicia primæ claſſis, quæ in præcepto feſtiva non ſunt; unde Decretum, dum infra Miſſas abigit non præſente corpore e duplici primæ claſſis, addit *etiam non feſtivo de præcepto*, non obſcure indicans potiorem dubitandi rationem eſſe in duplicibus primæ claſſi non feſtivis, quam in exceptis feriis, quæ ſunt de præcepto feſtivæ. Cum itaque diſerte permittantur Miſſæ de Requiem in prædictis feriis, a fortiori cenſeri debebunt permiſſæ in feſtis primæ claſſis non feſtivis de præcepto, & adhuc hoc pacto feſtivis, iis dumtaxat excluſis, quæ *magna ſolemnitatis* honore inſigniuntur.

V. Sed quæ hæc erunt? Ea feſtis univerſalibus erunt Nativitas Chriſti, Ephiphania, dies prime Paſchæ, & Pentecoſtes, & feſtum Corporis Chriſti, quæ in tota Catholica Eccleſia ſunt feſtivitates admodum ſolemnes, quibus ſi addas Aſcenſionem Domini, & Deiparæ Aſſumptionem, non eelragabor admodum, quinimmo lubens adjicio triduum mortis Chriſti, in quo juxta Decretum S. R. C. 1t. Aug. 1736. celebrari non poſſunt Defunctorum exequiæ, & officium, & preces recitari debent privatim. Ea feſtis vero particularibus dumtaxat excipio feſtum Titularis, aut alterius Sancti, quod eo die in Eccleſia, in qua defunctus debet humari, maxime haberetur ſolemne; Eccleſiæ enim Dedicatio, etſi Titulari ex ſe præſtet, attenta conſuetudine a ſua excidit ſolemnitate, apud Regulares tamen non dubitarem reſpectivum Inſtitutorem hoc honore non eſſe expoliandum. Ex his autem habes, ad quos limites præcedens trahas Decretum, ac opiniones Gavanti, Guyati, Quarti, & aliorum, quarum ibi meminimus.

VI. *Unica*, inquit Sanctio, *miſſa ſolemnis*, quare ſi ad fonus plura conveniant Capitula, non poterit unumquodque illorum cantare Miſſam pro defuncto, quia licet reſpectu uniuscujuſque capituli unica eſſet Miſſa ſolemnis, non tamen reſpectu Eccleſiæ, quam Decreti diſpoſitio afficit. Quoniam tamen Decretum Eccleſiam non afficit, niſi relate ad particularem illum Defunctum, haud ambigo, quod ſi plures Defuncti eodem die in eadem Eccleſia ſepeliendi forent, eorum quilibet cum propria Miſſa de Requiem poſſet honorari. Decretum enim, & Rituale non uni magis, quam alteri, ſed æque omnibus ſunt favorabilia, & eorum ſcopus eo vergit, ut unuſquiſque defunctus præfato convenienti ſuffragio, & particulari honore minime privetur.

VII. Inſurgit dubium, num ſuper idem cadaver diebus, quibus inhibentur Miſſæ de Requiem, harum duæ ſolemnes haberi poſſint in diverſis Eccleſiis, puta in Eccleſia, in qua eſt per modum depoſiti, & in Eccleſia, in quam eſt aſportandum pro ſepultura? R. negative, quia licet Miſſæ ejuſmodi habeantur in diverſis Eccleſiis, & fortaſſe etiam e diverſo Capitulo, adhuc celebrantur pro eodem Defuncto, cui Rituale, & Decreta pro unica dumtaxat ſuffragantur Miſſa, ne ſcilicet ſine prævia congruenti Miſſa, & honore ſepeliatur. Id tamen limita pro iis diebus, de quibus in ſequenti Decreto dicemus, & prout dicemus, Miſſas *exe*quiales eſſe permiſſas etiam corpore non præſente. Quod ſi in Eccleſia, ad quam pro ſepultura eſt aſportandum, Miſſa non ſit habenda, haud ambigo haberi poſſe in Eccleſia a qua; licet enim Rituale Miſſam interſerat exequiis, & hæ ſint celebrandæ in Eccleſia ſepulturæ, hunc ordinem non tanti facio, ut pro ejuſdem obſervantia Defunctus convenienti honore, & Miſſa ſit cariturus, ſi hæc in Eccleſia ſepulturæ non ſit celebranda, aut commode celebrari nequeat.

VIII. Eadem de cauſa in die obitus, & in die depoſitionis, ſeu ſepulturæ, ſi diverſi ſint, haberi non poterunt duæ Miſſæ ſolemnes etiam præſente cadavere, ſi ambo dies illi ſint ex reſpuentibus Miſſas de Requiem, & licet miſſam ſolemnem conſultius ſit reſervare in die ſepulturæ, quatenus in hac peragantur exequiæ, ſeu in die exequiarum, & inter exequias ipſas, ſi hæ anticipentur, & in die altere cadaver ſit reſervandum pro ſepultura; adhuc in alterutra ex dictis eamdem ſolemnem Miſſam canere facimus liberum, pro qua libertate abs re non eſt disjunctiva, *Miſſa in die obitus, ſeu depoſitionis Defuncti*, ſub qua inſcribitur Miſſa in tali circumſtantia dicenda ſub quaque non ſemel obſervamus concepta Decreta ipſa, quæ eamdem Miſſam indulgent. Quid autem dicendum ſit, ſi occurrant dies, qui Miſſas exequiales permittunt abſente corpore, ſequens dabit Decretum.

IX. Hecuſque dictis adverſari videntur a nobis tradita in Decreto 50. præcedentis capitis, ubi Defunctorum officium ſuper cadaver iterari poſſe diximus & in eadem, & in diverſis Eccleſiis. Verum diſpar admodum extat ratio officium inter & Miſſam; hæc quippe dici non poteſt ſine occurrentis feſti præjudicio, ubi illud abſque ullo officii, & feſti diſpendio peragitur, unde hac de cauſa etiam ſuper ſolam Miſſam ſolemnem diſpenſatum extitit, non ſuper privatas. Miſſæ namque, quæ de Requiem dicuntur, abripiuntur feſto, de quo deberent eſſe, ubi æque integrum ſemper extat diei officium, etſi dicatur, vel iteretur officium Defunctorum.

X. *Præſente in Eccleſia cadavere* Decretum adjicit, & per hæc verba adeo cadaveris præſentiam in Eccleſia expoſtulat, ut aliter Miſſa de Requiem haberi non valeat, & hoc conformiter ad Rituale *tit. de exeq. num.* 5. & 6., quod corporis præſentiam diſerte expoſcit. Fit namque diſpenſatio, nedum ut juxta leges Chriſtianæ pietatis Defuncto exhiberi queant ſubſidia in favorem animæ, ſed etiam, & potiſſimum ſigna honoris circa corpus, poſt eam diem pro ſemper dimittendum adhibito convenienti ritu, & decenti pompa funebri, & hoc locum habere nequit, quando corpus præſens in Eccleſia non eſt, unde bene ſubſit Decretum; *Hæc tamen Miſſa non decantabitur in duplici primæ claſſis, etiam non feſtivo de præcepto; ſi corpus præſens in Eccleſia non fuerit, aut ſi fuerit pridie ſepultum*, licet in eadem Eccleſia, quia cum ſit remotum a noſtris oculis, præſens cenſeri non poteſt, & perinde eſt, ac ſi ibi minime tumulatum fuiſſet.

XI. Quod monaſteria, ſacraria, cœmeteria, aliaque adjacentia loca Eccleſiæ appellatione Auctores nonnumquam venire faciant, putabit quiſpiam ſufficienter ad Miſſam haberi præſentiam cadaveris, hoc in aliquo ex dictis locis exiſtente, licet intra Eccleſiæ parietes minime invecto. Utiqua tamen perperam, quia licet ea loca in re mera favorabili Eccleſiæ nomine venire queant, ſicuti quando agitur de immunitate Eccleſiaſtica, aliiſque id genus, ſecus tamen eſt in re non undequaque favorabili, ut in caſu, in quo agitur de diſpenſatione, quæ eſt odioſa generali regulæ non celebrandi Miſſas de Requiem in feſtis duplicibus. Quoniam autem vere Eccleſiæ præſens eſt cadaver, quod intra Eccleſiæ parietes aſportatum, collocatum eſt in cappella aliqua, aut alio Eccleſiæ loco, ad aliud adhuc altare miſſa decantari poterit, ad quam Eccleſiaſticæ ſanctiones ſolam cadaveris præſentiam expoſtulant, non ejuſdem collocationem in medio Eccleſiæ, aliove conſpicuiori loco. Id limita, ſi poſt Altare alicujus cappellæ, aut alio Eccleſiæ loco, ex quo videri non poſſit, fuerit conſtitutum, tunc ſiquidem dumtaxat materialiter, non formaliter præſens foret.

XII. Miſſa, cujus indultum facit præſens Decretum, ſolemnis eſſe debet; an autem loco ſolemnis ſubrogari valeat privata, & quibus in Eccleſiis, reſervamus agere in Decreto 5. Sequentis Capitis.

DECRETUM V. CAPITIS, IN ORDINE XXV.

Miſſæ exequiales Defunctorum in die depoſitionis Defuncti poſſunt ſolemniter celebrari diebus, in quibus cadit feſtum duplex alicujus Sancti, dummodo non ſit de præcepto juxta Rubricas Breviarii Romani. S. R. C. 19. Septem. 1654. *in Papien.*

I. SOlemniter, ait Decretum ad excludendas privatas Miſſas, ſaltem quæ loco ſolemnis non ſubrogantur, de quibus alibi inſtituetur ſermo. Meratus *par. 1. tit. 5. num. 2.* hoc pacto ſanctionem explicat, *Hoc Decretum intelligendum eſt non præſente cadavere, nam etiam in feſtis de præcepto, dummodo non ſint primæ claſſis, poteſt celebrari Miſſa ſolemnis Defunctorum cadaveri præſente.* Argumentum utique rite concludit, quare indubium credimus, quod Decreti favor procedat cadavere non præſente, ad cujus præſentiam favorabiliora ſunt Decreta cuncta. Reliquum eſt itaque, inveſtigemus, quodnam ſit iſtud *feſtum de præcepto*, quod per dictionem *Dummodo* e diſpoſitione eripitur, ut hinc eruamus, ad quod feſtum duplex favor extendatur.

II. Feſta de præcepto in duplici ſecernuntur claſſe, nempe alia, quæ adjunctam habent feſtivitatem fori, & alia, prout contradiſtinguuntur a feſtis ad libitum. In illa inclinat Merati expoſitio, quam communis acceptio, & loquutio approbat; in hæc vero ea Decreti verba *Juxta Rubricas Breviarii Romani*, cum hujus Rubricæ diſpoſitionem nullam habeant de feſtis priori modo, ſed ſolum poſteriori in præcepto. Quid igitur? In feſtis de præcepto quoad forum, de quibus potius eſt exceptionis ratio, indubie eadem non poterit haberi Miſſa, bene vero in feſtis ad libitum, in quibus ut minimum diſpoſitio locum habet. Officii ad libitum ea eſt natura, ut in ſui recitatione pendeat a cleri arbitrio, & licet habita recitatione ejuſdem, ſi duplex eſt, juxta Rubricam IV. *num.* 3. conformem expoſcat Miſſam, ut ſcite advertit Quarti *part. 1. tit. 5. dub.* 12., adhuc diſpenſatio fieri potuit in favorem exequiarum, quæ aguntur in abſentia corporis, ut ſibi congruenti non careant Miſſa.

III. Quoniam vero eamdem rationem habent Rubricæ, Decreta, atque Auctores de Miſſa feſti duplicis de præcepto quoad chorum, ac feſti duplicis ad libitum, nec unquam poſuerunt dictionem ullam, utrique ad reſpectivam Miſſam idem juris æque faciunt, refragari haud ego valeo illis, qui Decreti favorem extendunt etiam ad feſtum duplex de præcepto quoad chorum; & præſertim quia in ejuſmodi duplici jam locum habet Miſſe de Requiem in anniverſariis, & diebus quaſi obitus, vel depoſitionis, quorum hi non ſunt, niſi dies obitus, repræſentative, & illa ejuſdem annua memoria. Non ſecus ſuadet itidem ſumma Eccleſiæ benignitas, quam ſupra Miſſis ſolemnibus de Requiem in Defunctorum favorem non ſemel diſpenſaſſe inferius apparebit, & æquum, ſeu congruum utique fuit, quod talis diſpenſatio fieret, ut recens mortuo id ſubſidii in die obitus exhiberi poſſet, & ad diem ſepulturæ neceſſario differendum non foret, ſi diverſi ii ſint, aut quod ſine Miſſa ſepeliri debeat, ſi præcedenti die exequiæ fuerint actæ. Ad rem fortaſſe facit disjunctiva *In die obitus, ſeu depoſitionis*, ſub qua inſcribitur miſſa; & Ritualis Rubrica de die depoſitionis abſente corpore, ac de anniverſariis eamdem videtur rationem facere, quare ſi anniver-

ſario-

Digitized by Google

ſariorum Miſſa in duplici de præcepto quoad chorum ſpatium reperit, utique & Miſſa depoſitionis abſente corpore.

IV. Quonam autem in duplici ejuſmodi Miſſa locum habeat, quæſtio alia eſt, quam reſolvendam eſſe credimus juxta inſertas tradenda de anniverſariis, ita ut iiſdem diebus, quibus Miſſa anniverſarii cenſetur licita, & prout eſt licita, & quibus cenſetur vetita, reſpective cenſeri item debeat licita, aut vetita Miſſa, de qua agimus.

DECRETUM VI. CAPITIS, IN ORDINE XXIV.

Cum primum accipitur nuntium de obitu in loco diſſito alicujus, poteſt cantari Miſſa de Requiem, ut in die obitus pro ejus anima in feſto duplici majori, vel minori, non tamen de præcepto, ut citius ſuffragetur animæ defuncti, non relicta tamen Miſſa in cantu de feſto duplici, quatenus adſit obligatio, S. R. C, 4. Maji 1686. *in una Canon. Regal. Lateran.*

I. A Materiæ affinitate duci ſinimus ad diem quaſi obitus, qui in eo diſcrimen habet a die obitus, quod neceſſe non eſt, quod ille ſit dies mortis, vel ſepulturæ, ſed ſufficit, quod ſit dies, in quo primum accipitur notitia de obitu alicujus. Apud Regulares præſertim Ordines lex hujuſmodi viget, ac conſuetudo, ut pro decedentibus ex hac vita confratribus, ſtatim ac accipitur nuntium de eorum obitu, canetur Miſſa de Requiem, aliave exolvantur ſuffragia per totam Provinciam, vel Congregationem; hinc cum non ſemel occurrentia feſta duplicia in longum eadem ſuffragia protraherent, ut citius ſuffragari poſſet defunctis, declarari petitum fuit, ut in ſequenti Decreto.

II. *Prior Canonicorum Regularium Congregationis Lateranenſis S. Mariæ de Pace in Urbe pro onere ſui officii ſupplicavit apud ſacram Rituum Congregationem pro reſolutione ſequentis dubii, videlicet: Ex diſpoſitione conſtitutionum Congregationis Canonicorum Lateranenſium tam primum accipitur nuntium de obitu in loco diſſito alicujus de gremio ejuſdem Congregationis, in quolibet monaſterio cantatur Miſſa de Requiem ut in die obitus pro ejus anima. Quæritur, an dicta Miſſa de Requiem cantari poſſit in feſto duplici majori, vel minori, non tamen de præcepto, ſtatim ac nuntium accipitur de obitu, ut citius ſuffragetur animæ defuncti?* & eadem Congregatio reſpondit: *Indulgeri poſſe, non relicta tamen Miſſa in cantu de feſto duplici minori occurrente, quatenus adſit obligatio cantandi:* Die 4. Maij 1686.

III. Reapſe indultum petentes non prætergreditur; ſed cum eadam militet ratio & de Regularibus ceteris, in horum omnium uſum eſſe poſſe unanimes ſentiunt Auctores; quinimmo cum ex pia, & generali cauſa noſcatur editum, nempe *ut citius ſuffragentur defunctorum animæ*, non immerito ad quaſcumque Eccleſias, & perſonas illud extendunt, axarantque propterea, perinde ac ſi pro omnibus emanatum fuiſſet, ut videre eſt in textu a nobis examinari propoſito. Quibus autem in diebus locum habeat, opus haud eſt inſudare, cum indultum aperte ſe exprimat *de duplici majori, & minori, quod non ſit de præcepto*, & in hoc diſcrimen habet a vero die obitus, cui latius patet ſpatium, ac convenit cum die anniverſario, quapropter haud ambigimus, quod iiſdem diebus omnibus, quibus Miſſa anniverſarii cenſetur licita, aut vetita, talis itidem cenſeri debeat Miſſa, de qua agimus. Tradenda itaque in capite de anniverſariis, hujuſce Miſſæ utile inſimul declarabunt ſpatium.

IV. Hinc fuit ſententia Pittoni, qui *to. 1. de off. num.* 249. primam diem notitiæ obitus privilegiis decorat omnibus, quibus gaudet verus dies obitus, & miror, non viderit, quod Decretum ſolum facultatem tribuit pro duplici majori, & minori, & adhuc hoc excipit, ſi forte de præcepto fuerit, ubi verus dies obitus non defraudatur congruenti miſſa etiam in duplicibus altioris ritus, & feſtivis de præcepto, ſolis ſolemnioribus excluſis. Et quidem, ut ſuperius vidimus, nec plus conceditur vero diei obitus, ſi deſit præſentia corporis, in cujus gratiam dumtaxat, & honorem privilegium Miſſæ ad alia ut ſupra extenditur tempora; in noſtro autem caſu deſideratur præſentia corporis, unde nec plus concedi decuit. Nullius autem eſt ponderis, quod Pittonus in probationem ſui aſſerti producit, quod nempe vivi gaudent privilegiis ſpiritualibus vivorum, etiam extra tempus aliis aſſignatum, ſcilicet Jubilæi, cum primum pervenerint ad locum, ubi jam completus eſt Jubilæus, unde & mortui potiri debeant mortuorum privilegiis, cum primum per mortis notitiam pervenerint ad loca ſuorum, perinde ac ſi præſentes forent. Nam ideo in Jubilæo, quia id in privilegio cautum eſt, & quia alias abſentes, v. g. Nautæ, de privilegio omnibus communi participare non poſſent; in noſtro autem caſu in Decretis aliter expreſſum eſt, & merito, quia defuncti illi jam ſupponuntur in loco obitus privilegii Miſſæ ceteris communis fuiſſe participes, unde eſt gratia ſuper gratiam defunctis ſpecialiter conceſſa, cui ſimilis in caſu Jubilæi non convenit viventibus, qui ſi in loco aliquo Jubilæum lucrati fuerint, eodem non amplius potiri queunt, ſi pervenerint ad loca, in quibus jam completus fuit.

V. Ad feſtum duplex minus favorem reſtringunt alii, quod ſanctio teneat, *non relicta miſſa in cantu de feſto duplici minori*, nulla mentione habita *de duplici majori*, de quo itidem procedebat petitio. Hoc ipſo namque quod Decretum dumtaxat injungit miſſam alteram de feſto duplici minori, argumentum non leve eſt, ejuſdem favorem in illis verbis expreſſum *Indulgeri poſſe*, manere reſtrictum ad caſum occurrentis feſti duplicis minoris, nec protendi ad feſtum duplex majus, quidquid petitio expreſſerit, cum ſi non potior, utique ſaltem par eſſet ratio injungendi miſſam alteram de feſto duplici majori, ſi in hoc caſus incidiſſet. Ad hanc difficultatem fortaſſe eludendam, truncum Meratus *in Indice Decr. Miſſalis num.* 484. ut ſupra Decretum retulit, ſcribens *non relicta Miſſa in cantu de feſto duplici*, relicto to *minori*.

VI. Verum quidquid ſit de Merato, cujus noſtrum non eſt defenſionem ſuſcipere, nos ex eodem contenti non fuimus Decretum tranſcribere, ſed etiam, ut jacet in Congregationis regeſtis illud producere voluimus. Neque enim tales ſumus, ut ad evitandam difficultatem aliquam, quæ inde oriri valeat, in Decretorum exaratione infideles eſſe velimus. Ea Decreti verba *Indulgeri poſſe* ſunt correlativa ad petitionem, quæ procedebat ſuper utrumque feſtum duplex majus, & minus, unde dubium non eſt, quod facultatem elargiuntur ſuper Miſſam de Requiem, ſive fieri occurrat feſtum duplex minus, aut majus. Obvium ad quem ſenſum coarctandum profecto inveniuntur invalida, quæ Sanctio ſubdit, verba: *Non relicta tamen miſſa in cantu de feſto duplici minori*, ſed ſolum in his verbis Congregatio nos edocet ex diſpoſitis pro duplici minori, quod eſt unum petitionis membrum, quid faciendum ſit & in altero, ſeu in duplici majori, ſi forte occurrat. Vidit Congregatio, quod ſi non fortior, par utique militat ratio alterius miſſæ de occurrenti duplici majori, unde lata diſpoſitione ſuper duplici minori, conticuit abſtinuit a diſpoſitione ſuper duplici majori, quæ ſimilis ex illa indubie eruebatur.

VII. *In loco diſſito* ſunt verba petitionis, quæ conſequenter etiam in Decretum transfunduntur. Ut dicebamus, latum eſt Decretum in favorem Regularium Ordinum, qui id ſubſidii præſtare ſolent ſuis Confratribus decedentibus in aliis Conventibus; regulariter autem in eodem loco plura Monaſteria ejuſdem Ordinis non reperiuntur, & hæc eſt cauſa, ob quam in petitione gratia poſtulata extitit pro decedentibus in loco diſſito. Hinc vero quis unquam crederet a favore eſſe depulſos eos Conventus ejuſdem Ordinis, qui in eadem Civitate habeantur, ita ut privilegio hujuſmodi uti non valeant erga defunctum in Conventu alio ejuſdem Civitatis? Certe conſtitutionum obſervantia, & celerius defuncti ſuffragium, quæ ſunt Sanctionis cauſæ, in caſu non minus militant, & ſi bene perpendantur, haud refragantur Decreti verba, quia adhuc ille mortuus eſt *in loco diſſito*, cujuſmodi eſt Conventus, in quo ille defunctus eſt, relate ad conventum, in quo Miſſa agitur, etſi ambo in eadem Civitate, aut pago conſiſtant. Credimus itaque ſolum Monaſterium, in quo defunctus eſt, & in quo cum ſolemniori Miſſa eſt ſepeliendus, a privilegio eſſe depulſum, & rite quidem, quia cum ejuſmodi Miſſa ſubrogetur loco ſolemnis, quæ in vero die obitus haberi deberet, id iis Eccleſiis, in quibus canitur Miſſa veri diei obitus, haud locum habet illa, ſubrogatum ſiquidem locum non habet, ubi principale aſſiſtit. Etſi vero Conventui mortis præſens non ſuffragetur indultum, non propterea tamen cenſeri poteſt excluſus a favore præcedentis ſanctionis, ita ut id ſubſidii præſtare nequeat apud ſe defuncto in die obitus, adhuc cadavere non præſente, ſi in ſequenti die ſit ſepeliendus cum miſſa, ut citius ſuffragetur animæ ejus, quæ potior eſt etiam ratio præſentis indulti, aut in die ſepulturæ, ſi pridie una cum Miſſa celebratæ fuerint exequiæ, ut ad ſepulturam ultima die viventes illum cum Miſſa deducere valeant.

VIII. Dictionem *cumprimum* nunc ſumimus ponderare, & regulariter intelligitur nullam dilationem admittere, & excludere temporis intervallum. Verum ſcite ponderant alii, quod temperamentum patitur ſecundum ſubjectam materiam, ejuſque circumſtantias, & arbitrium boni Judicis, quare plus, minuſve temporis a Juriſtis conceditur apud Cardinalem Tuſcum in dictione *mox*. Verum a nobis digrediendum non eſt a Rubrica Miſſalis, quæ explicans *Quamprimum* Tridentini, habet *cumprimum poterit*, nec diſſimiliter eruitur *ex l. Tutores C. de adminiſtr. tutor.*, hoc eſt *prima data opportunitate*, & hac etiam data ſufficit id fiat intra triduum, quia quod ſit intra triduum, dicitur fieri quamprimum, & continuo *ex leg. fin. C. de judiciis*, *& C. de errore advocator.*, & videre eſt apud Baldum, Felinum, & Mendoſium. Sic præcipitur *in cap. eos qui de ſent. excom. in 6.*, quod abſolutus in articulo mortis ab excommunicatione reſervata, ſi convaluerit, quamprimum Superiorem adeat ſub pœna reincidentiæ, quam tamen juxta Lugum minime incurrit, ſi intra triduum datæ commoditatis ad Superiorem recurrat.

IX. Habita itaque notitia de obitu, utile habetur triduum, in quo non computantur dies Dominici, aliique, pro quibus non ſuffragatur privilegium, aut quibus Clerus eſt alias impeditus, in illis, quia abſolute non poteſt, in his, quia non commode; impotenti autem, & impedito non currit tempus. Quare ſi perveniat notitia diebus impeditis, poterit celebratio fructuoſe differri in dies inimpeditas ad tenorem indulti, & ſi ſimul perveniat notitia de obitu plurimorum, aut nondum perſolutis miſſis priorum, ſuccedat nuntium de obitu aliorum, dies ut ſupra conceſſi pro ſatisfactione priorum, cenſebuntur impediti relate ad ſatisfactionem poſteriorum, ita ut horum Miſſæ cum aſſerto privilegio differri valeant ad proxima dies alias. Quod autem addit ſanctio, *non relicta tamen Miſſa in cantu de feſto duplici*, dumtaxat afficit

Eccle-

Eccleſias, quæ conventualium miſſarum lege tenentur, unde ſtatim ſubdit, *quatenus adſit obligatio cantandi*, quare in Eccleſiis ceteris nulla erit obligatio alterius miſſæ de feſto. Reliquum foret examinare, quænam miſſa, & oratio in caſu dici debeant, ſed de his in capitibus de qualitate miſſæ, & de collectis. Indubium autem eſt, quod præſens indultum procedit de miſſa cantata, adeoque etiam de ea, quæ in cantu habetur ſine ſacris miniſtris.

DECRETUM VII. CAPITIS, IN ORDINE XXV.

Miſſæ privatæ de Requiem, corpore præſente, & inſepulto, dici non poſſunt diebus, quibus fit de officio duplici, vel aliis a Rubrica vetitis, & quamcumque conſuetudinem tamquam abuſum abolendum juxta diſpoſitionem Rubricæ V. Miſſalis Romani de miſſa Defunctorum num. 2. in fine & Decreta Sacræ Congregationis, & ſignanter generale 5. Auguſti 1662. ſervanda eſſe mandavit. S. R. C. 10. Jann. 1693. *in una Galliar.*

I. Rubricæ, quæ in feſtis duplicibus, aliiſque diebus miſſas defunctorum inhibent, adeo diſertis conceptæ ſunt terminis, ut Quarti ipſe *part.* 1. *tit.* 5. *dub.* 2. concedat earumdem vi, neque corpore præſenti, & inſepulto, poſſe licite celebrari. Attamen id facit liberum ex gratia ſpeciali S. R. C., quæ die 1. Sept. 1607. & 20. Junii 1626. in duplici feſto, quod non eſt de præcepto, eaſdem tolerare dicitur, ut Teſtatorum voluntates adimpleatur: & in hoc convenire videntur Guyetus *lib.* 4. *cap.* 32. *q.* 26. Gavantus *par.* 1. *tit.* 5. *lit.* A. Lezana *to.* 1. *qq. reg. c.* 21. *num.* 28. & noviſſime Baruffaldus *tit.* 34. *num.* 45. Quinimmo Quarti ulterius eas concedit in feſtis de præcepto pro exequiarum tempore, in quo putat veluti ſuſpendi officium de feſto, & ſuccedere officium totum funebre, cui cum non congruant miſſæ feſtivæ, vel tunc temporis nullæ dici debent, vel de Requiem, & præſertim quia privatæ ſunt acceſſoriæ ad miſſam ſolemnem, & pertinent ad integritatem exequiarum. Durandus *in Ration. lib.* 7. *cap.* 35. *num.* 31. tantam incongruitatem inter cadaveris præſentiam, & miſſas feſtivas agnoſcit, ut harum nullas celebrandas velit corpore præſente, & quatenus celebrentur, extra Eccleſiam, vel intra aliquam Cappellam cadaver eſſe deferendum, tempore miſſæ de Requiem ſolummodo reportandum.

II. Verum cum congruis de cauſis dies duplices, aliique plures privilegiati fuerint contra miſſas de Requiem, & Rubricæ, ac Decreta corpore præſenti miſſam ſolemnem ſolum indulgeant; & diſerte privatas inhibeant, & quatenus privatæ itidem præſcriptæ ſint, per applicationem ſacrificii demandent eſſe ſupplendas, jam quiſque videt, quod per prohibitionem miſſarum privatarum ut ſupra nonniſi Rubricæ, atque Decreta jure merito univerſali obſervantiæ commendantur, & conſuetudo, quæ tot reſiſtit legibus, abuſus declaratur. Quod autem adducebatur de Decretis 1. Sept. 1607., & 20. Junii 1626., nullius penitus extat roboris, cum non de miſſis privatis, ſed de cantatis diſponant, ut ſuo loco videbimus. Rituale exequiis ſolam ſolemnem miſſam adjudicat, quare privatæ ad earumdem integritatem minime pertinent, nec acceſſoriæ ſunt ad miſſam de Requiem, ſed ad miſſam ſolemnem de officio, cui omnes miſſæ debent eſſe conformes, & cui etiam correſpondere neceſſe foret miſſam illam, quæ de Requiem canitur, ſi ſuper eam diſpenſatio non fuiſſet facta.

CAPUT QUARTUM.

De Diebus 3. 7. & 30.

I. Diei obitus ſuccedunt dies tertius, ſeptimus, & trigeſimus, qui inſtitutione antiquiſſima in Defunctorum memoriam ab Eccleſia præ ceteris ſolemnes habiti ſunt. Non quidem, recte monet Amalarius *lib.* 4. *cap.* 42., quaſi iis tantum diebus, non aliis officium, miſſave haberi debeant, aut iiſdem diebus magis defunctis proficiant, quam aliis, ſed quia præ reliquis myſticas plurimas rationes habent, quas ex Alcuino *lib. de div. off. ad finem*, Amalario *loco cit.*, Durando *lib.* 7. *cap.* 35. *n.* 5., Duranti *lib.* 2. *cap.* 43. *num.* 5., aliiſque collectas refert Gavantus *par.* 1. *tit.* 5. *num.* 2., & meminit Bona *de div. pſalm. cap.* 13. *nu.* 3. Die itaque tertio ſolemniter fieri ſolet mortuorum recordatio, ut pius Dominus, quidquid peccaverunt cogitatione, verbo, & opere erga Deum, proximum, & ſeipſos, miſericorditer indulgendo, Sanctæ Trinitatis ſimilitudinem in eis reſtaurare dignetur. Sicut autem Chriſtus tertia die reſurgens ex mortuis, vitam noſtram reparavit in melius, ita nos tertia die pro ſpiritibus mortuorum ſacrificia offerentes, ſpem futuræ reſurrectionis, & ſecuram beatæ perennitatis gloriam profitemur, eumdem Chriſtum exorantes, ut preces noſtras acceptando, defunctorum conditionem in melius reparet, illos educendo a Purgatorii carcere ad Patriæ gaudia.

II. Septima quoque die, quo numero univerſitas deſignatur, univerſa eorum peccata delemus, Joſephi Ægypti Proregis inſtar, qui Jacob patris ſui exequias celebrans, *Gen.* 50. 10. implevit dies ſeptem luctus; unde & *Eccli.* 22. 13. dicitur: *Luctus mortui ſeptem dies*. Septem item dies Sabbatum eſt, ſymbolum futuræ quietis, unde Dominum Sabbati precamur, ut Requiem æternam eis donet, & amodo jam dicat ſpiritus, ut requieſcant a laboribus ſuis.

III. Trigeſimi obſervantia diei derivat a morte Aaron, & Moyſis, quos *Num.* 20. 30., & *Deut.* 34. 8. flevit populus triginta diebus, & ut defunctorum animæ obtineant remiſſionem delictorum, quæ tranſgrediendo decem mandata contra Patrem ex fragilitate, contra Filium ex ignorantia, contra Spiritum Sanctum ex malitia commiſerunt, ternarius namque per denarium ductus, tricenarium facit.

IV. Dies item alios, ut nonum ex Damaſceno *ſerm. de Fidel. Def.*, Quadrageſimum ex Simeone Metaphraſte *in vita S. Theodoſii Cœnobiarchæ*, & D. Ambroſio *Conc. de obitu Theodoſii*, aliquibus in religione fuiſſe commemorant Auctores, quibus Durandus addit quinquageſimum, ſexageſimum, & centeſimum, omneſque variis elucidat rationibus. Si ſuperſtitionis abſit periculum, non minus eſt laudabilis horum dierum cultus, quam illorum, ſicuti nec dierum 3. 7. 30. probandus magis, quam aliorum, ſi præfatum adſit periculum; quare rite concludit Guyetus *quæſt.* 10., quod quiſque ſervare poterit piam locorum conſuetudinem. Caveant tametſi iſti in collectis nominare mortis diem, quam commemorant, quia neque Miſſale dies alios a 3. 7. 30. agnoſcunt, nec recenſent, ut ſcite notat Gavantus *loco cit.*

V. Examen nunc expoſcit ratio, ex qua peti debet numeratio horum dierum, & ex tomo 1. *cap.* 11. *Decr.* 1. *num.* 13. recolenda venit triplex, quam tradidimus, Sanctorum diem natalitium computandi ratio, quæ pari jure deſervire valet pro computando die obitus defunctorum. Prima eſt a veſpera ad veſperam, ita ut qui v. g. obiit prima die Martii ab ea hora, quæ decantandis veſperis indicitur, hujus dies obitus non die prima Martii, ſed ſequenti conſignetur; nam juxta ritum Eccleſiaſticum, qui tunc temporis incipit officia ſequentis diei, a primis veſperis videtur ſequens dies auſpicari. Secunda eſt, ut dies illa in obitum aſſignetur, in cujus hora aliqua a media nocte ad mediam noctem contigit ipſum ex hac vita tranſire, ſic quippe communis Eccleſiæ uſus metitur dies, & præcepta Eccleſiaſtica. Tertia eſt, quod eorum, qui poſt Solis occaſum decedant, dies ſit obitus, non qui Solis occaſum præit, ſed qui ſequitur, & hoc pacto celebantur olim dies feſtivi, & alicubi ſervantur adhuc. Guyetus *lib.* 4. *cap.* 23 *q.* 11. ex hujuſmodi rationibus duplicem aliam addit, unde quarta erit a meridie ad meridiem, & hanc vulgarem, frequentiori uſu tritam nuncupat, & denique quinta ab ea hora, qua defunctus expiravit, ad parem horam diei ſequentis, & hanc opportunam dicit.

VI. Conſimilis teneri poteſt computandi ratio diem depoſitionis, ſeu ſepulturæ, quare nos illico gradum facimus ad inquirendum, an a die obitus, vel ſepulturæ numerari debeant dies 3. 7. 30. & anniverſarius? Guyetus *cit. quæſt.* a die obitus numerationem petit, Gavantus *par.* 1. *tit.* 18. *num.* 4. propendit pro die ſepulturæ, & pro hac abſolute pronuntiat Quarti *par.* 1. *tit.* 5. *num.* 3., tum quia in collectis fit mentio depoſitionis, quæ in veriori ſenſu ſtat pro die ſepulturæ; tum dies ſepulturæ ſolemnior ab Eccleſia agitur, ut præ ceteris privilegio miſſæ ſolemnis de Requiem etiam in duplicibus majoribus, & feſtivis diebus honoretur. Non deſunt denique, qui liberum faciunt ab utroque die numerationem petere, quod Eccleſia utrumque confundat, promiſcue uſurpet, & pro eodem accipiat, ut nos dicebamus in præcedenti capite, edocti ab Eccleſiæ praxi, quæ adhuc in die ſepulturæ, licet ſit diverſus a die obitus, canit in collecta miſſæ *Pro anima famuli tui, quam hodie de hoc ſæculo migrare juſſiſti*, totum temporis ſpatium ab inſtanti mortis uſque ad ſepulturam quaſi pro uno die reputans in favorem recens mortui.

VII. Nos vero hac in re diſtinguendum eſſe credimus, & ſi ſermo ſit de anniverſariis, horum numerationem peteremus a vera die obitus, non ſepulturæ, non aliud quippe volunt ea verba Decretorum, de quibus in ſequenti capite, *recurrente obitus die*, & multo magis, quæ habet Decretum 19. Junii 1700. *dummodo ſermo ſit de die vere anniverſaria a die obitus;* dictio enim *vere* fictionem quamlibet abigit, & alter exponendi facultatem pellit. Nec officit to *Depoſitionis diem* in anniverſarii miſſa repertum cum talis dies æque proprie pro die obitus aptus ſit recipi, ubi dies obitus nonniſi improprie pro die ſepulturæ accipi valet.

VIII. De diebus 3. 7. & 30. ſentimus aliter, horumque numerationem petendam eſſe credimus, non a die obitus, ſed a die ſepulturæ, ſi namque a die obitus petenda foret, defunctorum illorum, quorum cadavera juxta patriæ morem, aut alia de cauſa, puta repentina morte ſubreptorum, aut mulierum in partu deceſſarum, per dies inhumata ſervantur, dies tertius per diem ſepulturæ ſupprimeretur, vel ut minimum cum hoc continuatim agendus foret. Diximus *a die ſepulturæ;* quia in hoc cum miſſa ſolemni tumulari credimus, quod ſi una cum exequiis anticipetur miſſa, reſervato poſtea corpore uſque ad debitum tempus pro ſepultura, a die miſſæ, non ſepulturæ numeratio peti deberet, præfati namque dies non ſunt, niſi prorogatio exequiarum, & diei principalis, qui de defunctis ſolemnior fuit habitus.

IX. Totum itaque ſpatium ab inſtanti mortis uſque ad ſepulturam utile erit pro miſſa in die obitus, & pro uno die reputabitur, dummodo præſens ſit cadaver, miſſaque decantabitur inter exequias, quibus a Rituali interſeritur, Dies 3. 7. & 30., qui vix aliter commode celebrari queunt, petentur a die dictæ miſſæ, cujus ſunt ſequela quædam; & dies anniverſarius a vero die obitus, in quo commode poſt annum poteſt recoli. Et præſertim quia non eſt, niſi diei obitus recenſio annua, & repetitio ſacrificii, & precum, quibus majores noſtri

ſtri

ſtri animam in ſuo egreſſu ad tremendum Dei tribunal comitari ſolebant.

X. Reliquum eſt, perſcrutemur modo, quænam ex ſupra adductis computandi rationibus probetur magis, & ſecunda eſt ſatis congrua, ſaltem iis regionibus, quarum conſuetudo ſic dies metiri, & diſcernere obtinuit. Quinta non minus extat commoda, utpote quæ aſſignat ſpatium integrum 24. horarum, ex quibus naturalis conſtat dies, & ſimul opportuna, cum faciat commodum miſſæ cantandæ ſpatium in die veri obitus. Verum etſi hasce duas non magis collaudemus, ſi demas quartam, cui ſtandum non credimus, haud refragamur, quod & ceteræ in uſum eſſe valeant, cum iiſdem non ſemel uſa cernatur Eccleſia ipſa in ſtatuendo die natalitio Sanctorum Confeſſorum, & adhuc in horum officio in hymno cantat *meruit beatas ſcandere ſedes*, qui verſus vero dici obitus a Rubrica eſt reſervatus. Quæ præcipue uſurpari poterunt, ſi juxta computationes alias anniverſarium incideret in dies, in quibus congruenti ritu celebrari non poſſet, & in diem alterum transferri deberet.

XI. Semel autem delecta una ex dictis rationibus, ab eadem recedi non poterit, niſi dies delectus, evadat perpetuo impeditus, quia tunc latius eſſet in diem alterum illud immutare juxta aliam ex dictis rationibus, quam in diem ſequentem, vel præcedentem inconſtanter rejicere, & ſemper extra proprium diem illud excolere. Receſſum a die delecta non probat eloquium illud, *quod ſemel placuit, amplius diſplicere non debet*, non adeo tamen, ut ſi delecta dies, ſi non impedita, evadat incommoda, proprio commodo conſuli nequeat per alteram ex dictis rationibus, quin incurratur inconſtantiæ nota, quia *quæ de novo eveniunt, novo indigent auxilio*. Diximus *niſi evadat perpetuo impeditus*, quia ſi talis dies una dumtaxat, vel altera vice juxta anni contingentiam impediretur, non tunc immutatione, ſed translatione celebrationi anniverſarii conſulendum foret, praxis inſtar, quæ ſervatur, quando feſta aliqua in ſuo die quandoque impediuntur. Quæ autem *in to. 1. cap. 9.* de feſtorum immutatione dedimus, etiam pro anniverſariis deſervire valent.

DECRETUM I. CAPITIS, IN ORDINE XXVI.

Officium pro die tertio, ſeptimo, vel trigeſimo poſt obitum Defuncti, ſi cadat in die Dominico, vel feſtivo, transfertur in diem ſequentem cum eadem ſolemnitate. S. R. C. 23. Maii 1603. *in Egitanien.*

I. Barboſa *in ſumma Apoſt. deciſ. verb. off. defunct. n. 10.* & ex eo Pittonus *Deciſ. pro ſac. rit. nu. 189.*, & quod majoris momenti eſt, Meratus ipſe, qui *in Indice Brev. num.* 9. ut ſupra ſanctionem refert, *in Indice Miſſal. num.* 20. hoc pacto Decretum legunt: *Officium anniverſarium, vel ſeptenarium, vel trigenarium defunctorum poſt obitum, ſi cadat in die Dominico, vel feſtivo, transfertur in diem ſequentem cum eadem ſolemnitate*. Utraque lectio in ſcopo convenit, & ſolum ſecunda ponit *anniverſarium*, ubi prima ſcribit *diem tertium*. Verum cum a pluribus Decretis infra referendis id de anniverſario conſtanter diſpoſitum ſit, & eadem proculdubio ratio militat de die tertio, qui æque ſolemnis eſt, ac ſeptimus, & trigeſimus, ſuper Decreti lectione non eſt immorandum, & ad diem tertium Decretum utique eſt trahendum.

II. Cavetur autem, quod ſi aliquis ex hujuſmodi diebus incidat in diem Dominicam, vel feſtivam, transferendus eſt in diem ſequentem juxta Romanum uſum, qui in ſequentem diem translationes peragit; an autem, & in præcedentem diem translatio fieri queat, dicemus in ſequenti capite. *Cum eadem ſolemnitate*, & hæc nobis verba indicant, quod officium in translationis die perinde peragendum eſt, ac in propria, ſcilicet officium cum duplicatione antiphonarum, & Miſſa cum unica oratione, & ſequentia. In propoſito autem caſu transfertur iiſdem de cauſis, quas adducemus agentes de anniverſariis.

DECRETUM II. CAPITIS, IN ORDINE XXVII.

In Eccleſiis Parochialibus ruralibus, in quibus per annum plerumque unus tantum Sacerdos celebrat, & ſine cantu, poteſt dici Miſſa de Requiem, quando anniverſaria ex Teſtatorum diſpoſitione, recurrente obitus die, incidunt in feſtum duplex majus. Non idem tamen dicendum eſt de diebus 3. 7. & 30., ſed ſervetur Decretum generale editum 5. Auguſti anno 1662. S.R.C. 19. Junii 1700. *in Curien.*

I. Paſqualigus *to. 1. de ſacrif. nov. leg. quæſt.* 286. *n.* 5. iis in Eccleſiis, in quibus ex miniſtrorum defectu Miſſæ ſolemnes haberi non ſolent, inter exequias Miſſam privatam de Requiem loco ſolemnis ſubſtitui poſſe cenſuit: *In Eccleſiis, in quibus non ſolent celebrari Miſſa ſolemnes defectu miniſtrorum, ſi in ipſis celebrentur exequiæ, poterit celebrari Miſſa privata in die obitus pro Defuncto, quia tunc privata ſubſtituitur loco ſolemnis. Et deſumitur ex Rituali Romano tit. exeq., ubi abſolute præſcribitur celebratio Miſſæ in die obitus, antequam corpus tradatur ſepulturæ, nec requirit, quod iſta Miſſa ſolemniter celebretur, ſeu conventualiter. Ita enim habet Rubrica*; Miſſa vero &c. ritu pro Defunctis ut in die obitus, præſente corpore, non omittatur, niſi obſtet magna diei ſolemnitas. *Si enim ſolum concederetur Miſſa ſolemnis, raro poſſet celebrari, ſicuti raro defuncti ſepeliuntur in Eccleſiis, in quibus ſolemnes Miſſæ celebrari ſolent. Non eſt autem æquum, quod defuncti careant hoc ſuffragio, & honore ex impoſſibilitate celebrandi Miſſam conventualem*.

II. Hanc Paſqualigi ſententiam a fortiori approbat nunc Congregatio, dum in præfatis Eccleſiis Miſſam privatam loco ſolemnis, dici poſſe probat pro anniverſario: Si enim ita de anniverſario, quod non eſt, niſi annua recenſio diei obitus, multo utique magis de ipſo die obitus, de quo validiores urgent rationes, ob quas ſuper miſſis de Requiem diſpenſatum etiam extitit in diebus feſtivis, & feſtis altioris claſſis. Quoniam vero pro anniverſario Miſſa privata ſolemni ſubrogatur, etiam in duplici majori, in quo dumtaxat, & non in feſtis altioris ritus haberi poteſt Miſſa ſolemnis & in ceteris Eccleſiis, non leve argumentum eſt, privatam eandem Miſſam in prædictis Eccleſiis nedum in duplici majori dici poſſe, ſed in omnibus diebus, in quibus Miſſam ſolemnem in reſpectivo capite fecimus licitam. Non crederem autem, a quopiam reſicias iri poſſe, quod in præſentiarum ſit gratia Miſſæ privatæ pro anniverſario, nedum quia Decretum habet *dici poteſt*, quod Miſſæ privatæ, & non cantatæ videtur adaptabile, ſed magis quia ſpecialis indubie ſit favor pro Eccleſiis illis, in quibus Miſſæ ſolemnes, & cum cantu non ſolent haberi, ubi ſi de Miſſa ſolemni, aut cantata ſermo foret, quid ſpeciale minime concederetur, cum hæ in Eccleſiis omnibus poſſint haberi in duplici majori ex iteratis Decretis, & quidem ad præſens adhuc prævils, Sacræ Rituum Congregationis per Sedem ipſam Apoſtolicam confirmatis, ſcilicet 22. Novemb. 1664. approbante Alexandro VII., & 30. Julii 1669. annuente Clemente IX.

III. Ad rem facit admodum Memoriale Rituum juſſu Benedicti XIII. anno 1725. pro Eccleſiis minoribus evulgatum, in quibus privatim haberi poſſe permittuntur Miſſæ omnes, quæ in aliis non minoribus ſolemnes dumtaxat haberi queunt; quidni igitur etiam Miſſa privata de Requiem, ſi ſolemnis celebrari non valet? Ritualis Rubricæ ſuum nec denegant ſuffragium, licet namque *tit. de exeq.* poſt orationem *Abſolve* habeant; *Paratur ad celebrandam miſſam ſolemnem*, loco tamen a Paſqualigo ſupra laudato rigide mandant celebrationem Miſſæ, quin *to ſolemnis* meminerint, & idipſum præſtant *de exeq. num.* 4., & 5., ubi hæc producuntur verba: *Quod antiquiſſimi eſt inſtituti, illud, quantum fieri poterit, retineatur, ut Miſſa præſente corpore defuncti pro eo celebretur, antequam ſepulturæ tradatur*; antiquiſſimum autem ferebat inſtitutum, ut etiam cum ſola Miſſa privata de Requiem defunctorum cadavera tumularentur, ut non obſcure erui poteſt ex traditis in Decreto primo præcedenti capitis. Diceremus nos itaque, quod Rituale utramque Miſſam privatam, & ſolemnem indulget, cum hac tamen limitatione, ut ſolemnis haberi debeat, ubi commode poteſt, privata vero, ubi alias ſine Miſſa cadavera ſepeliri deberent.

IV. Apud Eccleſiam acceptio perſonarum non eſt, ſed filios ſuos omnes indifferenter reſpicit, quare minus æquum foret, minuſque conſonum Eccleſiæ moribus, quod quoties ex defectu miniſtrorum, aut Defunctorum ob paupertiem miſſa ſolemnis abſoluta, aut commode haberi non poteſt, Defuncti ſpeciali ſuffragio, & honore congruentis miſſæ carere deberent, & viventes ea conſolatione præſtandi ſuis mortuis hoc pacto ultima ſigna ſui amoris, & poſtrema officii munera in die illa, in qua eoſdem debent pro ſemper dimittere. Etſi itaque Decretum *Eccleſias Parochiales, & rurales* nominet, tu illud extende ad Eccleſias, etiam non Parochiales, & non rurales, apud quas cum cadaver ſit tumulandum, Miſſa ſolemnis abſolute, vel commode haberi non poteſt ex ſupra recenſitis cauſis; aliiſque ſimilibus, & reſtrictiva verba in Decretum irrepſiſſe puta ratione petitionis, quæ ſuper dictis Eccleſiis facta extitit.

V. Oppones ea verba Decreti ſecundi capitis præcedentis: *& multo minus dicenda eſt una miſſa privata deficientibus clericis in choro*, per quæ a duplicibus primæ claſſis rejicitur Miſſa privata de Requiem, etſi ex defectu miniſtrorum ſolemnis haberi non poſſit. 2. Benedictus ipſe Papa XIII. qui Defunctis adeo extat favorabilis, ut ſententiam renovet de iteratione ſacrificii ab eodem ſacerdote jejuno habenda, ne cadavera ſine congruenti Miſſæ ſepulturæ tradantur, dies feſtivas excipit, *Purchè non accada il caſo della ſepoltura di un cadavero in dì feſtivo*, ut in Decreto primo ejuſdem capitis. Verum hæc ſolum limitant, quæ modo diximus, ut locum non habeant in diebus feſtivis, & duplicibus primæ claſſis, quibus congrue adderentur duplicia ſecundæ claſſis, non tamen favorem removent ad tramites præſentis ſanctionis, quæ ſi Miſſas privatas de Requiem indulget in duplici majori, & minori, quod non eſt de præcepto, in anniverſariis, multo magis id fieri permittit in die obitus præſente corpore. Ceterum productæ oppoſitiones haud validæ ſunt Paſqualigi ſententiam limitare; primæ enim ſcopus eſt, ut ex textu patet, miſſam privatam rejicere ab iis duplicibus, in quibus nec Miſſa ſolemnis locum habet, & ſecundæ iterationem miſſæ in diebus feſtivis hac de cauſa inhibere.

VI. Ex his habetur facile intelligentia Decreti, ita ut ubi abſolute, vel ſine gravi incommodo haberi nequit miſſa ſolemnis, per Miſſam privatam de Requiem ſuppleri queant anniverſaria, licet incidant in feſtum duplex majus, aut minus, quod non ſit de præcepto; in caſu autem impedimenti in præcedentem, vel ſequentem diem cum eodem privilegio transferri poſſunt inſtar eorum, quæ infra dicentur in capite de Anniver-

Digitized by Google

niverſariis. Quod privilegium ut in licitum uſum eſſe valeat, expoſcit Decretum, quod anniverſarium *ex Teſtatorum diſpoſitione* fuerit indictum, & indictum *pro die obitus recurrente*, quare vi primæ conditionis Miſſa ut ſupra privata haberi non poterit ad inſtantiam vivorum, & ratione ſecundæ in diebus aliis a die obitus, licet ex Teſtatorum diſpoſitione anniverſarium fuerit demandatum.

VII. Rurales tamen, quarum Decretum meminit, Eccleſias inter urbanas, & ſuburbanas hocce poneremus diſcrimen, quod in his etſi per annum unus plerumque tantum ſacerdos celebret, & ſine cantu, adhuc nec in exequiis, nec in anniverſariis, ſi duplex feſtum incidat, miſſæ privatæ de Requiem ſubſtitui valent, quia facile, & commode ex aliis Eccleſiis acciri poſſunt Sacerdotes, & miniſtri, per quos miſſa ſolemnis decantetur; bene vero in illis, quia non ſine gravi incommodo ex aliis villis Sacerdotes vocari deberent. In urbibus itaque, & ſuburbiis ſubſtitutio præfate locum habere non poteſt, niſi ſtante tenuitate redituum, in quibus fundantur anniverſaria, aut Defunctorum pauperie, & hæredum, vi cujus per ſtipendium vel abſolute non poſſunt, vel non ſine gravi incommodo, acciri Sacerdotes alii, quatenus hi charitative inſervire nolint.

VIII. *Non idem tamen dicendum eſt de diebus 3. 7. & 30.*, & quidem licet ex Teſtatorum mente fuerint indicti, præſens namque diſpoſitio contraria eſt præcedenti, quæ de anniverſariis lata fuit ex Teſtatorum diſpoſitione demandatis. Anniverſaria in Eccleſia ſemper fuerunt ſolemniora, & in memoriam revocant diem obitus, de quo Eccleſiaſticæ ſanctiones habuere ſemper rationem plurimam, ſingularibuſque decorarunt privilegiis, ubi dies 3. 7. & 30. non ſunt, niſi extenſiones quædam exequiarum jam habitarum, quare mirum non eſt, ſi hi prædicto ſubſtitutionis privilegio donati minime fuerunt. Quid autem hocce in caſu faciendum ſit, reponit Decretum; *ſervetur Decretum generale editum 5. Auguſti anno 1662.*, quod dicendam mandat miſſam privatam de die cum applicatione ſacrificii, ne ſcilicet dilatio animabus ſuffragia expectantibus detrimento ſit. Sermo non eſt de Eccleſiis, in quibus miſſæ de Requiem in cantu haberi poſſunt, quia in his juxta præcedens Decretum præfati dies transferri debent cum eadem ſolemnitate, ſed de Eccleſiis, in quibus jam miſſa ſolemniter fieri non debet; jure autem arbitratum extitit defunctorum ſuffragiis magis iri conſultum per miſſam privatam de die, quam per privatam de Requiem, ſed protractam. Hoc tamen limita, ſi in immediate antecedenti die anticipari poſſet ob occurrentiam feſti admittentis miſſas privatas de Requiem. Diximus *in immediate antecedenti die*, quia ulterior anticipatio elongaretur nimium a præſcripta die, ſine cauſa diſcederet ab ejuſdem myſteriis, fruſtraretque Teſtatoris mentem.

IX. Idem eſto judicium de aliis miſſis ſolemnibus, vel cantatis in iis Eccleſiis, in quibus ut ſupra haberi non poſſunt. Non enim transferendæ erunt, nec per miſſam privatam de Requiem in duplicibus ſuppleri poterunt, ſed per miſſam de die cum applicatione ſacrificii explendæ. Decretum namque dumtaxat eſt favorabile anniverſariis, & conſequenter etiam diei obitus, de quo potior urget ratio, non autem ceteris miſſis a Teſtatore demandatis, quarum ratio communis eſt diebus 3. 7. & 30., quibus Decretum prædictam ſubſtitutionem expreſſe denegat. Miſſam vero diei obitus, ſeu depoſitionis, quam abſente corpore in duplicibus ſuperius fecimus licitam, in privatam, ubi in cantu haberi non poteſt, de Requiem transmutari poſſe crederemus, uti & de die quaſi obitus, cum primum ſcilicet habetur notitia de obitu alicujus, quia de his ſi non potior, ſaltem par procedit ratio, ac de anniverſariis, in primi namque caſu verus currit dies obitus, ſeu depoſitionis, cujus anniverſarium non eſt, niſi annua memoria, & in poſteriori ſubrogatur loco diei mortis, quatenus ob inſcientiam in vero die obitus miſſa haberi non potuit.

X. Quoniam vero miſſa a nobis diſtinguitur alibi in ſolemnem, cantatam, & privatam, quarum prima eſt, quæ celebratur cum miniſtris ſacris; ſecunda, quæ habetur in cantu, ſed ſine ſacris miniſtris, uno ſolo Acolytho miniſtrante; & tertia, quæ privatim ſine cantu dicitur; idcirco advertere operis pretium eſt, quod nunc conceditur miſſa privata ſine cantu, alias quippe cum in quibuſcumque Eccleſiis miſſa cum cantu haberi poſſit, etſi anniverſarium incidat in feſtum duplex majus, particulare aliquid non indulgeretur pro Eccleſiis ruralibus, aliiſque, in quibus plerumque unus tantum ſacerdos celebrat, & ſine cantu. Quæ verba & *ſine cantu* deſignant nobis, locum non habere miſſam privatam, quatenus in cantu haberi queat, ac conſequenter in caſibus omnibus, in quibus ſubſtitutionem miſſæ privatæ fecimus licitam, hæc limitatio adhiberi debet, ita ut in cantu fieri debeat, ſi commode poteſt.

DECRETUM III. CAP. IN ORDINE XXVIII.

In diebus relictis a Teſtatore, 3. 7. 30. miſſa ſolemnis de Requiem poteſt cantari, etiam in duplici majori, dummodo non ſit feſtum de præcepto, & non ſit duplex 1. vel 2. claſſis. S. R. C. 27. *Sept. 1669.*

I. TUrrinus *par. 2. ſect. 1. cap. 4.*, Gavantus *par. 1. tit. 5. lit. y*; Meratus *ibidem num. 3.*, Guyetus *lib. 4. cap. 23. q. 12.* & 16. Quarti *par. 1. tit. 5. dub. 2.* dum id juris, quod anniverſariis competit, prædictis diebus faciunt, utique ſentire videntur, quod Miſſa eorundem dierum etiam in duplici majori, quod non eſt de præcepto, locum habeat, & quod ſi impedimentum accidat, transferri poſſit cum iiſdem privilegiis, & ſolemnitate. Decretum primum hujuſce capitis ſuum favorem exhibet, dum in incidentia in dies feſtivos, *cum eadem ſolemnitate* prædictos dies transferendos eſſe ſtatuit, & præſertim ſi in eo legendum ſit *officium anniverſarium &c.*: hoc enim ipſo denotat, idem judicium de iiſdem diebus habendum eſſe, ac de anniverſariis, quæ id juris habent & in propria die, & in iis, in quos transferuntur.

II. Quæſtionem præſens prorſus dirimit Sanctio, quæ ceteroquin, cum dumtaxat faveat caſui, quatenus *prædicti dies relicti ſint a Teſtatore*, uniſonas habet ſanctiones alias plurimas, quæ, ut infra videbimus, ad adimplendam Teſtatorum mentem, Miſſas in cantu haberi permittunt, etſi feſtum duplex majus occurrat, quando eædem Miſſæ *pro certis, & ſtatis diebus* ſunt demandatæ, ut impræſentiarum evenit. Quoniam vero Sanctiones hæ nedum Miſſæ ſolemnis, ſed etiam *cantatæ* indulgentiam faciunt, ad Miſſam etiam cantatam trahi debet præſens Decretum, etſi ſolius *ſolemnis* meminerit. Hinc denique haberi poteſt facile, haud licitam eſſe ejuſmodi Miſſam in duplicibus ad vivorum inſtantiam, ſed ſolum ad implendam Teſtatorum mentem, de qua potiorem ſemper Decreta habent rationem.

III. Opponès Rubricam V. Miſſalis *num. 2.*, quæ præter diem depoſitionis id privilegii dumtaxat facit diei anniverſario. 2. quod S. R. C. 19. Junii 1700. Miſſam ſolemnem haberi permittit in anniverſariis, etiam ad vivorum inſtantiam; quidni igitur & in memoratis diebus? Verum ad primum dicimus, quod quodammodo ſupplet eadem Rubrica *num. 3.*, dum anniverſarii inſter Miſſam dierum 3. 7. & 30. donat privilegio unicæ orationis, uti & Rituale, quod pariformiter de iiſdem loquitur, & diſponit, ac de anniverſariis. Ceterum quamvis adhuc Rubricæ minime faveant, quid inde, ſi nobis Decreta ſuppetunt, quæ Rubricas extendunt, aut magis id privilegii faciunt? Rubricæ nec meminere diei quaſi obitus, aliorumque caſuum, & tamen quis unquam hinc inferret, haud in iiſdem cantari poſſe Miſſam de Requiem, quam Decreta diſerte faciunt licitam? Ad 2. obvia eſt reſponſio, quod ob potiorem cauſam, qua præ his gaudet dies anniverſaria, hæc jure donari potuit privilegio Miſſæ de Requiem, etiam ad inſtantiam vivorum. Hujuſmodi autem cauſa deſignatur ſatis in Decreto, dum conditionem adjicit, *Dummodo ſermo ſit de die vere anniverſaria a die obitus*, cujuſmodi non ſunt dies 3. 7. & 30. ſed ſolum diei obitus extenſio quædam.

CAPUT QUINTUM.

De Anniverſariis.

I. ANniverſariorum originem nonnulli repetunt a teſtamento S. Remigii, in quo quid ſimile demandatum fuit. Verum de anniverſaria die pro mortuis, mentionem habet Remigio antiquior Tertullianus, qui *lib. de Monogamia* ſcribit: *& offerat annuis diebus dormitionis ejus*; & de corona militis: *oblationes pro Defunctis pro natalitiis annua die facimus.* Quinimmo tantæ antiquitatis ſunt, ut teſtibus Platone 4. *de leg.* & Thucidide *lib. 3.* ab Ethnicis uſque haberi conſueverint. Fiunt autem, inquiunt Amalarius *lib. 3. cap. 44.*, & Alcuinus *cap. penult.*, ut ſicut Sanctis ea dies prodeſt ad gloriam, & reducitur ſuper utilitate noſtra, ita Defunctis proſit ad utilitatem, & ſalutem, & reducatur itidem ſuper utilitate noſtra, quatenus credimus eoſdem aliquando venturos ad conſortium Sanctorum. Similiter quia neſcimus, qualiter eorum cauſa habeatur in alia vita, & ideo ea potiſſimum die, qua e nobis receſſerunt, ſuffragia noſtra repetimus, quæ melius eſt, illis ſuperſint, quam per oblivionem, & incuriam deſint, ut rite monet Auguſtinus *lib. 2. de cura pro mortuis*, & refert *can. non æſtimemus 13. qu. 2.* A qua die, ſepulturæ nempe, aut obitus petenda ſit dies anniverſaria, in præliminaribus præcedentis capitis ſatis diximus: ceterum Decreta fere cuncta hujus capitis, dum anniverſariorum celebrationem concorditer indicunt *recurrente obitus die*, non a die ſepulturæ, ſed obitus magis petendam eſſe affirmant.

DECRETUM I. CAPITIS, IN ORDINE XXIX.

Anniverſaria, & Miſſæ cantatæ de Requiem relictæ ex diſpoſitione Teſtatorum, quotannis in die ipſorum obitus, etiam in duplici majori contingentis, poſſunt celebrari, & proinde in Decreto die 5. Auguſti 1662. edito, non comprehenduntur. S. R. C. 22. Novembris *1664. in Novarien.*

I. SAcra Rituum Congregatio approbante Alexandro VII. die 5. Auguſti 1662., generale Decretum edidit, in quo diſtricte inhibuit Miſſas privatas de Requiem in duplicibus, & quatenus a Benefactoribus præſcriptæ forent, non transferendas, ſed ſupplendas voluit per Miſſas de die cum applicatione ſacrificii, ne dilatio Defunctis detrimento eſſet. Putarunt aliqui idem judicium habendum eſſe, ac praxim ſervandam de anniverſariis, & miſſis cantatis, utique tamen perperam, cum Decretum de Miſſis privatis diſerte loquatur, & nec verbum teneat de anniverſariis, & miſſis cantatis, quæ propterea in dicta ſanctione rite nunc declarantur minime comprehendi. Quatenus vero ulterius declarantur licitæ, diſerte favet Rubrica V. Miſſalis, quæ *num. 2.* poſita generali diſpoſitione

non cantandi in duplicibus Miſſas de Requiem, per hæc verba *Niſi in die depoſitionis, & in Anniverſario pro Defunctis*, anniverſaria a facta diſpoſitione eripit, & in eorumdem favorem contraria ſtatuit. Reliqua recole in ſequenti Decreto.

DECRETUM II. CAPITIS, IN ORDINE XXX.

Anniverſaria, & miſſæ de Requiem, quæ ex diſpoſitione Teſtatorum cum cantu ſunt quotannis celebrandæ, poſſunt cantari, etiamſi ipſorum obitus inciderit in feſto duplici majori. S. R. C. 20. Julii *1669.* annuente Clemente IX. die 13. ejuſdem anni in Decreto generali.

I. PRæcedenti conſimilis eſt ſanctio præſens, unde omiſſis iis, quæ in illius expoſitione dedimus, ſtatim arripimus verba, quibus ſunt compactæ, ut hinc eruantur limites, intra quos ſunt conſtitutæ. *Anniverſaria, & Miſſæ de Requiem.* Dictio & ſtat expoſitive pro *ideſt*, adeoque conceſſionem minime multiplicat; quæ enim conceduntur, ſunt anniverſaria, & Miſſæ cum cantu *in die obitus annuatim recurrente*; hujuſmodi autem Miſſæ cantatæ, communi *anniverſariorum* vocabulo exprimi ſolent, vel ad anniverſaria reducuntur.

II. *Quæ ex diſpoſitione Teſtatorum.* Ultimis voluntatibus multum honoris omnia jura deferunt, & ideo nunc anniverſaria a Teſtatoribus relicta conceduntur in duplicibus haberi, non ſic quæ a viventibus indicerentur, licet in Defunctorum ſuffragium, & in horum obitus annua die. Non dubitamus autem, quod Decreti favor nedum extendatur ad omnes teſtamentorum ſpecies, ſive ſit ſolemne, aut privatum, tum militare, ſeu nuncupativum, ſed etiam ad quamlibet ultimam voluntatem, ſive per codicillum, ſeu donationem, vel renunciationem cauſa mortis naturalis, aut civilis, aut diſpoſitionem, vel contractum quemlibet expreſſam, quæ a Defunctis, dum viverent, fuerit habita, licet hæc omnia *teſtamenti*, ad quod ea Decreti verba *Teſtatorum* referri videntur, appellatione vere non veniant. An autem haberi itidem poſſint anniverſaria ad vivorum inſtantiam, dicetur infra.

III. *Cum cantu ſunt quotannis celebrandæ.* Solius cantus Decretum meminit, quare neceſſe non erit, quod cum Miniſtris ſacris celebretur Miſſa, ut perfruatur privilegio, ſed ſatis erit, quod in cantu habeatur. Dictio *Quotannis* videtur equidem favorem reſtringere ad ea anniverſaria, quæ pro ſingulis annis ſunt indicta, non vero, quæ per determinatos annos dumtaxat ſunt celebranda, ſed cum hæc iiſdem rationibus, ſi non potioribus, maneant innixa, quidni pari ſaltem jure gaudebunt? Ad rem admodum facit præcedens Sanctio, in qua dictio *Quotannis* non afficit diſpoſitionem Teſtatorum, quaſi ab his pro ſingulis annis Miſſæ injunctæ eſſe debeant, ſed earumdem celebrationem, & ſenſum reddit, quod non uno dumtaxat, vel altero anno decantari queunt, ſed ſingulis annis, quatenus pro ſingulis annis fuerint impoſitæ. Suffragantur etiam Decreta alia, & Rubrica ſuperius recenſita, quæ nedum præfatam dictionem non apponunt, ſed univerſim in duplicibus anniverſaria, & Miſſas cantatas ejuſmodi concorditer indulgent.

IV. *Poſſunt cantari.* Non itaque ultra ſolemnem, aut cantatam privatarum Miſſarum celebratio erit licita, quas nec licere diximus in ipſo die obitus præſente corpore; unde quatenus ſimiliter ſint indictæ, de die celebrari debebunt cum applicatione ſacrificii ad præſcriptum Decreti 5. Auguſti *1662.*, de quo agemus alibi.

V. *Etiamſi ipſorum obitus.* Hæc verba ſatis indicant, quod favorabile ſolum extat Decretum anniverſariis, quæ facienda ſunt *recurrente die obitus*, non Miſſis aliis, quæ ex Teſtatorum diſpoſitione diebus aliis, licet ſtatis, & determinatis, decantandæ forent, adhuc in ſuffragium eorumdem Teſtatorum. Quæ ponderentur, ſunt digna & ea verba *Ipſorum*, quæ ad Teſtatores referuntur; ſignant enim, quod vi præſentis ſanctionis in duplicibus licita non ſunt ea anniverſaria, quæ licet a Teſtatoribus fuiſſent indicta, non tamen in ſui ſuffragium, & pro die ſui obitus, ſed puta in ſuffragium, & pro die obitus Patris, vel uxoris ipſorum Teſtatorum. Quod ſi Teſtatores ad anniverſariorum, quæ in ſui ſuffragium, & pro ſui die obitus demandant, participationem etiam alios admittant, hujuſmodi anniverſariis in duplicibus locum facimus: tunc enim cantarentur in die obitus ipſorum Teſtatorum, ab his eſſent indicta, & pro ſui ſuffragio, licet non integro; quod tamen minime officere, ſatis evincit generalis illa regula, quod favores ſunt ampliandi, non reſtringendi, ſaltem quando legis verba quadrant. Idem judicium facimus de iis anniverſariis, quæ licet a pluribus Teſtatoribus in ſui ſuffragium, & pro die ſui obitus fuerint indicta, cum tamen ſufficientibus non inhærerent redditibus, per reductionem ad unum, vel ad pauciora fuerunt redacta, ita ut hujuſmodi anniverſaria in die obitus alicujus ex Teſtatoribus, qui anniverſarii ſunt participes, cantari queant etiam in duplicibus.

VI. *Inciderit in feſto duplici majori.* An autem etiam in duplicibus altioris claſſis, octavis privilegiatis, aliiſque diebus, quæ expellunt feſta duplicia, locum habeant, in ſequentibus Decretis reſervamus agere.

DECRETUM III. CAPITIS, IN ORDINE XXXI.

In anniverſario occurrente in feſto duplici 2. claſſis non poteſt cantari miſſa de Requiem. S. R. C. 5. Julii 1698. *in Collen.*

I. DEcreta, quæ ſuper Miſſas anniverſariorum in duplicibus indulgent, ſe quidem exprimunt de duplici uſque majori, ſed taxativam non habent dictionem aliquam, per quam eaſdem Miſſas a duplicibus altioris ritus abigant. Iiſdem ſupplementum præſens defert ſanctio, quæ dum a duplici 2. claſſis prædictas Miſſas rejicit, ubertim evincit, Decreta illa cum excluſione eſſe accipienda. Equidem nonnihil negotii faceſſit Rubrica V., quæ *num.* 2. lata generali inhibitione Miſſæ conventualis pro Defunctis in duplicibus, per hæc verba *Niſi in die depoſitionis Defuncti, & in anniverſario pro Defunctis*, exceptionem æque ponit in favorem diei depoſitionis, & anniverſarii, quare ſicuti Miſſa depoſitionis & locum habet in duplici 2. claſſis, idipſum in die anniverſario præſtari poſſe videtur. Verum etſi dictio *Niſi* adverſetur præcedenti orationi, ac conſequenter in duplicibus, in quibus Miſſas conventuales de Requiem illa inhibuerat, haberi queat miſſa anniverſarii, & depoſitionis, neceſſe tamen non eſt, quod utraque hæc Miſſa locum æqualiter habeat in omnibus duplicibus, ſed ſufficit, quod etiam Miſſa anniverſarii in duplici aliquo ſpatium reperiat. Breviarium *tit. de off. dupl.* conſimilem habet Rubricam, pluribus namque diebus, & officiis ritum duplicem indiſcriminatim aſſignat, & veritatem cenſetur habere, per hoc quod memorata feſta omnia, ritu duplici celebrentur, licet non ſub eadem ſpecie duplicis.

II. Et quidem quamvis eadem Rubrica a generali diſpoſitione, quam præmiſerat, excipiat Miſſam depoſitionis, adhuc hæc in duplicibus omnibus locum non cenſetur habere, & Decreta, quæ ſuper diem obitus fuerunt edita, dictæ Rubricæ ſenſum aperiunt, quoadusque diei obitus favorabilis extet; quidni itaque & Decreta, quæ ſuper diem anniverſarium prodiere, aperire poterunt favorem ejuſdem Rubricæ, & amplitudinem pro die anniverſario? Admodum autem erat congruum, quod amplius pateret ſpatium diei obitus, in quo nedum animæ vix egreſſæ, & nondum adjutæ ſubſidia exhiberi debent, ſed etiam debitus honor præſenti corpori, quam diei anniverſario, in quo eidem animæ in ſupplementum ſolummodo deferuntur ſuffragia, nec præſens corpus eſt, cui honor præſtetur. Decreta itaque, quæ anniverſaria in feſto duplici majori celebrari permittunt, ita accipienda ſunt, ut in feſto altioris claſſis minime liceat.

DECRETUM IV. CAPITIS, IN ORDINE XXXII.

Infra octavas privilegiatas non poteſt cantari Miſſa Defunctorum in anniverſario, & officio ſolemni. S. R. C. 5. Julii 1698. *in Collen.*

I. OCtavas privilegiatas contra duplicia primæ, aut ſecundæ claſſis anniverſariis hæc ratio declarat immunes, quod etſi reſpective ritu duplici minori, vel ſemiduplici ipſæ peragantur, æquivalent tamen quodammodo ritui, cujus feſta excludunt, ac conſequenter ſi reſpuunt duplicia primæ, aut ſecundæ claſſis, utique & anniverſaria, quæ in ſolo duplici majori utile reperiunt ſpatium. Hujuſmodi ſunt octavæ Epiphaniæ, Paſchæ, & Pentecoſtes, & ſi quæ alicubi habeantur ſimili privilegio ſuffultæ. Eadem autem utique ratio ab anniverſariis liberat dies eos omnes, qui feſta primæ, aut ſecundæ claſſis abigunt, cujuſmodi ſunt vigiliæ Nativitatis, & Pentecoſtes, feria IV. cinerum, & tota hebdomada major. Secus eſt de iis diebus, quæ ſolum pellunt feſtum duplex majus ratione dignitatis, non altioris ritus, ut feſta Domini, aut cauſa ſuæ intransferibilitatis, ut quælibet dies octava; hæc enim cum non eleventur ſuper ritu duplici majori, fas eſt, cedant anniverſario, quod vi privilegii cuicumque duplici majori prævalet.

II. Quod addit ſanctio *& in officio ſolemni*, non afficit officium depoſitionis, cui jam locum fecimus in prædictis octavis omnibus, atque diebus, ſed magis officium dierum 3. 7. 30., vel aliorum ſolemniter celebratorum, de quibus loquitur Rubrica V. *num.* 3. Quam adduximus, videtur fallere ratio in officio depoſitionis, cujus Miſſa locum habet in feriis, & octavis, quæ pellunt ſolemniora feſta, a quibus illa excluditur. Verum jam hoc in proprio reſolutum fuit capite, nimirum ita fieri, quod non ritus, ſed ſolemnitas ſolummodo recuſet officium obitus; quæ autem pellunt ſolemnitates, nec æquivalenter ipſæ conſtituuntur ſolemnitates. Quid autem dicendum ſit de octavis, aliiſque diebus dumtaxat repellentibus officia duplicia minora, aut majora, vel ſemiduplicia, ſequens dabit ſanctio.

DECRETUM V. CAPITIS, IN ORDINE XXXIII.

Miſſæ cantatæ mortuorum infra octavam Corporis Chriſti non ſunt celebrandæ, niſi præſente corpore. S. R. C. 12. Sept. 1675. *in Nuſcana.*

I. MEratus, qui *in Indice Miſſal. num.* 418. Decretum ut ſupra legit, incongruenter admodum, & inconſonanter *par.* 1. *tit.* 5. *num.* 5. vice *Miſſæ cantatæ* ſubſtituit *anniverſaria*, quaſi *anniverſarii* vocabulum adaptabile foret Miſſis exceptis,

ſcilicet

Digitized by Google

ſcilicet quæ in die obitus, ſeu *præſente corpore* celebrantur. Legendum eſt itaque *Miſſa cantata*, ſub quarum nomine nedum veniunt Miſſæ anniverſariorum, ſed etiam diei quaſi obitus, dierum 3. 7. & 30., & quæcumque aliæ, licet ſolemniter celebrandæ, præter illam præſente corpore, quam excipit dictio *Niſi*, & inſimul quaſcumque alias depellit, crederem etiam ſolemnes, licet Decretum ſolum cantatas nominet, quia quæ excipitur, ex ſolemnibus eſt.

II. Octava Corporis Chriſti privilegiata dumtaxat eſt contra ſemiduplicia, etiam occurrentia, & duplicia per annum translata, non contra duplicia occurrentia: quomodo itaque anniverſariorum Miſſas, aliaſque occurrentes, quibus cedunt dupplicia ipſa majora, reſpuere valeat, facile non eſt edocere. Verum præ ceteris id privilegii hæc aſſequitur octava, ut nunquam, occurrente etiam duplici primæ claſſis, ſui commemorationem deperdat; hinc quia in Defunctorum Miſſis prælata commemoratio locum non habet, jure intra eadem octavam vetitæ ſunt quæcumque Miſſæ de Requiem, privatæ, cantatæ, & ſolemnes, excepta dumtaxat Miſſa præſente corpore, de qua validiores admodum militant rationes, alibi recenſitæ.

III. Quoniam vero conſimili commemorationis privilegio gaudet octava Nativitatis Chriſti, & licet admittat officia ſemiduplicia, reſpuit privatas Miſſas de Requiem, quæ in ſemiduplicibus locum habent, nos non ambigimus, quod etiam cantatæ, & ſolemnes excluſæ cenſeri debeant ſola excepta, quæ dicitur præſente corpore. De Vigilia Epiphaniæ in cap. 9. reſervamus agere, dumtaxat modo advertentes, quod anniverſaria locum non habent in diebus Dominicis, aliiſque feſtivis de præcepto, a quibus jam diſerte excluſas vidimus commemorationem ipſam ſolemnem omnium Defunctorum, tum Eccleſiæ univerſalis, tum particularis, Miſſas ſolemnes diei depoſitionis abſente corpore, diei quaſi obitus, & dierum 3. 7. & 30., & adhuc in ſequenti capite anniverſariorum Miſſas videbimus aperte depulſas.

DECRETUM VI. CAPITIS, IN ORDINE XXXIV.

Anniverſariæ, & aliæ miſſæ pro Defunctis certo die dicendæ, eo impedito, poſſunt transferri in diem ſequentem. S. R. C. 27. Sept. 1608.

I. HUcuſque de diebus, in quibus anniverſaria utile non reperiunt ſpatium, nunc deciditur, quod anniverſaria ſic impedita, ſupplenda non ſunt per Miſſam de die cum applicatione ſacrificii, uti fit in Miſſis privatis, ſed magis transferenda: verum pro horum translatione ægre ne ferat Lector, ſi ad ſequens Caput remittitur.

DECRETUM VII. CAPITIS, IN ORDINE XXXV.

Ex privata devotione Parochianorum petentium ſæpius per annum anniverſaria pro defunctis parentibus, fratribus, amicis, & aliis defunctis, poteſt in ruralibus Eccleſiis cantari Miſſa ſolemnis de Requiem in feſto duplici minori, altera Miſſa cantata de feſto, ubi adſunt plures, vel ſaltem duo ſacerdotes, dummodo ſermo ſit de die vere anniverſaria a die obitus. S. R. C. 19. Junii 1700. *in Curien.*

I. ULtimas obſecundans voluntates ſuper anniverſariis in duplici decantandis, non ſemel ſacra Congregatio indulſit; nunc quid concedendum etiam cenſuit conſolationi viventium, qui Defunctis ſuis id ſubſidii præſtare vehementer exoptant. Fas nobis tamen ſit, ejuſmodi indultum ſtrictioribus evulgare coarctatum limitibus. Dicit Decretum *in feſto duplici minori*; quare cum diſerte ſe explicet, noſtrum non eſt, illud extendere ad duplex majus, in quo etiam locum habent anniverſaria a Teſtatoribus indicta. Per ea verba, *dummodo ſermo ſit de die vere anniverſaria a die obitus*, alteram conditionem adjicit, ea qua nos primo eruimus, Miſſas de Requiem ad inſtantiam vivorum ſolum decantari poſſe *in die obitus annatim recurrente*, non autem in aliis diebus, in quibus peterentur. Secundo eaſdem Miſſas, ſi dies anniverſaria ſit impedita, minime transferri poſſe in diem aliam impeditam feſto duplici, & in ea decantari; dictio enim *vere* juxta tradita per Gonzal. *ad reg.* 8. *Cancell. gl.* 15. *num.* 5. fictionem omnem excludit; quare cum dies altera non ſit *vere* anniverſaria a die obitus, ſed ſolum fictione aliqua, quatenus in ea commemoraretur dies anniverſaria, pro eadem Decretum ſuffragari non velet. Quod ſi ejuſmodi Miſſa petatur pro pluribus, eadem ratione, qua ſuperius fecimus licitas, quæ a Teſtatoribus indicuntur, arbitramur etiam licitas Miſſas ad inſtantiam vivorum, dummodo habeantur in die vere anniverſaria obitus alicujus ex Defunctis, pro quibus eſt decantanda.

II. *Miſſa ſolemnis*, ait Decretum, & reſtrictionem aliam videtur importare, ut videlicet indultum ſufragetur ſolummodo pro Miſſa ſolemni, non cantata. Ad has tamen anguſtias nos credimus Decretum non poſſe redigi, quod de ruralibus Eccleſiis procedit, impoſito adhuc onere de altera Miſſa cantata de feſto, ubi adſunt plures, vel ſaltem duo Sacerdotes; quod ad praxim in hiſce Eccleſiis vix poteſt reduci; qua utique de cauſa *ab eadem Curienſi* Eccleſiæ ejuſmodi ſuperius donatæ fuerunt privilegio ſubſtitutionis Miſſæ privatæ loco anniverſarii. Quoniam itaque privilegium non debet eſſe fruſtraneum, ſemperque aliquid debet operari, non ita reſtrictum cenſeri debet ad Miſſam ſolemnem, ut etiam cantata non poſſit haberi, ſi ſolemnis abſolute non poſſit, aut non niſi cum gravi incommodo celebrari. Lege autem alterius Miſſæ de feſto non tenebuntur, niſi quatenus alias adſit obligatio, quemadmodum Congregatio ipſa mentem ſuam in ſimilibus non ſemel expreſſit. Vide dicenda in Decr. 6. ſeq. Cap.

III. *Ex devotione Parochianorum, & in ruralibus Eccleſiis.* Non ſtant hæc verba reſtrictive, aut limitative, ita ut dumtaxat id liceat, ſi Parochiani petant, & fiat in ruralibus Eccleſiis; apud Eccleſiam enim acceptio perſonarum non eſt, nec fideles reliqui, æquum eſt, nec Eccleſiæ ſimili conſolatione priventur; quare allegata verba ratione ſolius petitionis in Decretum irrepſiſſe credimus, Decretumque fidelibus cunctis, atque Eccleſiis non minus eſſe favorabile. Reliquum dumtaxat eſt, prædicta Miſſa cenſeatur excluſa a diebus iis omnibus, in quibus anniverſaria juxta ſuperius dicta fieri non licent, & inſuper a quocumque officio duplici majori, in quo ceteroquin anniverſaria per Teſtatores indicta, locum reperiunt.

C A P U T   S E X T U M.

De Miſſis Defunctorum ex Teſtatorum diſpoſitione cantandis.

1. LAtius utique, quam præcedentia omnia, ſpatium habet caput, quod ſumimus examinare, namque comprehendit eadem capita fere cuncta, de quibus propterea non ſemel ſermo incidet, & præcipue de anniverſariis, quorum Decreta aliqua adhuc noſtram expectant conſiderationem. *De Miſſis cantandis* caput inſcripſimus, ut tum ſolemnes, tum cantatas clauderet; in eo autem ſolemnes a pure cantatis diſcrimen habent, quod illæ ultra cantum miniſtros ſacros expoſtulant, ubi hæ contentæ ſunt canto, & miniſterio ſolius Acolythi. Diximus *ex Teſtatorum diſpoſitione*, ut ad ejuſmodi Miſſas reſtringeretur ſermo, ad inſtantiam quippe vivorum celebrari non poſſunt Miſſæ de Requiem, neque in cantu, niſi prout Rubricæ ferunt, & via aliud reperire eſt privilegium, quo gaudeant, quam quod in præcedenti Decreto deſcripſimus.

DECRETUM I. CAPITIS, IN ORDINE XXXVI.

Defunctorum Miſſæ non ſunt cantandæ, nec celebrandæ in diebus ſolemnibus. S. R. C. 23. Junii 1607. *in Veron.*

I. NE perturbetur, vel interrumpatur occurrens ſolemnitas, e diebus ſolemnibus abiguntur Miſſæ de Requiem privatæ, atque cantatæ. Verum opus eſt diſtinctione, & ſi ſolemnitas non ſit magna ad tramites eorum, quæ in reſpectivo capite dedimus, expulſæ non erunt Miſſæ ſolemnes præſente corpore; quoad anniverſaria vero, diem depoſitionis abſente corpore, diem quaſi obitus, 3. 7. 30., & Miſſas cantatas a Teſtatoribus indictas, ſtatiſque diebus affixas ex ritu iis eſt dirimenda, ita ut ejuſmodi miſſæ locum habeant, ſi occurrens ſolemnitas ſit ritus duplicis minoris, vel majoris, ſecus, ſi altioris. Verum Decreti ſcopum hunc non eſſe credimus, quod latum putamus ad eximendos dies ſolemnes a perturbatione, quam luctuoſæ Miſſæ ingerunt. Tantam hæ incongruitatem ſervant cum ſolemnitate feſti, ut magis feſtum licet ſolum duplex minus, quod alicubi ſolemne habetur, in capite primo ſtatutum ſit transferri, & ſi altioris claſſis ſit, & translatum, ejuſdem repoſitionem protrahi, quam ſimul cum commemoratione omnium Defunctorum celebrari; qua de re videri poſſunt etiam tradita in Decr. 2. cap. ſeq. Nunc e contra decernitur, & magis Defunctorum miſſæ translationi committuntur; in utroque autem caſu utique bene, in illo, quia alias tolleretur convenientia particularium Eccleſiarum cum univerſali in principali Defunctorum ſolemnitate, ubi nunc nihil ſimile evenit, cum ſermo ſit de miſſis, quarum celebratio particularibus ſolum incumbit Eccleſiis.

II. Impræſentiarum itaque miſſæ omnes declarantur illicitæ in diebus ſolemnibus, etſi hi nullum habeant officium, vel ſi habeant, talis non ſit ritus, qui eaſdem validus ſit expellere. A qua lege ſolum miſſæ ſolemnes præſente corpore poſſunt eſſe immunes, utpote quarum celebrationi ſolum officit magna diei ſolemnitas, qualem deſcripſimus in reſpectivo capite, nec ejus rationis ſunt, quæ translationem ſubeant.

DECRETUM II. CAP. IN ORDINE XXXVII.

In die, quo celebratur feſtum duplex, etiam translatum, prohibetur Miſſa de Requiem, niſi ſit præſens cadaver. Anniverſarium poteſt transferri, immo debet, & in feriis majoribus debent omnino cantari duæ miſſæ. S. R. C. 13. Julii 1665. *in una nullius Provinciæ Treviren.*

I. DIctio *Niſi* cum hic reddat ſenſum, ut præſente cadavere liceat quidem Miſſa de Requiem in duplici occurrenti, vel translato, ſecus in caſibus quibuſcumque aliis, in quibus in anniverſario, quod transferendum dicitur, miſſæ conſimiles aliæ translationi tradantur; præfata enim dictio de ſui natura exceptiva eſt, & in effectu adverſatur orationi præcedenti pro caſu excepto, & excluſiva eſt aliorum caſuum, in quibus propterea ſtat generalis regula. Sanctio autem cum *feſtum duplex* ſimpliciter nominet, ſi in ſua amplitudine accipienda foret, Rubricas deſtrueret, & conſtantes ſanctiones plurimas, quarum ut correctio, ſicut par eſt, evitetur, opus eſt, intelligatur de eo duplici, quod reſpective officit, ita ut

ſen-

Digitized by Google

ſenſus ſit, quod miſſæ de Requiem cenſendæ ſint inhibitæ in die, quo celebratur feſtum duplex, licet translatum, in quo potior urget dubitandi ratio, ejus tamen rationis, cujus nec ſi foret occurrens, præſatas pateretur miſſas, ut pro anniverſario in die, quo celebratur feſtum duplex primæ, vel ſecundæ claſſis, quamvis translatum.

II. Statuit itaque Sanctio, quod feſtum illud, quod occurrens reſpective Defunctorum miſſas impedit, eaſdem etiam impedit translatum, & ab hac generali regula ſolum excludit miſſam præſente corpore, cui cum non officiat ritus, ſed dumtaxat magna ſolemnitas, & una cum feſto ſolemnitas non transferatur, ſed ſolus ritus, idcirco feſtum, quod occurrens eamdem miſſam impedit, haud aptum eſt eam impedire, ſi quandoque transferri contingat. Hinc autem eruitur, quod feſtum ultra primam diem inimpeditam, in quam Rubricæ translata rejiciunt, non eſt differendum, ne impediatur celebratio occurrentis anniverſarii, ſed nulla ratione habita, reponi debet in prima die inimpedita cum translatione anniverſarii. Ita quidem eſt loquendo de feſto accidentarie translato, ſecus de translato in perpetuum, hoc ſiquidem quatenus in diem alteram immutandum foret, non debet neceſſario addici primæ diei non impeditæ, ſed ulteriori diei conſignari poteſt, & congruit, ſi prima dies inimpedita iſtate occupata ſit ab occurrenti quotannis anniverſario ſolemni, ut dicebamus in *tom. 1. cap. 9. Decr. 3.*, ſecus vero eſt, ſi anniverſarium ſolemne non ſit, ſed privatim celebretur; hoc enim in caſu primæ diei non impeditæ tradi poteſt cum translatione, ſeu immutatione anniverſarii. Quod ſi feſtum perpetuo translatum talis non exiſtat ritus, qui anniverſarii celebrationem aptus ſit impedire, nulla ratio eſt, ob quam in ejuſdem immutatione aſſignari non debeat prima dies non impedita. Quod autem addit Sanctio de duabus miſſis cantandis in feriis majoribus, eas ſolum afficit ex Eccleſiis, quæ conventualium tenentur lege miſſarum, ut magis dicetur in capite 8.

DECRETUM III. CAPITIS, IN ORDINE XXXVIII.

Tolerari poſſunt Miſſæ votivæ cantatæ B. M. V. in ſabbato, vel pariter cantatæ Defunctorum in feſto duplici, quod non eſt de præcepto, ut Teſtatorum voluntates adimpleantur, dummodo non omittatur Miſſa conventualis. S. R. C. 1. Septembris 1607., & 20. Junii 1626. *in Nucerina*.

I. GAvantus *part. 1. tit. 5. lit. a.* trunce Decreta refert, & tamquam diſponentia de Miſſis privatis, hinc Guyetum, Quarti, aliosque facile in errorem traxit, immo Meratum ipſum, qui *ibidem num. 7.* quamvis licitas, ut putarunt illi, in duplici non cenſeat privatas Miſſas, non tamen carpit lectionem Decretorum, ſed magis hæc per Decretum 5. Auguſti 1662. derogata maluit facere, lectoremque remittit ad ſuum Miſſalis indicem *num. 71.*, ubi poſtea ſibi prorſus contrarius, ex Congregationis Regeſtis ut ſupra Decreta refert, de Miſſis cantatis, non privatis diſponentia, eademque non derogata cenſet, ſed limitat ad Miſſas cantatas in anniverſario, aut diebus 3. 7. & 30.

II. Cum itaque Decreta *Miſſas cantatas* diſerte notent, utique perperam allegantur in favorem privatarum, aut derogata dicuntur per Decretum 5. Auguſti 1662., quod de privatis diſſerit. An autem limitari debeant ad Miſſas cantatas anniverſarii, & dierum 3. 7. & 30., vel majorem expanſionem expoſtulent, & qualem, Lector videat in ſequenti Decreto.

DECRETUM IV. CAPITIS, IN ORDINE XXXIX.

Anniverſaria, ſive Miſſæ quotidianæ cantatæ de Requiem, relictæ ex diſpoſitione Teſtatorum pro certis diebus, hiſque impeditis die Dominico, ſeu alio feſto de præcepto, cantari poſſunt in diebus ſubſequentibus, ſeu antecedentibus, in quibus occurrunt officia de duplici majori, non tamen de præcepto, præcipue de Sanctis alicujus Ordinis, non relicta tamen Miſſa in cantu de duplici minori occurrente, quatenus adſit obligatio cantandi. S. R. C. 4. Maji 1686. *in una Canon. Regul. Lateran.*

I. TExtus, dum nedum ſuper anniverſariis, ſed etiam ſuper miſſis quotidianis indulget, reſtrictionem non patitur ad dies anniverſarias, 3. 7. & 30., in hiſce quippe diebus Miſſa quotidiana non dicitur, ſed quæ eſt tertia in ordine, magis dicenda a Miſſali ſignatur, nempe Miſſa anniverſarii cum reſpectiva oratione. Id quoque videtur ferre abſoluta tolerantia, quam ſuper Miſſis cantatis præcedens tulit Decretum, & ſuffragatur admodum Sanctio 6. præcedentis capitis, cui conſonat ſtatim exponenda; harum namque utraque pariformiter ſentire videtur de Miſſis anniverſariorum, & de iis, quæ pro Defunctis ſunt *certo die* dicendæ. Non minus favorabilis extat Dictio *ſive* Decreti, quæ in diſpoſitione favorabili ſtat augmentative, ſeu ampliative, adeoque nedum ad anniverſaria, ſed etiam ad Miſſas quotidianas, aliaſque eſt favor expanſus. Miſſæ vero, quarum ultra anniverſarias Decretum meminit, diebus 3. 7. & 30. ex eo ſolum titulo reſtringendæ non ſunt, quod æque erat Decreto facile, & alias dubiis cunctis carens, prædictos exprimere dies, quam *dies certos*.

II. *Cantata*, adeoque etiam non ſolemnes, dummodo in cantu habitæ, *Relictæ ex diſpoſitione Teſtatorum*, & ſic non ad inſtantiam vivorum, quibus non tribuendum, ſupra quod indulget Decretum 7. præcedentis capitis. An autem etiam Miſſæ, quæ quidem per Teſtatores relictę ſunt, non quidem in ſui ſuffragium, ſed in ſubſidium Parentum, Uxoris, aliorumve? Equidem Decretum non prodit, ſed cum nihil hujuſmodi exponat, ſed ſimpliciter in favorem anniverſariorum, & Miſſarum cantatarum pronunciet, noſtrum nec eſt gratiam limitare.

III. *Pro certis diebus*, ideſt ſtatis, ac determinatis, quare a favore depelluntur Miſſę ſimpliciter indictę ſine dierum aſſignatione; non enim hę diem aliquem habent, in quo dici valeant occurrentes, vel per feſtum aliquod impeditę, ſed indeterminate totum annum in utile ſpatium ſuę poſitionis agnoſcunt. *Hiſque impeditis die Dominico, ſeu alio feſto de præcepto*; nedum autem impediuntur per feſta de pręcepto, ſed etiam per officia primę, & ſecundę claſſis, aliosque dies omnes, e quibus juxta ſuperius dicta depelluntur anniverſaria. *Cantari poſſunt in diebus ſubſequentibus, ſeu antecedentibus*, ad libitum nempe; quid autem conſultius ſit pręſtare, in ſequenti Decreto dabimus. *In quibus occurrunt officia de duplici majori*, adeoque cum integro ſuo privilegio transferuntur, cum nihil ultra poſſint neque in die propria, ut ubertim oſtendunt Decreta omnia ſuper anniverſariis edita. *Non tamen de præcepto*, cum in his nec occurrentia locum habeant, ſed transferri debeant.

IV. *Præcipue de Sanctis alicujus Ordinis*. Dictio *Præcipue* non excludit, ſed includit caſus ceteros, & ſolum denotat in caſu majorem rationem eſſe, quæ in eo ſiſtit, quod officia Sanctorum Ordini alicui, vel particulari cuicumque alteri per terminos facultativos ut plurimum ſunt conceſſa, ideoque non adeo in rigoroſo præcepto, ſicut ea, quæ per terminos præceptivos ſunt demandata. *Non relicta tamen Miſſa in cantu de duplici minori*, & conſequenter nec de duplici majori, ſi de hoc fiat officium, *Quatenus adſit obligatio cantandi*, & per hæc verba nova alterius Miſſæ in cantu de feſto declaratur non eſſe commune Eccleſiis omnibus, ſed ſolum aliquibus, de quibus in Capite 8.

DECRETUM V. CAPITIS, IN ORDINE XL.

Anniverſaria, & Miſſæ de Requiem, quæ certo die dici debent, eo impedito, transferri poſſunt in ſequentem, prout tranſtulit S. R. C. 19. Maii 1614. *in Turritana*.

I. NUm anniverſaria, aliæque Miſſæ, quæ in proprio die impediuntur, in præcedentes, vel ſubſequentes dies transferri debeant, Rubriciſtæ inter ſe ſe diſſentiunt, & pro præcedenti die ſtant Durandus *lib. 7. de off. mortu.*; Gavantus *par. 1. tit. 5. lit. y.*, Meratus *ibidem num. 5.* & Quarti *par. 2. tit. 5. dub. 2.* & eorumdem ratio quadrat admodum, quia nempe ſic citius ſuccurritur animabus Purgatorii. Pro ſequenti pronunciant alii, eo quod Romanus uſus translationes in ſequentem, non pręcedentem diem ſolet agere; Guyetus vero *lib. 4. cap. 23. q. 13.* temperamentum quoddam adhibet, ut videlicet in pari propinquitate ſemper anteponatur dies ſequens, unde ſi cadant in die Dominico, translatio facienda foret in ſequentem feriam ſecundam, & ſi hęc eſt impedita, in pręcedens Sabbatum. Verum & in inſequentes, & in præcedentes dies fieri poſſe diſerte ſtatuit pręcedens Sanctio; in ſequentes tamen ſatius nos fieri credimus, tum quia ſic fert Romanus uſus, qui nedum feſta, ſed etiam Defunctorum officia in ſequentes ſemper dies transfert, numquam anticipat; tum quia Decreta fere cuncta, quæ, de anniverſariorum translatione agunt, meminerunt diei ſequentis; nullum novi, quod pręcedentis, & ſolum fortaſſe eſt præcedens ſanctio, quę utrumque translationis modum probet. Quod tamen limita, ſi hinc repoſitio valde differenda eſſet.

II. Liberum erit itaque præfatas Miſſas vel anticipare, vel poſtponere; & quidem cum eodem privilegio, ita ut de Requiem cantari queant, etiamſi in die, in quo reponuntur, occurrat feſtum duplex majus. Ut autem privilegio ejuſmodi gaudeant, debent in primas dies transferri, non in quaſcumque ad libitum, agitur quippe de translatione, adeoq. in primam diem facienda, ſive poſtea pręcedentem, vel ſequentem, ſuper quas Decretum libertatem facit. Sane autem in primam ex dictis diebus inimpeditam, etiamſi ob occurrentia impedimenta plurima in longum protraheretur, vel anticiparetur anniverſarii celebratio, ut quando impeditur per ferias Paſchatis, vel præcedentis hebdomadę.

III. Quę ratio ſervari etiam poterit in immutatione eorum anniverſariorum, quę incidunt in dies perpetuo impeditos; etſi enim Gavantus, & Guyetus eorumdem mutationem perpetuam propria auctoritate fieri non poſſe ſentiant, ſed faciendam eſſe ab eo, qui poteſt commutare ultimas voluntates *ex Clem. quia contingit de relig. dom.*, nos tamen minime videmus, cur a reſpectivis Eccleſiarum Pręſidibus fieri non valeat inſtar eorum, quę in primo Tomo dedimus de perpetua feſtorum immutatione. Et pręſertim, quia non deeſt Apoſtolica facultas, pręcedens namque Decretum anniverſariorum reſpective perpetuo, vel accidentario impeditorum celebrationem vel in prima vage die, vel in eadem ſiue facere, relinquit arbitrio. Non dubitamus autem, quod propria auctoritate attentanda non foret eorumdem immutatio, quando in propria die non eſſent impedita, ſine cauſa tunc ſiquidem non ſervaretur Teſtatoris mens, quæ inſtar legis ſe habet.

DECRETUM VI. CAPITIS, IN ORDINE XLI.

Non valentes ſatisfacere anniverſariis Defunctorum in diebus ferialibus, poſſunt ipſa adimplere in feſtis duplicibus, non tamen de *præcepto*. S. R. C. 3. Martii *1629. in Papien.*

I. ETſi anniverſarii nomen Miſſæ, quæ recurrente obitus die celebratur, communiter adaptetur, nec illud tamen rigoroſe effugit Miſſa, quæ ſingulis annis, licet extra diem obitus, foret habenda, anniverſarium quippe non eſt, niſi illud, quod annuatim fit. Ex his anniverſariis alia ſunt, quæ ſtatis diebus ſunt addicta, alia quæ ſolum annuatim ſunt indicta, vel ſi ſtatæ diei ſuerunt affixa, deperditis Eccleſiarum tabulis, aut altera de cauſa e memoria excidere dies, quibus ſunt habenda. Prima utile habent ſpatium, etiam in duplici majori, quod non eſt de præcepto, & quatenus in propria die impediantur, repoſitionem ſortiuntur in præcedentibus, vel ſubſequentibus diebus, etſi duplex majus feſtum incidat. Secus eſt de ſecundis, quæ cum ſtata die minime gaudeant, non habent diem ſuæ occurrentiæ, nec translationis, in quo conceſſo privilegio perfrui valeant, ſed neceſſe eſt celebrentur *in diebus ferialibus*, ſcilicet in diebus, quæ juxta Rubricas, & Decreta Miſſas de Requiem minime reſpuunt. Dubium dumtaxat fortaſſe eſſe poſſet de iis anniverſariis, quæ ne perpetuo vagarentur, ab Eccleſiarum Præſidibus ſtatæ diei alligata fuiſſent; ſed cum per Decreta favor tantum ſit factus iis anniverſariis, quæ per Teſtatores certis diebus ſuerunt addicta, de eodem participare non valent ea ex anniverſariis, quæ ab Eccleſiarum Præſidibus, quibus nihil auctoritatis ejuſmodi uſquemodo legitur factum, forent affixa.

II. Anniverſariis prioris rationis vix adaptabile eſt Decretum; ut etenim in duplicibus adimpleantur, neceſſe non eſt, quod in diebus ferialibus impleri non valuerint, ſed ex ſe id habent privilegii, ut in duplicibus uſque majoribus, in quibus occurrunt, celebrari queant, & transferri cum ſimili privilegio, quoties incidunt in dies impeditas. Sermo eſt itaque de anniverſariis poſterioris generis, ſcilicet de ſimpliciter indictis, nullive diei ſtatæ affixis, vel ſi in ſui inſtitutione addictis, quacumque de cauſa quoad diem determinatam ignoratis, quæ cum in diebus ut ſupra ferialibus dumtaxat locum habeant, facile apud Eccleſias, quæ plurimarum ejuſmodi Miſſarum onere premuntur, omnia intra annum utile ſuæ celebrationis ſpatium aliquando reperire non valent. Hæc ne cum Defunctorum damno ultra annum præſcriptum differantur, & ne in ſequenti anno ſuperſint in majori numero, ac ut una adimpleatur Teſtatoris mens, etiam quoad Miſſæ qualitatem, cenſuit Congregatio adimpleri poſſe in feſtis duplicibus cum Miſſis cantatis de Requiem; æquum enim erat, quod erga hujuſmodi Defunctus pietatem, & benignitatem ſuam non minus oſtenderet Eccleſia, quæ erga inſtitutores Miſſarum certis diebus affixarum liberalitatem jam luculenter aperuerat, ut facile, & potiſſimum erui poteſt ex Decreto quarto hujus capitis, nec abs re eſt tolerantia, cujus abſolute meminit Decretum 3. Diximus *cum Miſſis cantatis de Requiem*, quia anniverſaria tales expoſcunt Miſſas, & non Miſſas de die cum applicatione ſacrificii, & quando per Miſſas de die anniverſarium adimpleri dumtaxat foret conceſſum, haud opus erat excipere feſta de præcepto, quorum Miſſæ non minus ac ceteræ in Defunctorum ſuffragium libere applicantur.

III. Quoniam vero anniverſaria ſtatæ diei addictæ, nedum impediuntur a feſtis de præcepto, & diebus Dominicis, ſed etiam a duplicibus 1. & 2. claſſis, octavis privilegiatis, aliiſque diebus, idcirco in his omnibus nec poterunt celebrari anniverſaria, de quibus agimus. Œconomia hæc igitur erit ſervanda, ut celebranda *ea* ſint in duplicibus minoribus, parcendo, ſi fieri poteſt, duplicibus majoribus, in quibus an celebrari queant, dubium eſſe poſſet, quia Decretum ſolum *duplicia* ſimpliciter nominat, & licet nos iiſdem etiam in duplicibus majoribus locum non dubitemus fieri poſſe, talem adhuc reverentiam expoſcit ritus altior, quo præ illis iſta gaudent. Etſi autem in ultimis anni diebus, ad quos uſque extenditur obligationis terminus, id faciendum videatur, nos vivis commodius, & Defunctis utilius fore arbitramur, ſi per annum diſtribuantur, relictis tot ex iiſdem, quot ſunt anni dies, qui miſſas de Requiem non reſpuunt. *Vivis commodius*, ſic namque ſucceſſive ad miſſam alteram de feſto non adſtringuntur, ſed interpolatis diebus, nec continuis diebus miſſas de Requiem coguntur facere, ſed in liberioribus diebus eaſdem poſſunt canere; *Defunctis vero utilius*, quia citius hoc pacto ſuffragantur eorumdem animæ.

IV. Reliquum eſt, perſcrutemur, quando anniverſariis *ſatisfieri non valere* cenſendum ſit, ut inde eruatur, quando in uſum privilegium eſſe poſſit. Quam ad rem ſcite nos admonent Seraph. *de privil. jur. privil.* 144. *num.* 5., & Reinoſ. *obſerv.* 7. *num.* 22., quod id fieri non poſſe dicitur, quod commode fieri non poteſt, quare clerus cogendus non erit ad cantandas plures ex hujuſmodi miſſis eadem die; & adhuc unam, vel alteram ex diebus, quæ miſſas de Requiem admittunt, in vacationem aſſumere poterit, quin propterea ab uſu dicti privilegii arceatur. Hoc denique privilegium commune credimus, tum anniverſariis, miſſiſque fixis, quando alias ob earum copiam aliquæ incelebratæ ſupereſſent, tum iis, quæ ſtatæ diei non ſunt alligatæ, & utræque ſive in perpetuum, ſeu ſolum ad tempus fuerint indictæ; de omnibus enim par procedit ratio,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CAPUT SEPTIMUM.

De Commemoratione Defunctorum omnium alicujus Religionis, vel Communitatis.

I. CAtholica pia Mater Eccleſia, quum omnium filiorum, quos cælo peperit, merita ſingillatim recenſere non poſſet, ſub una ſimul feſtivitate recolenda ſuſcepit, nec immemor eorum, quos leviores maculæ in Purgatorio igne detinent, ſpecialem diem adjuvandis in univerſum eorumdem ſpiritibus pientiſſime deſtinavit, nempe ut communem Sanctorum omnium commemorationem exciperet commemoratio omnium Defunctorum. Hoc ſane laudandum Eccleſiæ, piiſſimumque inſtitutum æmulati Regulares Ordines, utramque tum Sanctorum omnium, tum Defunctorum ſuorum commemorationem quotannis proſequuntur: quam vetuſtate, ac pietate præclaram conſuetudinem commendant maxime verba S. Encherii Lugdunen. Hom. 49. *Etenim ſi peregrinas palmas, extraneaſque victorias, & coronas, ac tranſmarinos triumphos, tanta nos oportet ſedulitate venerari, ut quod alienum eſt locis, noſtrum fariamus officiis, & illud, quod includitur ſepulcris, ſit commune ſuffragiis. Quanto nos impenſius convenit in eorum celebritate fervere ſtudio, excubare famulatu, quibus multiplicem debet Religio venerationem, Eccleſia honorem, patria charitatem? Ut ſicut eorum per unius parentis gremium jure naſcendi cognati ſumus, ita nobis erga eos pietatis, & gratiæ privilegium vindicemus, atque ad eos fidei devotione prius accedamus, ut quorum eſſe cives gratulamur in terris, eum his municipatum habere mereamur in Cælis.*

II. Hinc Ordines SS. Benedicti & Auguſtini die 13. Novembris feſtum omnium Sanctorum, & die 14. commemorationem Defunctorum omnium reſpectivæ Religionis ſolemne habent excolere; quod & præſtant Religiones aliæ vel iiſdem, aut aliis in earum Kalendariis commodioribus diebus. Quinimmo nec deſunt Provinciæ Regulares, & adhuc Monaſteria particularia, quæ ſtatam diem aliquam ſuffragiis reſpective ſuorum Defunctorum deſtinarunt; qui uſus & ad Canonicorum Collegia alicubi laudabiliter reperitur traductus. Sunt denique ex Religionibus, quæ etiam iis, qui foris ſunt, pietatis ſuæ, & charitatis ubera porrigunt, unde Eremitæ ver. gr. Auguſtinienſes poſt feſtum Sanctæ Agathæ commemorationem Propinquorum, & poſt octavam Sancti Petri, & Pauli commemorationem omnium Benefactorum cum officio ſolemni in uſum habent peragere. De his itaque, aliiſque ſimilibus, quarum conſideratio fortaſſe appoſitiori loco habebatur poſt commemorationem omnium Fidelium Defunctorum, cujus inſtar illæ ſunt inſtitutæ, diſtulimus agere, ut prius abſolveremus, quæ toti Eccleſiæ ſunt communia, nunc vero ſumimus pertractare, ne Miſſæ Defunctorum, quæ contra duplicia privilegio donatæ ſunt, alibi extra chorum ponderandæ ſuperſint.

DECRETUM I. CAPITIS, IN ORDINE XLII.

Jam in omnibus Congregationibus Ordinis Benedictini poſt feſtum omnium Sanctorum 13. Novembris celebratur ſolemnis commemoratio omnium Defunctorum Confratrum dicti Ordinis; quid ſi illa die 14. Novembris alicubi adſit feſtum duplex translatum, aut occurrens? Eritne ejuſmodi duplex ulterius transferendum, vel duplex celebrandum, & tamen peragendum cum officio Defunctorum, & dicendæ omnes Miſſæ pro Defunctis Confratribus præter unam de feſto? Vel eritne officium alia die dicendum? Et tunc non amplius in celebrando convenient Monaſteria noſtri Ordinis. Sacra vero Rituum Congregatio die 5. Maji 1736. reſpondit: *Commemoratio omnium Defunctorum non eſt transferenda, ſed ſi die illa occurrat feſtum duplex minus, ſeu translatum, fiat officium de feſto duplici cum Miſſa ſolemni poſt Tertiam; officium vero Defunctorum recitandum erit poſt Laudes, & omnes Miſſæ privatæ dicantur pro Defunctis in paramentis nigris.*

I. QUoniam non ſibi ſatis conſtans eſt Meratus, neque fidelis in relatione hujuſce Decreti, idem tranſcribendum eſſe duximus ex Congregationis regeſtis, in quibus prout ſupra exaratum adinvenitur. Si ſpectentur perſonæ, & commemoratio, a quibus, & ſuper qua exhibitum fuit dubium, utique municipalis, & particularis Ordini S. Benedicti reſponſio foret; at quoniam ex alibi late traditis Decreta ſunt ejus rationis, ut ſi particularis inſpecta non fuit ratio, vel circumſtantia, pro iiſdem, vel ſimilibus caſibus in uſum univerſalem deſerviant, Regularibus cunctis pro reſpectiva Defunctorum Ordinis commemoratione præſens Decretum favorem ſuum indubitanter aſſeruiſſe credendum eſt. Et præſertim quia apud eoſdem nedum idem, aut ſimilis caſus evenit, ſed etiam ipſiſſima ratio, nimirum ad ſervandam convenientiam inter Monaſteria, ceteris Regularibus cunctis æque eſt tribuenda. Hinc merito Meratus Decretum, quod in Indice Breviarii *num.* 312. conformiter ad textum producit editum pro Ordine S. Benedicti, in Indice Miſſalis *num.* 683. tamquam omnibus favorabile ſub his generalibus terminis exhibet: *Annua commemoratio omnium Defunctorum alicujus Ordinis, ſeu communitatis non eſt transferenda, ſi illa die occurrat feſtum duplex minus, etiam translatum, ſed fiat officium de duplici cum ſola Miſſa ſolemni poſt Tertiam; officium vero Defunctorum recitan-*

dum erit poſt laudes ſub ritu duplici, & omnes miſſæ privatæ dicantur pro Defunctis in paramentis nigris.

II. Ut univerſæ per orbem diſperſæ Eccleſiæ, quoad fieri poteſt, conveniant in die celebrationis commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, quæ eſt celebritas quædam toti Eccleſiæ communis, præfata commemoratio privilegio, de quo in præcedenti capite, decorata extitit; quidem igitur ſimile privilegium protendi debuit ad commemorationes Defunctorum Ordinum Regularium, quæ non minus ſunt celebritates reſpective toti Ordini communes, & in quarum celebratione vis alias convenientia ſervari poſſet? Cum itaque finis, & ratio legis ſit illa, quæ legem ipſam reſtringit, aut ampliat, commemorationibus omnibus Defunctorum, quæ pluribus Eccleſiis communes ſunt, Decretum poterit adaptari, ſecus iis, quæ limites alicujus particularis Eccleſiæ non prætergrediuntur, in his quippe convenientia æque habetur, ſive uno die, aut altero celebrentur, ubi in illis hoc ipſo laudabilis conformitas læderetur.

III. *Confratrum* nomen petitio quidem invexit, ſed hinc non reſtringitur Decreti favor, cujus finis, & ratio eumdem ampliat ad commemorationes etiam aliorum, quibus præfatum nomen non adeo apposite fortaſſe quadrat, dummodo Eccleſiis pluribus illæ exiſtant communes, *non debet quippe* (cap. humanæ aures 22. quæſt. 5.) *aliquis verba conſiderare, ſed intentionem, & voluntatem, quia non debet intentio verbis deſervire, ſed verba intentioni.* Quare haud ambigimus commemorationibus ſolemnibus, quas de Defunctis Benefactoribus, Propinquis, aliiſque Regulares Ordines, vel aliæ Eccleſiæ, etiam Sæculares, celebrare ſolent, præfatum privilegium commune facere, ut hinc oriri queat, atque ſervari laudabilis convenientiæ, cum locum non habeat in commemoratione, quam de ſuis Defunctis, aut aliis celebrat Cathedralis aliqua, vel Collegiata, aut quæcumque alia particularis Eccleſia, etiam Regularis, huic nec Decreti favor poterit adaptari. Facile hinc autem eſt eruere, quas ad communitates extendatur Decretum, cujus textus etſi non teneat clauſulam *communitatis*, quam Meratus eidem adjungit, eamdem tamen omnino non refugit, dummodo communitas talis ſit, quæ non ſolam perſonarum pluralitatem importet ad eam Eccleſiam individuam attinentium, ſed etiam pluralitatem ipſarum Eccleſiarum.

IV. Sunt ex Religionum Breviariis, quæ præfatas commemorationes ſtatæ diei non affigunt, ſed eaſdem conſignant *prima diei feſto duplici, vel die Dominico non impedita*, unde Auguſtinianum de commemoratione Propinquorum Ordinis habet; *Die VI. Februarii, aut alia prima poſt feſtum S. Agathæ non impedita feſto duplici, aut Dominica &c.* De his autem dubium exurgit, num favore gaudeant, a quo videntur excludi, quia ſtatam diem non habent, ſed primam vage ut ſupra non impeditam? Has tamen adhuc nos favoris participes facimus, natenus quippe ille loquendi modus tentus fuit, quatenus in duplicibus creditæ ſunt univerſim inhibitæ Miſſæ de Requiem, quibus dictas commemorationes haud congruit uſque deſtitui; ceterum mens, & intentio fuit, ſtatim poſt nominatos dies eaſdem demandare, & prima dies non impedita non venit, niſi in ſubſidium, quatenus dies expreſſa ſit impedita. Ad rem item confert maxime ratio, & Decreti finis, alias quippe in earumdem commemorationum celebratione fere numquam Monaſteria convenirent. Verum cum favor, & privilegia in invitos non conferantur, haud ambigimus, quod in antiquo ſuo uſu nihilominus Religiones ſe tueri valeant, licet ob difformitatem, quæ inde indiſpenſabiliter oritur, id minime collaudare poſſimus.

V. Quæ cuncta indubie limita ad commemorationes Defunctorum ſolemnes, cujuſmodi eſt, de qua Decretum loquitur, & non obſcure indicat ſequens ſanctio, quæ explicans anniverſarium, quod ejuſmodi privilegio gaudet, conſulto apponit, *ſeu officium ſolemne.* Quæ itaque ex commemorationibus ſolemniter non aguntur, quales ſunt, quæ a Congregatione Auguſtiniana Lombardiæ quovis menſe de Defunctis Confratribus, & Benefactoribus celebrantur, privilegii erunt expertes. Quale autem ſit ejuſmodi privilegium, ſequens Decretum explicabit.

DECRETUM II. CAPITIS, IN ORDINE XLIII.

Quando Anniverſarium, ſeu officium ſolemne pro animabus omnium Defunctorum Confratrum alicujus Congregationis, ſit in feſto ritus duplicis minoris, poteſt cantari Miſſa de Requiem, ſecus, ſi occurrat in feſto altioris ritus. S. R. C. 8. Martii 1738.

I. GRadimur illico ad perſcrutandam privilegii qualitatem, & eadem omnino eſt, qua in capite primo donari vidimus commemorationem omnium Fidelium Defunctorum. Si itaque occurrat feſtum aliquod duplex minus, aut tranſlatum, officium erit de feſto cum una dumtaxat Miſſa ſolemni de eodem poſt Tertiam, & Miſſæ privatæ dicentur de anniverſario in paramentis nigris, cum officio Defunctorum poſt laudes diei, ut diſerte mandat ſanctio præcedens. Sed an item Miſſa ſolemnis? Tacet allegata Sanctio, & ſupplet præſens, dum ſtatuit, quod *poteſt cantari Miſſa de Requiem.* Et quidem ſi nihilominus locum habent Miſſæ privatæ de Requiem, utique & ſolemnis, cujus decantationi liberaliora ſemper ſunt Decreta, atque Rubricæ. Quapropter etſi præſens Decretum dumtaxat expreſſe Miſſam ſolemnem indulgeat, accipiendum non eſt cum excluſione privatarum, quas præcedens facit licita, ſicut præcedens, etſi nec verbum teneat de ſolemni, cum hujus excluſione, quam præſens declarat licitam, haudquaquam debet intelligi; mutuo enim ſe explicant, & præſens non eſt, niſi declaratio præcedentis ſuper Miſſa ſolemni, cujus minime meminerat. Poſt Nonam autem cantanda erit iſta Miſſa ſolemnis de Requiem, ut in ſimili ſtatuit Decretum quartum capitis primi, atque nos infra dicemus in capite de Miſſa conventuali, ubi & inquiremus quænam ex Eccleſiis ad Miſſam ſolemnem de feſto poſt Tertiam maneant obſtrictæ.

II. Dubium nobis occurrit, an item Miſſæ privatæ de Requiem dici debeant, aut poſſint, ſi pro anniverſario non applicentur, & in negativam nos partem propendimus, quia privilegium in gratiam Defunctorum, de quibus commemoratio ſolemnis agitur, & in uberius eorumdem ſuffragium, quo Miſſæ de Requiem præ iis de feſto gaudere creduntur, præcipue factum extitit, quare ſi pro iiſdem non dicantur, eripi nequeunt feſto duplici, quod conformes Miſſas expoſcit, eaſque de Requiem expellit. Abs re non eſt exemplum Miſſæ ſolemnis, quæ præſente in Eccleſia *corpore* de Requiem etiam in duplicibus dici poteſt, & tamen non crederem, e quopiam excogitari poſſe permiſſam, ſi pro cadavere præſente non applicetur. Quod ſi res ita ſe habet, uti in hoc caſu Miſſa ſolemnis non conceditur in augmentum ſolius ſolemnitatis, qua nulla alia major, quam præſente corpore, ita idipſum erit in ſuperiori caſu, pro quo ceteroqui & elucet Decreti mens, quod dum dicit, *& omnes Miſſæ privatæ dicentur pro Defunctis*, in eorumdem Defunctorum ſuffragium applicari ſupponit. Idem judicium facito de commemoratione omnium Fidelium Defunctorum, ita ut occurrente feſto duplici minori, ſolum Miſſæ illæ de Requiem dici queant, quæ pro Defunctis generatim applicari debent.

III. Quemadmodum vero e Decretis plurimis transferenda indicitur commemoratio omnium Fidelium Defunctorum, ſi incidat dies Dominica, aut feſtiva, ita idipſum erit de ejuſmodi commemorationibus, ita ut ſecum ferant privilegium in ſequentem diem, ad quam transferuntur. Si vero die, qua recurrunt, aut in quam transferuntur, alicubi habeatur feſtum duplex minus, ſpecialem ſibi vindicans ſolemnitatem, hoc transferendum erit, commemoratione retenta earum inſtar, quæ dedimus de eadem commemoratione omnium fidelium Defunctorum, cujus privilegia mens fuit ejuſmodi anniverſariis communia facere.

IV. At quid faciendum erit, ſi incidat feſtum altioris ritus? Commemoratio erit transferenda; Decretum enim per ea verba, *ſecus ſi occurrat in feſto altioris ritus*, Miſſam ſolemnem, ac conſequenter nec privatas, de Requiem haberi non poſſe declarat, ac proinde tranſlationi committit eamdem commemorationem, quam congruentibus miſſis, ſaltem ſolemni, carere non decet; qua de cauſa ſuperius vidimus diſpenſatum ſuper miſſis de Requiem, quando occurrit feſtum tantummodo duplex minus. Et quidem ſi feſtum ſpeciali ſolemnitate inſtructum, magis transferri debet, quam minus apte in ſuo die celebrari; quidni id faciendum erit de commemorationibus hujuſmodi, quæ non minori ſolemnitate gaudent? Idcirco eorum commemoratio prævalet duplici minori, & cedit duplici altioris ritus, quia & ipſa duplicis ritus minoris eſt, ſed majoris ſolemnitatis; at cum major ſolemnitas non prævaleat, quando in altero eſt ritus altior, idcirco cedit duplici altioris ritus, cujuſmodi ſunt duplicia primæ, & ſecundæ claſſis. At quid ſentiendum erit, ſi occurrat feſtum duplex majus? Commemorationi Decretum tranſlationem exhibet iis verbis, *ſecus ſi occurrat in feſto altioris ritus*, & ut advertit Victorius Novellarienſis *in Synopſi pag. 198.*, idipſum diſerte ſtatuunt Decreta cuncta, quæ dum conjungunt commemorationes omnium Fidelium Defunctorum, vel mortuorum alicujus Religionis cum feſto duplici, ſemper ſe exprimunt de duplici minori, nec aliter ſuadet ritus altior; ex dictis namque *to. 1. cap. 43. Decr.* 11. duplicia majore per annum a duplicibus minoribus eſſentiali diſcrimine ſecernuntur.

V. Objicies fortaſſe conceſſionem factam anniverſariis, etiam pro duplici majori: at diſpar ſatis eſt ratio, quia talis conceſſio eſt ſolum pro Miſſa ſolemni, adeoque cum fere nullo præjudicio occurrentis feſtivitatis, ubi in noſtro caſu foret pro Miſſis etiam privatis, ac conſequenter cum præjudicio omnium Miſſarum de feſto præter unam ſolemnem. Ceterum Decretum in caſu noſtro etiam Miſſam ſolemnem de Requiem inhibet; quod crederem factum, ut transferatur commemoratio, quam ſine congruentibus Miſſis privatis de Requiem haud decens eſt celebrari.

VI. Secus ſentimus de tranſlatis altioris ritus, quorum repoſitionem differendam eſſe credimus, cum hinc ipſa nullum perſentiant incommodum, jam tranſlatæ namque ſunt, & æque integre alia die reſumuntur, ubi alias commemoratio tranſlationis ſubiret præjudicium, & laudabilis tolleretur convenientia in ejuſdem celebratione. Et quidem ſi ad hæc præcavenda feſtum duplex minus, quod adnexam habet ſolemnitatem, tranſlationi conſignatur, quomodo ulterius protrahenda non erit repoſitio illius, quod eamdem commemorationem perturbaret, & transferri faceret? Commemoratio quidem non invehit officium canonicum, invehit tamen officium aliud ultra canonicum de præcepto recitandum, quod eadem die cenſetur occurrens; quare directe utique non pugnat cum quocumque alio officio canonico, bene vero indirecte cum eo officio canonico, quod ſimul nequit compati cum eodem officio non canonico, ſeu Defuncto-

Digitized by Google

functorum. Hinc fit, quod ſi utrumque ex dictis officiis ſimul eadem die recurrant, commemorationi ratione inferioris ritus debetur translatio, ſi vero feſtum ſit translatum, ratione occurrentiæ, ob quam ea die potius jus habet commemoratio, huic debetur manutentio, & illi ulterior protractio, quod ceteroquin adhuc juxta Rubricas transferri cenſetur in primam diem non impeditam, quia dies, in qua commemoratio recurrit, reſpectu ſui eſt impedita. Quoniam autem non cenſetur impedita relate ad feſtum duplex minus, quod compatibile eſt cum eadem commemoratione, feſtum duplex minus translatum, in eamdem diem intrudi poterit, praxis inſtar, quæ ſervetur in diebus infra octavam, in quas intruditur feſtum ſemiduplex ab antecedenti immediate die amotum in excluſionem ſemiduplicium prius translatorum, immo etiam duplicium, licet primæ claſſis. Quæ omnia non minus dicta ſunto de commemoratione omnium Fidelium Defunctorum.

VII. Quarti *in Append. de ſacrif. quæſt.* 2. *pun.* 20. ad officia Defunctorum, Miſſas aliaque ſuffragia, quæ per Conſtitutiones Defunctis Confratribus decreta ſunt exhiberi ſub peccato mortali Religiones adſtringit, quod per profeſſionem celebretur verus contractus, quo Religioſus ſe tradit in poteſtatem Religionis, ſeſeque obligat in obſequium Ordinis, & Religio viciſſim obligationem aſſumit eumdem habendi tamquam filium, & præcipue in ordine ad ſalutem animæ, & participationem bonorum ſpiritualium juxta leges, & conſtitutiones. Quibus bonis cum Religioſus per votum paupertatis minime renunciet, immo ob eadem bona principaliter profiteatur, ad hæc acquirit jus ſtrictum juſtitiæ; & quidem adhuc in Religionibus, quarum Regulæ, & conſtitutiones ad culpam non obligant, quia in caſu indirecte obligare cenſentur ratione contractus ſuperius recenſiti.

VIII. Verum hæc nobis haudquaquam arrident, licet quippe iis in Religionibus, quarum Regulæ, & conſtitutiones obligant, prout hæ obligant, etiam prædicta ſuffragia conſtituentur in præcepto, eorumdem tamen ſuffragiorum omiſſio nulli peccato erit obnoxia, ubi Regulæ, & Conſtitutiones, e quibus illa vim obligandi deſumunt, ad culpam nullam obligant. Admiſſo namque etiam, quod dicitur de pacto, & contractu, hic a Religione non cenſetur iniri, niſi juxta modum, quem ferunt reſpectivæ Regulæ, & Conſtitutiones, quas cum probe ſciat, vel ſcire teneatur, qui in ea profeſſionem emittit, hic conſequenter non plus juris acquirit ad bona ſpiritualia, quam e Regulis, & Conſtitutionibus eadem ſint demandata. Nolim tamen, hæc, & hujuſmodi ad praxim redigi, quæ theorice tamquam valde probabilia pronunciamus.

CAPUT OCTAVUM.

De Miſſa Conventuali, & Parochiali.

I. MIſſa Conventualis eſt illa, quam officio conformem quotidie in cantu celebrare tenentur Eccleſiæ; ac eo autem *Conventualis* dicitur, quod ad eam univerſus clerus convenire ſoleat, atque debeat. Cum multiplex officium propriam habens Miſſam, in uno die coadunatur, unumquodque plerumque ſuam Conventualem Miſſam expoſcit, & datur officium, quod Miſſam cedit illi, quod in eo ſolam habet commemorationem, quinimmo nonnumquam loco Miſſæ Conventualis de officio ſubſtituitur Miſſa pro Defunctis, & quandoque eſt in præcepto tum Miſſa de officio, tum Miſſa pro Defunctis. Univerſim de Miſſa Conventuali loci hujus non eſt exerere, ſed ſolum de Miſſa Conventuali Defunctorum, vel ſi de Miſſa de die, nonniſi prout relationem aliquam ſervat cum Miſſa de Requiem, vel ad Defunctos ipſos; unde & de Miſſa Parochiali nonniſi ſermo incidet, prout ejuſdem applicatio eſt populi beneficio obligata.

DECRETUM I. CAPITIS, IN ORDINE XLIV.

Feria ſecunda poſt Dominicam Paſſionis, quando recitatum eſt officium defunctorum, non dicitur Miſſa Conventualis de Defunctis, neque oratio *Fidelium*; quæ etiam in aliis feriis ſecundis Quadrageſimæ non dicitur juxta rubricas, ſed ſolum oratio *Omnipotens ſempiterne Deus*, quæ eſt pro vivis, & Defunctis, & omittitur tempore paſſionis. S. R. C. 11. Julii 1643. *in Lugdunen.*

I. PRo mortuorum ſuffragio non ſiſtit tantum Eccleſia in quotidianis precibus, quatenus in earumdem fine capiabilem requiem eiſdem expoſtulat, ſed ultra ſubſidia plurima tum generatim, tum ſpeciatim pro adjuvandis eorum ſpiritibus inſtituit, in quolibet menſis principio per Rubricas Breviarii indicit Defunctorum officium, de quo jam egimus in cap. 2., & officio hujuſmodi conſonanter admodum unam Miſſam adjicit Rubrica v. Miſſalis num. 1. *Prima die cujuſque menſis (extra adventum, quadrageſimam, & tempus Paſchale) non impedita officio duplici, vel ſemiduplici, dicitur Miſſa principalis generaliter pro Defunctis Sacerdotibus, benefactoribus, & aliis.*

II. Novit Eccleſia illorum cruciatus eſſe vehementes, & ideo ſuam ſollicitudinem oſtendit in accelerandis ſuffragiis, ut quantocitius liberentur, inſimul moneat viventes fideles, præſertim hæredes, ne adimplere differant legata in detrimentum animarum purgatorii. Excipit adventum, & quadrageſimam, & cauſam dicemus infra; tempus autem item paſchale, quia cum dicatum ſit gaudio, & triumpho reſurrectionis Dominicæ, non ei convenit officium funebre, quod mœroris eſt, & luctus. Conſimilis eſt ratio, ob quam una cum officio Miſſa pariter rejecta extitit a feſtis, & officiis novem lectionum, ob horum ſcilicet lætitiam, & jucunditatem, ut ſcite notat Radulphus *prop.* 20.

III. Rubrica proſequitur: *Si vero in eo* (ſcilicet prima die menſis) *fuerit feſtum ſimplex, vel feria, quæ propriam habeat Miſſam, aut reſumenda ſit Miſſa Dominicæ præcedentis, quæ fuit impedita, & infra hebdomadam non occurrat alius dies, in quo reſumi poſſit, in Eccleſiis cathedralibus, & collegiatis dicuntur duæ Miſſæ, una pro Defunctis, alia de feſto ſimplici, vel feria prædicta.* Feſtum ſimplex de feſtivitate, & ſolemnitate minus habet, & ideo riſe Eccleſia noluit, quod impediret, aut differret Defunctorum ſuffragia; qui anxie noſtras manus adjutrices expectant; quoniam autem tale feſtum Miſſam propriam habet, haud adjudicavit ſua conventuali Miſſa eſſe defraudandum, & ideo admodum apte duas præſcripſit Miſſas, unam de feſto, quæ correſpondet officio canonico, alteram pro Defunctis, quæ correſpondet officio mortuorum, quod pro iiſdem ea die item dicitur.

IV. Idipſum fieri mandat, ſi officium fiat de feria, ſed duas conditiones adjicit, quarum prima eſt, *ſi propriam habeat Miſſam*, cujuſmodi ſunt vigiliæ, & feriæ quatuor temporum, in reliquis namque feriis per annum ſemper reſumitur Miſſa Dominicæ præcedentis. Altera eſt, *ſi reſumenda ſit Miſſa Dominica præcedentis*, non abſolute tamen, & ſimpliciter, ſed quatenus talis Miſſa *fuerit impedita* in proprio die, at non adhuc ſatis, *& infra hebdomadam non occurrat alius dies, in quo reſumi poſſit*. Nolo te morari pluribus. Non vult Eccleſia, quod Miſſa ulla officii propria depereat, & ideo ſi feria habeat Miſſam propriam duas abſolute jubet Miſſas. Si vero Miſſam propriam ipſa quidem non habeat, ſed in ea reſumenda ſit Miſſa Dominicæ, quæ ob impedimentum aliquod in propria die dicta non fuerit, quia tunc deperiret Miſſa Dominicæ, duas ſtatuit Miſſas eſſe cantandas. Quod ſi reſumi quidem debeat Miſſa Dominicæ, quæ fuerit impedita, ſed intra hebdomadam adſit dies alius liber, in quo ea Miſſa reſumi valeat, quia tunc talis Miſſa non deperiret, clerum abſolvit ab onere duplicis Miſſæ, Miſſam Dominicæ ſic magis differens, quam incommodum duplicis Miſſæ clero invehens, numquam tamen ſuffragiis Defunctorum parcens, aut ea differens, ut cleri vitet incommodum. Sed hocce in caſu de quo Miſſa Conventualis dicenda erit? Indubie de Defunctis; habet enim locum Rubrica, cujus ſuperius meminimus: *Prima die cujuſque menſis &c. dicitur Miſſa principalis generaliter pro Defunctis*, & rubrica ſubſequens: *ſi vero in ea fuerit feſtum ſimplex &c.*, ſolum in hujuſmodi caſu Eccleſias Cathedrales, & collegiatas obligat ad Miſſam alteram de officio.

V. *Sed in Eccleſiis non cathedralibus, nec collegiatis dicitur Miſſa de die cum commemoratione generaliter pro Defunctis*. Rubrica per hæc verba nos admonet, quod Eccleſiæ nec cathedrales, nec collegiatæ, quæ conventualium Miſſarum lege minime tenentur, iis in feriis, quæ Miſſam propriam habent, aut in quibus reſumenda eſt Miſſa Dominicæ, quæ fuit impedita, & alias infra hebdomadam reſumi non poteſt, uti & in quibus occurrit feſtum ſimplex, de eadem reſpective feria, vel feſto Miſſam debent facere, ſupplendo Miſſam Defunctorum per horum ſolam commemorationem. Dubium non eſt, quod officium canonicum principalem ſibi vindicat conſiderationem, officium vero Defunctorum minus principalem, unde æquum eſt, quod quoties alterutra ex Miſſis correſpondentibus hiſce officiis per commemorationem ſupplenda eſt, ſuppleatur minus principalis, ſcilicet Defunctorum; & eo magis, quod Defunctorum Miſſa apta eſt ſuppleri in Miſſa de die, quæ Defunctorum collectas non reſpuit, ubi Miſſa diei ſuppleri non poteſt in Miſſa Defunctorum, in qua locum non habent vivorum collectæ, unde illam alias prorſus omitti neceſſe foret. Hæc autem rubrica itidem exceptio eſt ad priorem illam, quæ prima die menſis Miſſam defunctorum in principalem aſſignat, quare quoties non occurrat feſtum ſimplex, aut feria ut ſupra propriam habens Miſſam, in Eccleſiis adhuc non cathedralibus, nec collegiatis Miſſa principalis erit de requiem, & non de officio canonico.

VI. Modo ſuccedit quæſtio, de quo eſſe debeant Miſſæ privatæ, de feriane, aut de requiem? Equidem directe id decidi nequit ex allegata Rubrica, quæ indubie de ſola Miſſæ principali diſpoſitionem ponit. Attamen ſi occurrat feſtum ſimplex, aut feria propriam habens Miſſam, vel in qua ut ſupra reſumenda ſit Miſſa Dominicæ, feſto, & feriis prædictis eaſdem Miſſas adjudicant Quarti *par.* 1. *tit.* 5., & Caſtaldus *lib.* 2. *ſect.* 6. *cap.* 3. *num.* 7. & 9., nec utique aliter expoſcit ratio; æquum quippe non eſt, quod officium canonicum, quod eſt principale, & cui quoad fieri poteſt, juxta rubricas Miſſæ privatæ debent eſſe conformes, ſuis propriis expolietur Miſſis, ut legantur extraneæ, quæque correſpondent officio minus principali, ſcilicet Defunctorum: & hæc eſt cauſa, ob quam rubrica, e cujus expoſitione venimus in Eccleſiis non cathedralibus Miſſam principalem diei præfert Miſſæ Defunctorum, & hanc in illa per ſolam commemorationem jubet eſſe ſupplendam.

VII. Si vero occurrens feria careat propria Miſſa, aut in ea ut ſupra reſumenda non ſit Miſſa Dominicæ, Quarti pronunciat pro Miſſis privatis de requiem, & in eamdem partem inclinat Guyerus *lib.* 4. *cap.* 23. *quæſt.* 25.; tunc enim præſcribitur Miſſa principalis de requiem, & in hac tamquam acceſſoriæ vi-

riæ videntur etiam præſcriptæ Miſſæ privatæ. Suffragatur admodum exemplum vigiliæ occurrentis infra octavam, quæ licet officium non habeat, adhuc conventualem, & privatas ſortitur Miſſas ex eo ſolum titulo, quod dies infra octavam, de qua eſt officium, propria expers eſt Miſſa, & in ea ſolum repetenda foret Miſſa feſti. Nos tamen pronunciandum eſſe credimus in favorem Miſſarum de officio; Rubrica enim diſerte loquitur de ſola Miſſa principali, & etiam privatarum meminiſſe tenebatur, ſi & has de requiem eſſe voluiſſet, aut ſaltem omiſſo *Principalis* debuiſſet abſolute indicere Miſſam de Requiem, uti præſtat de Miſſa vigiliæ incidentis infra octavam; ex quo apparet ratio diſcriminis. Rem extra dubium collocat eadem Rubrica, quæ *num.* 1. aſſignata ut ſupra Miſſa Defunctorum pro principali, *num.* 2. hæc verba ſubdit: *Miſſæ autem privatæ pro Defunctis quocumque die dici poſſunt, præterquam in feſtis duplicibus, & Dominicis diebus.* Dictio *autem*, quæ diverſitatem diſpoſitionis importat, luculenter oſtendit, quod præcedens diſpoſitio erat ſolum de Miſſa principali, non de Miſſis privatis, de quibus militat diſpoſitio ſubſequens, quare cum in hac non minus indulgeantur Miſſæ privatæ in prædictis feriis, quam in feſtis ſemiduplicibus, ſimplicibus, aut feriis habentibus Miſſam propriam, ſicuti nemo cordatæ mentis in hiſce diebus concedere valet Miſſas privatas de Requiem tamquam currentes ex Rubricarum præſcripto, ſed ex harum ſola indulgentia, ita idipſum erit de præfatis feriis non habentibus Miſſam propriam. Denique nec plus expoſcit Defunctorum officium, quod ea die dicitur; ſolius enim chori onus eſt, ergo & ſola Miſſa chori, cujuſmodi non ſunt Miſſæ privatæ, ſed ſolum Miſſa principalis, a Rubricis erit in præcepto poſita. Quæ ut certa teneas, liceat ſubdere, quod ſi in ea Rubrica etiam de Miſſis privatis diſpoſitio fieret, aut eædem tamquam acceſſoriæ ſequi deberent principalem, uti nedum hujus qualitas, ſed etiam applicatio eſſe debet *pro Defunctis generaliter*, ita idipſum eſſet de privatis Miſſis, quas tamen quiſque facit liberæ applicationis; & ſi ita eſt, aut de officio dici debent, aut ſi de Requiem, utique cum congruentibus orationibus, & non cum collectis Defunctorum generaliter, uti ex præſcripto ejuſdem Rubricæ deberet fieri, & nos fuſe dicimus alibi, & infra curſim trademus.

VIII. Etſi itaque ex eo quod officium propria careat Miſſa, & in ea ſolum Miſſa Dominicæ repetenda foret, Rubrica contenta ſit ſola Miſſa conventuali de Requiem, quam Defunctorum officium expoſcit, Miſſæ privatæ tamquam acceſſoriæ cenſendæ minime ſunt ad eamdem Miſſam, ſed magis ad Miſſam principalem de officio, quæ dicenda foret, & relaxatur dumtaxat in gratiam cleri, ne prematur onere alterius Miſſæ, quæ jam in alio die locum ſuæ poſitionis habet. Et quidem alias officium negligeretur penitus, cum nullæ de eodem dicerentur Miſſæ, nec ulla ejus commemoratio fieret, cum tamen Miſſæ, quoad fieri poteſt, officio conformes eſſe debeant. Par nec eſt ratio de vigilia infra octavam, cui eatenus etiam privatæ conceduntur Miſſæ, quatenus in his locum habet commemoratio officii: unde quia in Miſſis Commemorationis omnium Defunctorum, cui ex ſpeciali privilegio conceſſæ ſunt etiam Miſſæ privatæ, fieri non poteſt commemoratio officii, ultra Miſſam principalem de Defunctis, demandata eſt conventualis Miſſa altera die infra octavam, etſi in hac non repetatur, niſi Miſſa feſti.

IX. De commemoratione pro Defunctis ſumimus agere, & cum eamdem Rubrica faciendam præſcribat *generaliter pro Defunctis*, utique facienda erit per orationem *Fidelium*, qua nulla aptior, & ab Eccleſia pro cunctis mortuis uſurpata, & dici inſtituta. In Eccleſiis cathedralibus, & collegiatis, in quibus duæ cantantur Miſſæ, in Miſſa diei non habet locum commemoratio pro Defunctis ex generali illa regula non faciendi commemorationem alterius, de quo item Miſſa decantatur, & ideo rite ſolum in Eccleſiis non Cathedralibus, nec collegiatis, in quibus non canitur Miſſa pro Defunctis, horum commemoratio mandatur in Miſſa de die. Cum vero commemoratio ſubſtituatur loco Miſſæ ſolemnis de Requiem, quæ dici deberet, & reapſe dicitur in cathedralibus, & collegiatis Eccleſiis, conſequens fit, quod ſolum in Miſſa principali debet fieri, non in Miſſis privatis, de quibus, ut dicebamus, ibi rubrica minime loquitur. Superius tradita apprime ſuffragantur, & dubium quodlibet adimit rubrica ipſa, quæ ſi in privatis Miſſis prædictam orationem univerſim indiceret, in ſui diſpoſitione comprehendere etiam debuiſſet Eccleſias cathedrales, & collegiatas, quibus non minus communes ſunt Miſſæ privatæ.

X. Quidquid igitur ſecus ſcripſerint Quarti *par.* 1. *tit.* 5. & Caſtaldus *lib.* 2. *ſect.* 6. *cap.* 3. *num.* 7. & 9., prædicta oratio non erit in præcepto in privatis Miſſis, quibus tamen adhuc addi poſſe rite cenſet, & laudat Guyetus *lib.* 4. *cap.* 23. *quæſt.* 25., cui communis Eccleſiarum adhæret praxis. Qui privatim divinum officium recitat, onere quidem officii Defunctorum per Pontificis indulgentiam liberatur, non ita tamen, ut *pro opportunitate temporis illud non valeat dicere*, quinimmo ad illud dicendum per indulgentiarum propoſitionem adhuc non alliciatur; quæ vero major opportunitas ſuffragandi mortuos, quam præſens per additionem dictæ orationis, quæ loco Miſſæ, quæ Defunctorum officio correſpondet, ſubrogatur? Sic enim Defunctis, ſi non licet per officium & Miſſam ipſam, ſubſidium paratur, & paratur ſine ullo prorſus celebrantis incommodo, cum regulariter eadem oratio ſubſtituatur vice alterius, quæ juxta Rubricas dicenda foret. Nec per omiſſionem orationis, quæ per Rubricam alias dici deberet, & intruſionem collectæ pro Defunctis, vis ulla Rubricis obvenit, quia dum privatim recitantibus, officium Defunctorum pro temporis opportunitate committunt, indulgentiam ſimilem faciunt ſuper dicta oratione, quæ Defunctorum quoad Miſſam correſpondet officio.

XI. Verum quoniam Rubricæ privatum ipſum Defunctorum officium opportunitati temporis committunt, nec loco hujus aliud ſubſtituunt, haud ambigerem, quod abſque peccato in rubricam fieri poſſit Miſſa privata de Requiem, dummodo uti officium pro Defunctis generaliter dici mandatum eſt, ita Miſſa ipſa pro iiſdem applicetur, pro quibus & applicandam eſſe commemorationem, quæ in Miſſa diei fieret, dubitari non poteſt. Rubrica enim non ſiſtit in qualitate Miſſæ, ſed pertranſit ad applicationem, & quatenus applicatio non debeat fieri, in præcepto nec eſt qualitas Miſſæ, ſed quoties non adhibeatur Miſſa de die cum applicatione ſacrificii, uſurpanda eſt Miſſa de Requiem cum orationibus congruentibus perſonis, & circumſtantiis, pro quibus, & in quibus dicitur, quemadmodum evincunt tradita in Decr. 7. cap. 5. Hinc volo, eruas, quod quando ſuperius diximus, quod prima die menſis in qua non occurrit feria propriam habens Miſſam, nec in ea reſumenda eſt Miſſa Dominicæ, apud Eccleſias non cathedrales, nec collegiatas juxta Rubricam, Miſſa principalis debet eſſe pro Defunctis omnibus, id accipiendum eſt quoad conſilium, quatenus Eccleſia optat ea die Miſſas pro Defunctis generaliter fieri, & applicari, non autem quoad præceptum, cum apud eaſdem Eccleſias Miſſa etiam ſolemnis ſit liberæ applicationis; quare quatenus eædem Eccleſiæ non acquieſcant memorato Eccleſiæ conſilio, & deſiderio, vel dicent Miſſam de die, aut de Requiem congruentem illis, pro quibus celebrant.

XII. *Præterea feria ſecunda*, proſequitur allegata Rubrica *num.* 2., *cujuſque hebdomadæ, in qua fit de feria, Miſſa principalis dici poteſt pro defunctis.* Ritus ſuffragandi mortuos in feriis ſecundis, teſte Macro *verb. Miſſa Defunct.*, originem habuit anno 1056. a Monachis Gamungenſibus; cur autem feriæ ſecundæ præ ceteris delectæ fuerint, reponit Gavantus *par.* 1. *tit.* 5. *lit.* F., quod Deus ea die fecit firmamentum, ſeu cælum, quo Defunctorum animas transferri quamprimum eadem ipſa die petimus; vel ut Eccleſia ſuam oſtendat ſollicitudinem pro Defunctis, dum ſicut initio menſis, ita hebdomadæ pro iiſdem orat. Rationem aliam producunt Petrus Damiani *lib.* 2. *epiſt.*, & Joannes Belethus *in Ration. cap.* 5., videlicet quia Defunctorum animæ in diebus Dominicis a ſuppliciis feriantur, & in ſecunda feria ad pœnas redeunt, & ideo ea potiſſimum die per Miſſam, & preces iiſdem ab Eccleſia paratur ſubſidium.

XIII. Ubi autem prima die menſis, in qua recitatur officium Defunctorum pro ſuffragiis generalibus, per verbum *dicitur* demandatur itidem Miſſa principalis pro Defunctis, nunc feriis ſecundis per verbum *dici poteſt* Miſſæ celebratio cleri arbitrio committitur, cum nec officium habeat, cui correſpondeat, quare clero integrum erit vel miſſam de die, vel de Requiem facere. Miſſa autem pro Defunctis non eſt præſcripta pro feriis ſecundis omnibus, ſed ſolum in iis, in quibus non occurrit feſtum ſimplex, aut feria propriam habens miſſam, aut in qua reſumenda non ſit miſſa Dominicæ, quæ in alio die hebdomadæ poni nequeat. En Rubricam: *Si autem fuerit propria Miſſa de feria, vel de feſto ſimplici, vel reſumenda ſit Miſſa Dominica præcedentis ut ſupra, in Miſſa de die fiat commemoratio (ut dictum eſt) pro Defunctis.* Verba ejuſmodi id ponunt diſcriminis inter diem primam menſis, & ferias ſecundas, quod ubi in illa ſi occurrat feſtum ſimplex, aut feria propriam habens miſſam, cathedrales, & collegiatæ ad duas obligantur miſſas, in his ſolum demandatur commemoratio pro Defunctis in miſſa de die; cum enim feriæ ſecundæ intra annum ſint admodum frequentes, nimis grave cenſitum eſt, tam frequens onus duarum miſſarum clero imponere, & ideo vice miſſæ demandata fuit commemoratio, quæ Defunctis ſuffragium porrigit, quin ullum clero afferat incommodum.

XIV. Quod ponderetur, dignum eſt verbum *fiat*, quod in veriori ſenſu commemorationem Defunctorum in præcepto conſtituit, quoties miſſa dici non poteſt ob occurrentiam feſti ſimplicis, aut feriæ ut ſupra habentis miſſam propriam. An autem præceptum hujuſmodi trahi debeat ad caſum occurrentis feriæ ſine miſſa propria, ſi dicatur miſſa de die, non Defunctorum, prout in arbitrio eſſe diximus, tacet Rubrica, ſed nos non ambigimus affirmare; patens eſt namque intentio Rubricæ, quæ eatenus eamdem commemorationem indixit, ne omnino ea die Defuncti deſtituerentur ſuffragio; quidni in præcepto ſaltem cenſeri debebit, ſi uberius ſubſidium, quod in miſſa Eccleſia paravit, iiſdem denegetur? Ne autem jam tradita cogamur repetere, præſenti Rubricæ adapta quæcumque ſuperius dedimus de commemoratione, & Miſſa pro prima die menſis.

XV. *Excipitur* (ſubdit Rubrica) *tamen quadrageſima, & totum tempus paſchale, & quando per annum officium eſt duplex, vel ſemiduplex, quibus temporibus non dicitur miſſa conventualis (niſi in die depoſitionis Defuncti, & in anniverſario pro Defunctis) neque pro iis fit commemoratio.* Ubi agitur de ſuffragiis pro initio menſis, etiam Adventus excipitur, non hic vero hujus feriæ ſecundæ excipiuntur a lege Miſſæ hebdomadariæ. In adventu vice primi diei menſis ſubrogatæ fuerunt cunctæ feriæ ſecundæ ejuſdem, tam quoad officium, quam quoad Miſſam, & cum hæc ſubrogatio ubertim compenſet omiſſionem officii, & miſſæ ratione menſis, idcirco onus hocce menſile ſublatum extitit. Rite autem, ut in feriis ſecundis per annum,

Miſſa

Digitized by Google

Miſſa Defunctorum indulgeri potuit in feriis ſecundis adventus, quia Miſſam propriam non habent, unde non gravatur clerus onere alterius Miſſæ, & Miſſa Defunctorum valde concinne conſociatur cum eorumdem officio. At quid ſi reſumenda ſit Miſſa Dominicæ, quæ fuerit impedita, & intra hebdomadam reſumi nequeat? Locum habet Rubrica, quæ præſcribit Miſſam Dominicæ cum commemoratione pro Defunctis; pro adventu enim, qui non eſt ex temporibus exceptis, in integrum ſtat prædictæ Rubricæ lex, ac conſequenter etiam ea omnia, quæ in ejuſdem expoſitione dedimus.

XVI. Verum ſi adventus non excipitur, in exceptis terminus poſita feſta novem lectionum, & tempus paſchale, & quadrageſimale. Feſta novem lectionum, & paſchale tempus excipiuntur iiſdem de cauſa, ob quat a ſuffragiis ratione menſis ſuperius vidimus excipi; quadrageſima vero excipitur tum a lege ſuffragiorum generalium ratione menſis, tum a lege miſſæ, vel commemorationis in feriis ſecundis. Quoad exceptionem a ſuffragiis menſilibus convenit cum adventu, & etiam in cauſa exceptionis, quia nempe non minus in qualibet feria ſecunda quadrageſimæ ordinatur officium Defunctorum, quod abunde compenſat ejuſdem omiſſionem pro prima die menſis. Præ adventu autem excipitur a lege Miſſæ, quia feriæ quadrageſimales propriis gaudent Miſſis, quas conſequenter aut opus erat omiſſioni ſubmittere, vel gravare clerum ſequenti onere duarum Miſſarum. Quod ſi quæras, cur tali tempore etiam defunctorum commemoratio ablegetur, facilis eſt reſponſio, quia nempe eo tempore nedum in feriis ſecundis, ſed diebus cunctis uſque ad Dominicam Paſſionis, in oratione *Omnipotens ſempiterne Deus* pro vivis ſimul & mortuis perpetuo orat, unde neceſſe non fuit particularem collectam aliam pro Defunctis invehere. Sola feria ſecunda Paſſionis immunis eſt a prædicta oratione *Omnipotens*, tantumque illius Miſſa admittit collectam *Eccleſiæ*, etſi in tali feria dicatur officium Defunctorum; verum id eidem rationi innititur, ob quam a Paſſionis tempore rejiciuntur ab officio ſuffragia ipſa communia Sanctorum. Paſſionis enim tempus præcipue conſecratum fuit memoriæ Dominicæ Paſſionis, & ideo videtur expoſcere, quod ſicuti ſuffragia communia Sanctorum propterea ab officio fuerunt rejecta, ut uni ſoli Chriſto tunc attendamus, admiſſo dumtaxat Defunctorum officio, quod extra officium divinum eſt, ita a miſſa rejicerentur ſuffragia communia Defunctorum, licet ut talis miſſe feriali ritu perageretur, oratio altera in ea admiſſa fuerit, nempe *Eccleſiæ*, ad eum finem, quia Chriſtus ſanguine ſuo Eccleſiam fundavit.

XVII. Ultra Rubricam ex dictis uberem Decreti expoſitionem habes, atque rationem, ob quam nec miſſa Defunctorum neque commemoratio admittitur in feria ſecunda hebdomadæ majoris, quæ ob privilegium, quod habet contra quodvis feſtum, jam rite etiam depellit Defunctorum officium, quod cum itidem reſpuatur a vigilia Nativitatis, quæ non minus privilegiate eſt contra quaſcumque miſſas, & officium, & inſuper a laudibus ritum duplicem aſſequitur, ab eadem, etſi in feriam ſecundam incidat, cenſeri debet excluſe Miſſa principalis, & commemoratio pro Defunctis. Quæ autem uſquemodo tradita ſunt, procedunt attento rubricarum rigore, non earumdem indulgentia, juxta quam *Miſſæ privata de Defunctis quocumque die dici poſſunt, præterquam in feſtis duplicibus, & Dominicis diebus*, ut diſerte Rubrica ait, & nos alibi late expoſitionem perſequimur.

DECRETUM II. CAPITIS, IN ORDINE XLV.

Ob Miſſam votivam, ſeu pro Defunctis non eſt omittenda Miſſe Conventualis, neque poteſt introduci conſuetudo in contrarium uſum. S. R. C. 16. Janu. 1627. *in Janu.*

I. CONventualis Miſſa pars officii divini eſt, huicque debet eſſe conformis, quare cum talis eſſe nequeat miſſe de Defunctis, per eam numquam ſuppletur præceptum conventualis Miſſæ. Fallit dumtaxat Decretum in feriis primis cujuslibet menſis, & feriis ſecundis non impeditis extra excepta tempora, in quibus quoties eædem Miſſam propriam non habent, ex Rubricarum diſpenſatione Miſſa, quæ de Defunctis generaliter dicitur, pro Conventuali deſervit. Diximus *quæ de Defunctis generaliter dicitur*, quia quæcumque alia miſſa pro Defunctis fieret haud rueret onus Miſſæ Conventualis de officio, licet hoc propriam miſſam non habeat, aut in eo reſumenda non foret Miſſa Dominicæ, quæ impedita fuerit.

DECRETUM III. CAPITIS, IN ORDINE XLVI.

In die anniverſarii, & depoſitionis non poteſt cantari miſſa Defunctorum loco Conventualis. S. R. C. 5. Julii 1698. *in Collen.*

I. D*Um tamen Conventualis Miſſa non impediatur*, eſt conditio, quam Rituale apponit Miſſæ dici obitus præſente corpore, non obſcure per hæc verba innuens, quod per miſſam depoſitionis impediri non poteſt, neque ſuppleri miſſe Conventuale, ac conſequenter neque per Miſſam anniverſarii, aut Defunctorum quamcumque aliam. Defunctorum miſſa pro Conventuali dumtaxat deſervire valet iis in feriis, quarum meminimus in præcedenti Decreto, & in quibus de præcepto, aut indulgentia Rubricarum jam pro principali aſſignata extitit, quem ad caſum omnino impertinens eſt miſſa anniverſarii, & depoſitionis. Deinde miſſa anniverſarii, & depoſitionis, & quæcumque alia ex eo ſolum titulo inepta dignoſcitur pro conventuali deſervire, quod Conventualis debet eſſe conformis officio & ejuſdem applicatio eſt reſervata Benefactorum ſuffragio, ubi miſſæ prædictæ applicantur pro particularibus Defunctis, & quando etiam aliqua applicaretur pro Benefactoribus in genere adhuc deficeret in conformitate cum officio, quæ non minus eſt in præcepto.

DECRETUM IV. CAPITIS, IN ORDINE XLVII.

Miſſa Conventualis non poteſt celebrari pro anniverſario, ſed cantandæ ſunt duæ miſſæ. In die vero depoſitionis dicenda eſt miſſa pro Defuncto, non obſtante contraria conſuetudine. S. R. C. 12. Julii 1628. *In Janu.*

I. IN ſuperioribus vidimus, Defunctorum miſſam pro Conventuali deſervire non poſſe, niſi in caſibus prout ſupra, tum ex defectu conformitatis cum officio, tum ob ejuſdem inapplicabilitatem in benefactorum ſuffragium; nunc eadem de cauſa deciditur, quod nec Conventualis miſſa deſervire valet pro anniverſario, quia nempe nec illa eſt applicabilis pro fundatore, utpote benefactorum ſuffragiis deſtinata, nec convenit in qualitate cum miſſa anniverſarii, quæ de Requiem juxta Eccleſiæ ritum ſupponitur indicta. Equidem Eccleſia privatas miſſas de Requiem, quando in præſcripto die impediuntur, per miſſas de die cum ſola ſacrificii applicatione poſſe ſuppleri, non ſemel indulſit, verum in miſſis ſolemnibus, etiam quoad miſſæ qualitatem, teſtatorum mentem credidit eſſe adimplendam, & ideo ſi incidunt in feſta duplicia, vel nihilominus de Requiem dici poſſe, vel ad diem alteram eſſe amandandas, ſuperiora nos edocent capita. Ceterum quando etiam per ſolam ſacrificii applicationem aptæ forent impleri, adhuc iiſdem ſatisfieri non poſſet per miſſam conventualem, quæ cum benefactorum ſuffragiis ſit reſervata, inepta eſt ſatisfacere fundatoris, vel aliorum particulari obligationi, quare duæ cantandæ ſunt miſſæ, ut utrique oneri ſatisfiat, ſicut mandat Decretum, cujus expoſitionem quoad ea, quæ ſtatuit de die depoſitionis, require in Decret. 1. cap. 3.

DECRETUM V. CAPITIS IN ORDINE XLVIII.

Quando adeſt obligatio, & onus faciendi diverſa anniverſaria ſtatis diebus, in quibus occurrunt feſta duplicia, ſive ſemiduplicia, nec non etiam tempus quadrageſimale, & quatuor tempora, vigilia, & ſimilia, miſſa conventualis nullo pacto eſt omittenda, ſed utraque miſſa cantanda eſt, altera de die, altera de Requiem, etiamſi occurrat feſtum duplex, dummodo non ſit feſtivum de præcepto, ad hoc ut Teſtatorum voluntates adimpleantur, & licita eleemoſyna lucrari poſſit, ut declaravit S. R. C. 1. Sept. 1607. *in Pampilonen.*, & 29. Nov. 1628. *in Janu.*

I. DE duobus inſtruimur, quorum primum eſt, quod anniverſaria ſtatis diebus addicta, etiam in duplici feſto, quod non eſt de præcepto, poſſunt celebrari, & hoc ſua alibi, & uberi ponderatione non caruit. Alterum eſt, quod ob miſſam anniverſarii omittenda non eſt miſſa conventualis de die, de quocumque fiat officium, & hoc conſtanter itidem firmant Decreta, de quibus hactenus. De feriis propria miſſa carentibus, quarum Decretum non meminit, lis poſſet inſtitui, quam tamen Rubrica ſimiliter dirimit. Dum namque aſſignat pro principali miſſa vel miſſam de die, aut aliquam ex votivis per hebdomadam in fine miſſalis diſtributis, profecto quaſcumque alias depellit. Feriis quidem ſecundis, & primæ diei menſis aſſignatur miſſa pro Defunctis, ſed quæ dicatur ut in quotidianis, & pro Defunctis generaliter applicetur, adeoque apta haud eſt, per quam anniverſariis, aliiſve obligationibus ſatisfieri valeat. Idipſum adhuc foret, ſi diceretur ut in quotidianis, & pro Defunctis generaliter applicaretur, quando aliunde talis obligatio proveniret; una enim, & eadem miſſa pro duabus obligationibus ex diverſo titulo debitis, deſervire non valet.

DECRETUM VI. CAPITIS, IN ORDINE XLIX.

In die commemorationis omnium fidelium Defunctorum non poteſt celebrari miſſa ſolemnis de Requiem poſt Primam, ſed ſervandæ ſunt Rubricæ, quæ præſcribunt poſt Nonam. S. R. C. 22. Janu. 1701. *in una Camaldulen. montis Coronæ.*

I. APagete rituum deſtructores magis quam inſtauratores, qui pauci fecitis Rubricarum mandata refrigere, Sunt iſtæ ſanctiſſimæ officii, & miſſæ leges, antiquitatis laude, Auctorum dignitate, rationum pondere, & myſteriorum ubertate perſelebres, quid igitur unquam ſanctius, quam quod ſerventur? In medium prodeat Rubrica 15. num. 2. *miſſa Defunctorum dici debet poſt Primam diei, ubi vero dicuntur eorum vigiliæ mane poſt matutinum diei, dictis hujuſmodi vigiliis cum laudibus, immediate dici poteſt miſſa pro Defunctis.* Properandum eſt in Defunctorum ſuffragiis, & ideo miſſa Defunctorum concinne admodum poſt Primam diei demandatur, aut poſt eorumdem vigilias recitatis laudibus, ut ſic quæ Defunctorum ſunt, una ſimul perſolvantur, integrum erit itaque, ubi, & quoties recitetur Defunctorum officium in mane poſt matutinum diei, illorum miſſam canere vel poſt Primam diei, aut poſt præfatum officium, determinate vero dicenda erit poſt Primam, ſi vigiliæ minime dicantur.

II. Ab

Digitized by Google

II. Ab hac lege commemorationem omnium fidelium Defunctorum Rubrica liberat: *Sed in die commemorationis omnium fidelium defunctorum miſſa conventualis dicitur poſt Nonam*, & per hæc inſuper verba exceptionis rationem addit: *Quia eo die eſt principalis*. Volo *principalis* nomine ſolemnem hic accipias, vel ſaltem adjicias, ideſt *quia eſt principalis, & ſolemnis*, ſeu cum ſolemnitate, concurſu, & frequentia populi celebrata, alias quippe etiam miſſa, quæ pro ſuffragiis generalibus indicitur in prima die menſis, vel feriis ſecundis non impeditis, poſt Nonam dicenda foret, cum *principalis* a Rubrica declaretur, & tamen aliunde certum ſit, quod ad tramites ſuperioris Rubricæ poſt Primam, vel poſt mortuorum laudes dici debet. Expoſitionem ejuſmodi approbat Guyetus *lib. 3. cap. 30. quæſt. 5.*, & eadem non obſcure laudat Rubrica, dum diebus ſolemnibus pro Defunctis miſſam poſt Nonam liberum facit dicere. *In die etiam depoſitionis Defuncti, vel 3. 7. 30. aut anniverſario ſolemni, in quo ſit concurſus populi, poteſt ſimiliter dici ultimo loco poſt Nonam*. Hora Nonæ frequentiæ populi eſt omnium magis accommoda, & inſuper hora mœroris eſt, & in ipſa Chriſtus emiſit ſpiritum, & ideo Defunctorum miſſæ in ea & ſuis non carent myſteriis, & quando ſolemniter, & cum concurſu populi fiunt, concinne admodum, & congruenter decantantur.

III. Ruit itaque ſententia Gavanti, qui *par. 3. tit. 15. nu. 18.* miſſam commemorationis omnium Defunctorum liberum facit canere vel poſt Nonam, aut poſt mortuorum vigilias, tolerari tamen fortaſſe poterit in ruralibus Eccleſiis, ubi populus diluculo ad Eccleſiam frequentior convenit, multo autem infrequentior in tardioribus diei horis, in quibus laborioſis diſtinetur operibus, ad rem ſuffragante Rubricarum fine, a quibus delecta fuit hora Nonæ, tamquam ad populi frequentiam magis accommoda. Quæ vero ex Eccleſiis in uſum habent matutinum hora Nonæ canere, & ſubſequenter Defunctorum miſſam, in ſua nolumus conſuetudine perturbare, quoad matutinum diſerte id approbantibus Rubricis ipſis, ut in ſuo capite dicitur, & quoad miſſam, quia adhuc dicitur hora Nonæ, vel quaſi Nonæ, licet non dicatur poſt horam Nonam.

IV. Ea ſuperius allegata Rubrica ſatis elucet, quod etiam in die depoſitionis, 3. 7. 30., & anniverſario, quoties cum ſolemnitate, & frequentia populi celebratur, miſſa dici poteſt poſt Nonam, & idipſum conſequenter erit de quacumque miſſa alia, quæ ſolemniter fiat. Hoc autem habetur diſcriminis, quod miſſa commemorationis omnium defunctorum per verbum *dicitur* determinate demandatur poſt Nonam, ubi illæ per *dici poteſt* ita poſt Nonam aſſignantur, ut etiam pro arbitrio poſt vigilias Defunctorum, aut poſt Primam diei dici valeant. Quoniam vero quoad miſſas ejuſmodi plurima habenda eſt ratio Ritualis Romani, ad quod proprie ſpectant, latius celebrari nos crederemus poſt laudes Defunctorum, quibus ab eodem adnectuntur, & indubie miſſa, quæ inter exequias præſente corpore dicitur, poſt officium Defunctorum dici debet, & quatenus tale officium minime recitetur, adhuc ſpoliari non poterit loco, quem Rituale eidem facit inter exequias, quocumque tempore hæ peragantur, dummodo congruens ſit hora pro dicenda Miſſa juxta ea, quæ traduntur in proprio capite.

V. Eſt itaque indubie carpendus uſus nonnullarum Eccleſiarum, quæ abſque ullo delectu, nulloque ſervato ordine, miſſæ Defunctorum indifferenter poſt Primam, aut Nonam incumbunt, & ad Decretorum, ac Rubricarum leges trahendus? Miſſa autem commemorationis omnium Defunctorum alicujus Religionis, ſi ſolemniter habeatur, cantanda erit poſt Nonam, vel poſt laudes Defunctorum hora Nonæ juxta conſuetudinem, & ſi alicubi ſolemnis non fiat, ejuſdem locus erit in mane poſt eaſdem laudes, vel poſt Primam diei. Idem judicium facito in ſimilibus.

DECRETUM VII. CAPITIS, IN ORDINE L.

Patriarchales, Metropolitanæ, Cathedrales, & Collegiatæ Eccleſiæ tenentur quotidie celebrare, & applicare miſſam Conventualem pro Benefactoribus ſuis in genere, non obſtante quavis, licet immemorabili, conſuetudine in contrarium. Benedictus Papa XIV. Conſt. *Cum ſemper* 19. Aug. 1744.

I. HAec ſuper rem prodierunt deciſiones plurimæ, quæ licet per allegatam conſtitutionem confirmentur, haud neceſſe eſt eaſdem recenſere; cum idem ſapientiſſimus Pontifex Summus rem adeo enucleet, ut ulla in parte per antiquas ſanctiones ſuppleri indigeat. Unum tamen adhuc Decretum (& ſit 8. cap., in ordine 51.) nobis producere liceat, quia nos allevat onere afferendi conſtitutionis cauſas: *Canonici Cathedralium, & collegiatarum accipiunt fructus ſuorum canonicatuum ſub onere inſerviendi Eccleſiæ in celebratione divinorum officiorum; quæ celebratio non importat ſolum horas canonicas, ſed etiam miſſam Conventualem, tamquam præcipuam partem, & proinde ad applicationem ejuſdem miſſæ Conventualis tenentur pro illis, ex quorum diſpoſitionibus diſtributiones, & emolumenta percipiunt. Sacra Congreg. Concil. 17. Martii & 9. Junii 1714.*

II. Quæ Eccleſiæ premantur onere hujuſmodi, Conſtitutio ſatis explicat, cui cum conſonæ ſint ſanctiones omnes, atque Rubricæ, quæ ubicumque id oneris dumtaxat imponunt *Cathedralibus, & Collegiatis Eccleſiis*, indubie Eccleſiæ quæcumque aliæ lege Conventualium miſſarum non erunt adſtrictæ. *Collegiatarum* nomine etiam Regulares Eccleſias nonnulli venire faciunt; diſtinguunt vero alii, & eas Monachorum, & Canonicorum Regularium inſtar Collegiatarum obligant, & Mendicantium illas liberant. Rem brevi nos ſermone concludimus, tum a celebratione, tum ab applicatione miſſæ Conventualis abſolventes Mendicantium Eccleſias, in quibus quippe, nec vi fundationis, nec alicujus beneficii, neque emolumenti, aut ſtipendii canonicum celebratur officium, cujus pars, & complementum cenſetur miſſa Conventualis, ſed ſolum vi ſuarum Conſtitutionum, & laudabilis conſuetudinis. Solum itaque ad Conventualem miſſam, ejuſdemque applicationem cenſeri queunt adſtrictæ, quatenus, & prout per Conſtitutiones, & conſuetudinem forent demandatæ; non novi autem ex Mendicantibus Religionem aliquam, cujus Conſtitutiones, aut conſuetudo in rigoroſo præceptu conſtituant celebrationem miſſæ Conventualis, aut hujus applicationem obligent benefactoribus in genere. Recolenda hic ſunt, quæ late dedimus *to. 1. cap. 8. Decr. 3. §. 2.*, ubi refellimus capita omnia, ex quibus obligatio prædictæ miſſæ peti poſſet, oſtendimuſque Regulares Eccleſias *Collegiatarum* appellatione minime venire. Quæ in ſubſequentibus paragraphis damus, nonnullam quidem dubitationem ingerunt, at par non eſt ratio de officio, & miſſa, quia quando etiam conſuetudo officii obligatoria foret, in Mendicantium Eccleſiis conſuetudo miſſæ non eſt, & certe applicationis ejuſdem, ut per eam jure cenſeri queant obligatæ; & ſi quæ in aliquibus conventibus (quod vix crederem) quoad eamdem applicationem viget, cum non ſit communis, & conſtans, merito putari poteſt animo devotionis inducta, niſi liquido contrarium conſtet, adeoque minime obligatoria.

III. Rationes ejuſmodi æque fere afficiunt Monachorum, & Canonicorum Regularium Eccleſias, quas a jure communi ad Conventualem miſſam non eſſe adſtrictas, oſtendunt facile Decreta 6. cap. 3., & 4. cap. 6., quæ etſi eaſdem alloquantur, dum ultra miſſam de requiem imponunt onus Conventualis de die, hanc conditionem adjiciunt *Quatenus adſit obligatio cantandi*. Neque itaque Eccleſiæ hujuſmodi univerſim adſtrictæ ſunt ad miſſam Conventualem, & ea conditio *Quatenus &c.* dumtaxat evincit, earumdem aliquas teneri poſſe vi particularium legum, conſuetudinis, & inſtituti, & ſecundum obligationem eorumdem, non vero ratione alicujus univerſalis legis.

IV. De Parochialibus, aliiſque Eccleſiis, in quibus plures Sacerdotes celebrant, ſuccedit dicere, & cum nullibi in jure, nec ab Auctoribus *Collegiatæ* appellentur, eo onere, quod Rubricæ Cathedralibus, & Collegiatis dumtaxat faciunt, ecquis putaret obſtringi? Accedit, quod nec primo, & per ſe ad officium canonicum ſunt deſtinatæ, etſi ejuſdem pars, puta veſperæ, in aliquibus diebus interdum decantetur ad ſatisfaciendum devotioni populi. Ubi tamen fundatio aliqua, ſeu ſtipendium ad id ſuppeditaretur, dubium non eſt, quod ad Conventualem Miſſam tenerentur, id exigente, non lege Eccleſiaſtica univerſali, ſed juſtitiæ titulo. Quod pari ratione procedit de Regularibus Eccleſiis, in quibus quid ſimile haberetur; quo non ſtante hoc diſcrimen eſt Cathedrales, & Collegiatas inter ac Regulares Eccleſias, quod hæ, quatenus conſtitutiones, aut conſuetudinem prædictæ miſſæ teneant, in ejuſdem omiſſione dumtaxat delinquerent contra conſtitutiones, & conſuetudinem, & ea culpa, ſub qua eædem obligant, ubi illæ peccarent contra juſtitiam, cum diſtributiones, & emolumenta percipiant.

V. *Altera miſſa cantata de feſto, ubi adſunt plures, vel ſaltem duo Sacerdotes*, ait Decretum 7. cap. 5., poſtquam Eccleſiis Parochialibus ruralibus indulſit miſſam ſolemnem haberi in die vere anniverſaria mortuorum ad inſtantiam vivorum; ex quo facile erui poſſe videtur, Eccleſias Parochiales teneri ad miſſam de die. Hunc tamen non eſſe Decreti ſenſum, quiſquis ex eo percipit, quod tale imponitur onus, etſi tantum adſint duo Sacerdotes, quorum numerus ad rem utique inſufficiens eſt, cum quandoque tres, perſæpe duæ ex Rubricarum mandato occurrant Conventuales Miſſæ. Crederem ego itaque, quod cum memorata clauſula, *Quatenus adſit obligatio cantandi*, prælatum Decretum accipi debeat, ſeu magis, quod to *cantata* ſtet pro dicta, ſicuti perſæpe verbum *dicuntur*, quod ſuper Conventuali miſſa Rubrica adhibet, vice *cantantur* uſurpatur, ita ut ſenſus ſit, quod miſſæ reliquæ dici debent de feſto, & una dumtaxat de anniverſario, ſi namque privilegium conditioni alterius miſſæ cantatæ de feſto cenſeretur alligatum, in Eccleſiis ruralibus, quibus ſit, & in quibus duo tantum ſacerdotes celebrant, futile prorſus foret, & inane, & certe permaxime incommodum, & oneroſum, & via in praxim reducibile.

VI. Etſi vero Regulares Eccleſiæ minime teneantur lege Conventualium miſſarum, & integrum iiſdem ſit ob miſſam de requiem, aliamve votivam abſtinere a Conventuali de feſto, abſit, ut ego iiſdem contendere velim privilegium, quod univerſi ipſis concedunt Auctores, ad Rubricarum tramites incumbendi conventualibus miſſis, etſi has minime applicent pro benefactoribus in genere, ſed pro quolibet alio, quinimmo quamvis eaſdem minime canant, ſed legant. Sunt enim ex præcipuis Eccleſiis, ad quas fortaſſe reſpexiſſe Rubricam autumarunt nonnulli, dum de Conventualibus miſſis nonnunquam utitur verbo *cantantur*, modo verbo *dicuntur*; licet revera talis non ſit Rubricæ ſenſus, quæ Cathedrales inibi, & Collegiatas alloquitur Eccleſias, quas ad earumdem miſſarum cantum unanimes adſtringunt Auctores, to *dicuntur* exponentes pro *cantantur*, ne invicem Rubricæ pugnent.

Digitized by Google

DECRETUM IX. CAPITIS, IN ORDINE LII.

Per miſſam cantatam in ſuffragium alicujus Benefactoris, vel Benefactorum in genere, quæ foret impoſita, non ſatisfit oneri miſſæ Conventualis. Benedictus Papa XIV. Conſt. *Cum ſemper* 19. Aug. 1744.

I. QUæ dedimus exponentes Decretum 4., præſentem ubertim elucidant ſanctionem. Miſſa, quæ in ſuffragium alicujus Benefactoris, vel adhuc Benefactorum omnium dicitur, non convenit in qualitate cum miſſa Conventuali, quæ ſecundum Rubricas eſt dicenda, & quando etiam conveniret, per unam Miſſam ſatisfieri non poteſt duabus diſtinctis obligationibus, cujuſmodi eſt obligatio ſacrificandi pro Benefactoribus, quæ eſt particulariter impoſita, & quæ demandata eſt per Rubricas, vel canonicas ſanctiones.

DECRETUM X. CAPITIS, IN ORDINE LIII.

Ubi a Beneficiatis, vel Manſionariis celebretur miſſa Conventualis, iiſdem ſuppeditetur eleemoſyna ea diſtributionum maſſa, quæ ſi attenta earum tenuitate adeo minuantur, ut negligantur, recurſus haberi poterit ad Congregationem Concilii, quæ ad ſolos dies feſtivos prædictæ miſſæ applicationem reſtringere poterit. Benedictus XIV. Conſt. *Cum ſemper* 19. Aug. 1744.

I. ÆQuum non eſt, quod Beneficiati, vel manſionarii celebrent ſine eleemoſyna, & ideo rite ſtatuitur, quod hæc ſuppeditetur illis ea diſtributionum maſſa, quibus innititur onus applicationis Conventualis miſſæ. Quod ſi attenta earum tenuitate, adeo minuantur, ut negligantur cum gravi damno ſervitii Eccleſiæ, ſe quidem diſpenſare non poterunt ab onere quotidianæ applicationis, ne plus æquo, ut facile in re propria evenire poteſt, ſibi blandiantur, ſed recurſum habere poterunt ad Congregationem Concilii, cui facultas ſit *applicationis* onus ad ſolos feſtivos coarctare dies, integrum tamen ſtante obligatione quotidianæ celebrationis.

DECRETUM XI. CAPITIS, IN ORDINE LIV.

Rubricarum mandatis ſuper duabus, & quandoque tribus miſſis Conventualibus Cathedrales, & Collegiatæ Eccleſiæ diſtricte parere tenentur, eaſque omnes, ubi id conſuetudo obtinuit, applicare pro Benefactoribus; & conſuetudine minime ſtante, applicatio primæ erit Benefactorum ſuffragio reſervata, reliquarum libera, dummodo eorumdem Benefactorum non obliviſcantur in commemoratione Defunctorum omnium. Benedictus XIV. Conſt. *Cum ſemper* 19. Aug. 1744.

I. RUbricæ ſunt miſſæ leges, quid igitur æquius, quam quod executioni mandentur? Miſſa Conventualis debet reſpondere integre horis canonicis, quare cum una ex Rubrica 7. *n.* 2. dici debeat ſine commemoratione alterius, ſi una tantummodo diceretur, integre non reſponderet officio divino. Accedit, quod Rubricæ eiſdem miſſis adaptant verba *dicuntur*, & *cantantur*, quæ vim imperativorum habent, & quod Pius V. diſtricte præcepit, ut decantetur miſſa juxta normam, ritum, & modum a ſe præſcriptum, adeoque quandoque duæ, & una ſine commemoratione alterius, unde Gavantus *par.* 3. *tit.* 10. *num.* 7. rite cenſet Rubricas ſuper miſſis Conventualibus eſſe præceptivas, & de re graviſſima, & idipſum pronunciat Guyetus *lib.* 3. *cap.* 30. *quæſt.* 4.

II. Miſſæ hæ omnes adjudicantur Benefactorum ſuffragio, ubi talis conſuetudo invaluit, qua non ſtante a tanto relevantur Eccleſiæ onere, nec tamen Benefactores negliguntur, quibus unius reſervatur applicatio Miſſæ, & ſpecialis memoria in die commemorationis omnium fidelium defunctorum, quinimmo ex laudantur Eccleſiæ, quæ illud ſuffragium Benefactoribus ſponte præſtant. Decretum limita quoad eas Eccleſias, quæ ut ſupra diſpenſatæ forent, ita ut teneantur dumtaxat ad applicationem in diebus feſtivis; iſtæ enim obedientiam quidem rubricis præſtabunt quoad celebrationem miſſarum Conventualium, ſed poſtea ipſis integrum erit eaſdem applicare, pro quocumque voluerint, una excepta in diebus feſtivis, tametſi in his duæ occurrant dicendæ, hoc ipſo namque, quod ob tenuitatem redditūum Miſſarum onus reſtringitur ad dies feſtivos, ad unam jure præſumitur redactum, non ad duas, ad quarum applicationem nec tenentur Eccleſiæ pinguiores, niſi id conſuetudo ferat.

DECRETUM XII. CAPITIS, IN ORDINE LV.

Si Canonicus Parochus, aut onere miſſarum alias gravatus, miſſam conventualem celebret, hanc applicare tenetur pro Benefactoribus in genere, & per alium ſupplere miſſas, quibus particulariter manet adſtrictus. Benedictus Papa XIV. Conſt. *Cum ſemper* 19. Aug. 1744.

I. UT dicebamus, miſſa Conventualis eſt Benefactorum ſuffragio reſervata, ergo ſi Canonicus eam celebret, neceſſe eſt per alios ſuppleat miſſas, quibus particulariter adſtrictus eſt, aut quatenus Parochus ſit, miſſas, quas diebus feſtivis pro populo tenetur facere. Limita pro ſecunda, & tertia miſſa, ubi defectu conſuetudinis eſt liberæ applicationis, & adhuc pro prima in ferialibus diebus in Eccleſiis illis, in quibus applicatio miſſæ conventualis non eſt Benefactorum ſuffragiis alligata.

DECRETUM XIII. CAPITIS, IN ORDINE LVI.

Parochi, Vicarii, aliique omnes, quicumque ſint ſive ſæculares, vel Regulares, etiam ſpeciali, & individuali mentione digni, congruos habeant redditus, aut non, & non obſtante quacumque conſuetudine in contrarium, licet immemorabili, pro tempore, quo curam animarum exercent, tenentur applicare miſſam pro populo ipſorum curæ commiſſa omnibus diebus feſtivis, licet ſolum de præcepto quoad onus audiendi ſacrum. Benedictus Papa XIV. Conſt. *Cum ſemper* 19. Aug. 1744.

I. CUm *præcepto divino mandatum ſit omnibus quibus animarum cura commiſſa eſt, oves ſuas agnoſcere, pro his ſacrificium offerre &c.* ſic ſtatuit Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 23. *cap.* 1.; cujus verba, num Parochis nedum celebrandi, ſed etiam applicandi miſſam pro populo præceptum facerent, lis magna inter Doctores exorta eſt, quorum fere omnes affirmativæ parti adhæſere; dictio enim *Pro* via ſenſum alium apta eſt ſuſcipere. Verum Auctores illi adhuc diſſident circa quantitatem dierum, quibus per hebdomadas ſingulas tenentur Parochi miſſam pro ſuo populo applicare, & ex iiſdem adſunt, qui Parochos pingues habentes redditus, ad quotidianam applicationem adſtringunt, plus vero, minuſve illos, quorum redditus ſunt tenues, licet fere omnes conveniant, quod diebus Dominicis, aliiſque feſtivis ſaltem ſacrificium applicare teneantur.

II. Equidem Sacra Congregatio Concilii anno 1681., Parochos ſub ea diſtinctione ad applicationem adſtrictos voluit, ut ſi redditus eorum pingues ſint, teneantur ſingulis diebus, ſi vero tenues, ſaltem diebus feſtivis; ſed cum id iiſdem Parochis nimis oneroſum foret, a deciſis receſſit, omneſque, ſive pingues habeant redditus, ſive nec congruos, ſubjecit indifferenter oneri applicandi ut ſupra miſſam diebus ſingulis feſtivis, quam ſuper rem propemodum infinita prodiere Decreta, quorum ſemper una, & eadem vox fuit. Uniformia ejuſmodi Decreta, quorum binis & acceſſerat approbatio Innocentii Papa XII. Conſt. *Nuper* 24. Apr. 1699., valida profecto erant dubietatem quamlibet removere, ſed quoniam multa malignatus erat inimicus in Sancto, adhuc Parochorum plurimi eleemoſynarum cupidine illecti, ab improbabilibus paucorum opinionibus facile ſe rapi ſinebant, applicationemque ſacrificii non reformidabant negligere. Ut a dicteriis ſe tuerentur in diverſa abiere placita; alii enim Concilii ſanctiones interpretati ſunt pro habentibus congruam, alii criminati tamquam particulares leges dumtaxat obligantes eos, qui propoſuere dubia, & alii adeo progreſſi ſunt, ut iiſdem denegarint vigorem legis, & defectu publicationis vim obligandi in utroque foro.

III. Quibus ejuſmodi reſponſiones impeteremus, profecto haberemus plurima, a quorum recenſione nos opportune prohibet conſtitutio *Cum ſemper* a Benedicto Papa XIV. noviſſime emanata, quæ eaſdem omnes uno ictu enecat, quin aliquid, quod repetant, refragantis Parochis ſuppetat. Parochos omnes, licet Regulares, Vicarios, etiam amovibiles, aut ad breve tempus deputatos, & quemcumque Sacerdotem alium, tametſi ejuſdem ſpecifica, & individualis mentio fieri deberet, pro tempore, quo curam animarum exercent, indifferenter obligat, ſive habeant, ſive non habeant congruos redditus, & non obſtante qualibet conſuetudine in contrarium, licet immemorabili, ad celebrandam, & applicandam miſſam pro populo diebus omnibus Dominicis, atque feſtivis, in quibus tenetur populus audire ſacrum, etſi huic in iiſdem liberum foret vacare operibus ſervilibus. Vide, quam ejuſmodi Sanctio congruat Tridentini verbis; *Cum præcepto divino mandatum ſit*. Eſt itaque præceptum divinum, quod nulla contraria conſuetudine aboleri valet, & ex officio convenit Parochis, adeoque etſi minime habeant congruam. Quibus autem id ſit mandatum, per hæc verba exprimit: *Omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt*, quorum nomine profecto veniunt non ſolum habituales Parochi, ſed quicumque alii pro tempore, pro quacumque de cauſa animarum cura ipſis reperitur commiſſa. *Pro his ſacrificium offerre*, ſcilicet pro animabus ſuæ curæ commiſſis; quibus autem diebus ad id teneantur, equidem Tridentinum non explicat, ſed dumtaxat obligationem abſolute pronunciat, quam admodum apte ſapientiſſimus Pontifex ſummus ad dies feſtivos declarat reſtrictam; hujuſmodi enim obligatio relativa eſt ad populum, unde æquum erat, ut diebus iis omnibus, quibus populus ſacrum audire tenetur, etiam Parochi pro eodem ſacrum facere manerent obſtricti, aut quicumque alii pro tempore, quo ipſis animarum cura commiſſa eſt, ne propterea populus tam ſalutari defraudetur ſuffragio.

IV. Hæc cum non minus militent, ad ſimilia item obligat œconomos Parochialium vacantium, & vicarios perpetuos, vel temporaneos, qui actu exercent curam animarum quæ habitu apud alios reſidet ratione alicujus Parochialis adnexæ eorum Eccleſiæ, Monaſteriis, Collegiis, & locis piis; hac autem lege, ut Epiſcoporum curæ ſit, primis congruam aſſignationem facere, quatenus conſueta fructuum certorum, & incertorum ſufficiens minime ſit, & idipſum præſtare valeant in favorem ſecundorum, quin principalibus Eccleſiis, Monaſteriis, Collegiis, aut locis piis ſuffragari valeat appellatio quælibet, quam attentaret, vel privi-

Digitized by Google

privilegium, aut exemptio, quibus gauderent. Ejuſmodi œconomi, atque vicarii fiunt obnoxii oneri, quod alteri principaliter incumbit, onde par eſt, quod his ſuppediret neceſſaria, & congrua ad illud onus ſuſtinendum. Quod augmentum ab Epiſcopis æque fieri poſſe credimus, dummodo emolumenta ſolita eorumdem judicio ſint incongrua, tametſi in promptu forent, alias idonei, qui abſque ullo incremento tale onus ſubirent; vult enim Summus Pontifex, quod qui incommodum ſentiunt, ſentiant & commodum, ſeu oneri fructus congruos, & Epiſcopis committit ſuper congruitate, vel incongruitate judicium facere. Quibus expoſitum maneat Decretum aliud, & ſit 14. cap. in ord. 57. *Ad celebrandum, & applicandum ſacrificium pro populo diebus feſtivis tenentur œconomi Parochialium vacantium, & Vicarii illi perpetui, vel temporanei, qui actu curam animarum exercent, quæ habitualiter reſidet apud alios ratione alicujus Eccleſiæ Parochialis earumdem Eccleſiis adnexæ, Monaſteriis, Collegiis, aut locis piis, ita tamen ut Epiſcoporum cura ſit aſſignationem conſuetam fructuum certorum, & incertorum, quatenus ſufficiens non ſit, congrue adaugere illis, quin principali Eccleſiæ, monaſteriis, collegiis, aut locis piis ullatenus ſuffragari valeat appellatio qualibet, quam attentaent, vel privilegium, aut exemptio, quibus perfruerentur.* Benedictus Papa XIV. Conſt. *Cum ſemper* 19. Aug. 1744.

DECRETUM XV. CAPITIS, IN ORDINE LVIII.

Parochi, quorum fructus adeo ſunt tenues, ut quaſi ex miſſarum eleemoſynis vivant, nihilominus tenentur ad applicandum pro populo diebus feſtivis, ab Epiſcopis tamen diſpenſari poterunt, ut recepto ſtipendio iiſdem diebus celebrent, dummodo in Eccleſia Parochiali ad populi commoditatem ſacrum peragant, & infra hebdomadam pro populo tot miſſas celebrent, quot diebus feſtivis pro particularibus celebraverint. Benedictus Papa XIV. Conſt. *Cum ſemper* 19. Aug. 1744.

I. SApientiſſimus idem Pontifex Summus, tunc Congregationis Secretarius, *to. 1. notif. 10. nu. 2.* in S. Congregatione ſe propoſuiſſe refert dubium, num ſcilicet Parochi quorumdam locorum, qui nihil a populo recipiunt, & tenue quid dumtaxat conſequuntur a Dominis caſtrorum, teneantur diebus feſtivis pro populo nihilominus miſſam agere? Ad quod Sacra Congregatio die 29. Januarii 1724. reſpondit *teneri, & ad mentem*, & mens fuit quod prælati Parochi diebus feſtivis pro eroganle ſtipem miſſam poſſent facere, dummodo eam celebrarent in Eccleſia Parochiali ad commoditatem populi, & pro hoc diebus ferialibus infra eamdem hebdomadam tot miſſas agerent, quot diebus feſtivis pro aliis celebraſſent. Nunc igitur nonniſi ſtatuitur, quod alias a Sacra Congregatione ſancitum fuerat. Obligationis radix ex eodem fonte petitur, quem in præcedenti Decreto expoſuimus, licet poſtea modo Pontificis pietas Parochorum pauperiei commiſereſcens, Epiſcopis facultatem tribuat, eoſdem diſpuṭandi Parochos, ut recepto ſtipendio diebus feſtivis celebrare valeant, ſed duas conditiones adjicit. Prima eſt, *dummodo celebrent in Eccleſia Parochiali ob commoditatem populi*, ut nempe populus non privetur commodo audiendi miſſam; altera vero eſt, *dummodo intra hebdomadam tot miſſas pro populo faciant, quot diebus feſtivis pro aliis obtulere*; & hoc, ne idem populus ſibi debitis defraudetur ſacrificiis.

II. Prima nonnullas limitationes patitur, quoties nempe Parochus celebraret in Eccleſia alia, vel oratorio ejuſdem loci, ad quod populus poſſet facile occurrere, aut quando Parochialis Eccleſia miſſis aliis ſufficienter proviſa foret, vel non deſideraretur aliæ Eccleſiæ, in quibus æque commode populus poſſet miſſam audire, niſi fortaſſe diaeris, adhuc ut ſupra teneri Parochum, ut verbo oves ſuas poſſit paſcere, ſed non hujus Decretum meminit, ſed ſolius commodi, eo quod fortaſſe una, vel altera vice prædicationem Parochis liceat omittere, vel magis per alios ſupplere. Secunda vero non habet, unde limitetur, nonnulli tamen dicerent, poſſe in ſequentem hebdomadam præfatas miſſas differri, quatenus intra eamdem aliis Parochi premantur oneribus, vel ex eleemoſyna celebrare debeant, licet conſultius ego fore crederem, ſi quatenus impedimentum præноſcant, eaſdem miſſas anticipent; ſic enim anticipata ſolvunt, quamvis non adeo plurimi faciam modicam dilationem illam, ut abnuam in propoſito caſu attentari poſſe: patens eſt namque Decreti favor ad ſublevandam Parochorum pauperiem, eſto prædictæ miſſæ aliquantulum differri debeant.

III. Hinc facile eſt eruere, haud licitum eſſe Parochis, ex ſe commutare miſſas feſtivas in feriales, cum & pauperes diſpenſatione Epiſcoporum indigeant, qui ſuper pauperiem judicent, & cauſam probent, unde fit, quod Parochorum divites nec ab Epiſcopis diſpenſari valeant. Decretum 12. capitis, dum Canonicum Parochum in miſſa conventuali impeditum, obligat ſupplere per alium miſſas feſtivas pro populo, videtur indicere, quoties Parochus quod eſt impeditus ad celebrandum pro aliis in diebus feſtivis, per alium debeat ſupplere miſſas feſtivas pro populo, quin harum celebrationum differre queat in dies feriales per ſeipſum habendam. Quoniam tamen miſſa feſtiva uberiorem præ feriali non affert fructum, & dilatio v. g. e die dominica in feriam ſecundam vix aliquod detrimentum inferi, quod & cavetur penitus, ſi miſſa in præcedenti anticipetur ſabbato, nos diceremus, quod etſi ſuperius tradita univerſim procedant, & univerſim ſint obſervanda, ſcrupuloſe tamen hac in re non eſt adeo progrediendum, ut ſi vel levis infrequens occurret cauſa, non poſſit Parochus in diebus feſtivis pro aliis celebrare, quin miſſas pro populo per alium teneatur ſupplere, ſed ipſe eaſdem celebrare valeat in ſequenti feria, & multo magis in præcedenti anticipare. Has inter cauſas connumeremus caſum miſſæ habendæ præſente corpore, aut urgentem ob neceſſitatem aliquam, vel occaſione alicujus peculiaris feſtivitatis, in qua ultra celebrationem a populo, vel confraternitate exigitur applicatio miſſæ, vel pro hac conſuetum eſt ſtipendium tribui. In hiſce caſibus, aliiſve ſimilibus populus non cenſetur, nec rationabiliter eſſe poteſt invitus, nec conſuetis eleemoſynis defraudatur Parochus, qui ſi teneretur per alium ſupplere miſſam pro populo, in ruralibus Eccleſiis clero deſtitutis via id præſtare poſſet, & ultra deperditionem conſuetarum eleemoſynarum perſæpe cogeretur ſine miſſa intumulare defunctorum corpora, nec ſatisfacere votis populi.

C A P U T   N O N U M.

De Miſſis privatis Defunctorum.

I. MIſſæ in publicas, & privatas communiter ſecernuntur, & quatenus ea terminis, quibus deſignantur, earumdem diſcrimen petendum foret, facile quiſquis eas putabit publicas, quæ palam, & affluente populo, patentibuſque Eccleſiæ foribus celebrantur, privatas, quæ clam, nullo, vel uno dumtaxat, aut altero præſente, ſeu præcluſis ſacrarum ædium januis. Huic acceptioni eccleſiaſtica obſiſtit conſuetudo, quæ eam *in publicam* miſſam habet, quæ in cantu dicitur, *in privatam*, quæ ſine cantu. Cantum autem illa expoſcit nedum ſacerdotis, ea, quæ ad ipſum pertinent, cantando pronunciantis, ſed etiam chori ſacerdoti reſpondentis, & quæ ad ipſum ſpectant, proſequentis. Miſſæ namque illæ, quas ſacerdos continue, & demiſſa voce abſolvit, cleri vel muſicorum cœtu moteta interim, aliave, quæ ad rem non pertinent, ad arbitrium concinente, cum cantus iſte non peragatur ritu canonico, nonniſi privatæ habentur, tametſi cum concurſu populi, organorum, vel inſtrumentorum muſicorum ſtrepitu, pluribuſque inſervientibus miniſtris celebrentur. Miſſam ipſam Parochialem ſine cantu non aliam eſſe, quam privatam, decernit Gavantus *part. 1. tit. 15. num. 2.*, licet ad eam conveniat populus, & loci clerus, & præ ceteris cum ſolemnitate, & concione habeatur; adeo verum eſt, cantum, qualem deſcripſimus, diſcrimen integrum facere miſſam publicam inter, & privatam.

II. Ipſa vero miſſa publica, aut ſolemnis eſt, aut non ſolemnis, & in eo diſcrimen habent, quod illa ultra cantum ſacros exquirit miniſtros, Diaconum ſcilicet, & Subdiaconum, hæc vero contenta eſt ſolo cantu, unde & *cantata* ad diſtinctionem ſimpliciter dicitur. Miſſæ ſolemnes, & non ſolemnes, ſeu cantatæ jam ſua alibi non caruerunt ponderatione, quare *de Miſſis privatis* conſulto caput inſcripſimus, quod adhuc accipi volumus cum excluſione illarum privatarum, quæ in locum ſolemnium, vel cantatarum in ruralibus ſubſtituuntur Eccleſiis, etiam quippe de illis non ſemel alibi ſermo incidit.

DECRETUM I. CAPITIS, IN ORDINE LIX.

Miſſæ privatæ de Defunctis quocumque die dici poſſunt, præterquam in feſtis duplicibus, & Dominicis diebus, juxta præſcriptum Rubricarum. S. R. C. 15. Febr. *in Faventina*, & 28. Febr. 1660. *in Jaun.*

I. TErminis ipſiſſimis compacta noſcitur Rubrica v. *n.* 2., quare jam legem habes, cui innititur ſanctio. Quocumque itaque die Defunctorum miſſas fieri licet, & ſolum in feſtis duplicibus, & Dominicis diebus manent inhibitæ. Quæ veniant *feſtorum duplicium* nomine in ſequenti Decreto reſervamus dicere, nunc adnotamus tantum, quod *dierum Dominicarum* appellatione minime veniunt dies, in quibus anticipatur officium Dominicæ, quippe nec ſunt reapſe *dies Dominicæ*, nec in eis recurrit lætitia Dominicæ reſurrectionis, ut propterea ab iiſdem abigi debeant luctuoſæ Defunctorum miſſæ. Secus eſt de quibuſcumque aliis diebus feſtivis, quocumque ritu celebrentur, & licet officium ſibi minime vindicent; eorumdem enim lætitiam, ac ſolemnitatem illæ obtenebrant, ac infringunt, quapropter *dierum Dominicarum* nomine dies feſtivi in laudata Rubrica vel venire putandi ſunt, aut ab iiſdem Defunctorum miſſæ indubie cenſeri debent expulſæ per iterata illa Decreta, quæ miſſas ipſas ſolemnes anniverſariorum a diebus feſtivis ſimpliciter & abſolute depellunt. An idem judicium habendum ſit de diebus dumtaxat feſtivis quoad onus audiendi miſſam, quæſtio alia eſt, cui reponimus affirmative; in eiſdem enim adhuc integrum feſtivitatis jus perſtat, ſolumque laxatum eſt, quod laborioſis operibus poteſt eſſe contrarium, in gratiam curarum, quibus detinentur homines, unde ſicuti immotum ſtat onus audiendi miſſam, cur non item eamdem celebrandi, perinde ac ſi ſuper abſtinentiam ab operibus ſervilibus diſpenſatum minime fuiſſet.

DECRETUM II. CAPITIS, IN ORDINE LX.

In diebus, in quibus non poteſt fieri de feſto duplici, prohibentur miſſæ votivæ, & de Requiem. S. R. C. 28. Aug. 1627. *in una Urbis.*

I. RUbrica v. *num.* 2. a miſſis Defunctorum immunia declarat *feſta duplicia*, & horum nomine nedum venire feſta,

Digitized by Google

ſta, ſeu officia, quæ ritu duplici gaudent, ſed etiam dies omnes, in quibus fieri non poteſt de feſto duplici declarat præſens rite Sanctio, & conſonanter quidem ad Gavanti mentem, qui *par.* 1. *tit.* 5. *lit. a.* ex prædicta Rubrica hanc conſequentiam deducit: *Adde conſequenter, & a fortiori neque dici poſſe in iis diebus, in quibus de duplici fieri non poteſt.* Dies hujuſmodi prævalent contra feſta duplicia, quidni itaque, & contra Miſſas Defunctorum, quæ a feſtis duplicibus reſpuuntur? Ratio eadem, quæ ab iiſdem diebus, ne vacent, removet officia duplicia, quomodo abigere potis non erit miſſas de requiem, quæ illorum miſſas ceſſare facerent? Rubrica *de Transl. num.* 1. omne dubium adimit; dum enim feſta, quæ transferri contingit, amandat *ad primam diem feſto duplici, vel ſemiduplici non impeditam*, prædictos dies uti *feſta* recognoſcis, & *duplicia*, vel *ſemiduplicia* juxta privilegii qualitatem, cum ipſi haud apti ſint in ſinu ſuo translata recipere, etſi eorum plerique feriali ritu colantur.

II. Sunt autem dies, in quibus de duplici fieri non poteſt, vigiliæ Nativitatis, & Pentecoſtes, feria IV. cinerum, tota hebdomada major, & dies infra octavas Paſchæ, & Pentecoſtes, quibus adde octavam Epiphaniæ, quæ ſolum feſta primæ claſſis admittit, & quaſcumque alias octavas, vel dies, quæ apud particulares Eccleſias privilegiatæ forent contra occurrentia feſta duplicia, licet dumtaxat minora per annum.

DECRETUM III. CAPITIS, IN ORDINE LXI.

Infra octavam SS. Corporis Chriſti prohibentur miſſæ votivæ quæcumque, vel pro Defunctis. S. R. C. approbante Clem. X. 22. Junii 1670.

I. DIctio *Quæcumque* adeo univerſalis eſt, ut omnia includat, & nihil excludat; an autem modo in tota ſua univerſalitate ſit accipienda, alibi actum eſt, quare nunc contenti ſumus ſtatuere, quod infra octavam Corporis Chriſti ut minimum manent inhibitæ Miſſæ Defunctorum privatæ, quibus utique minus privilegii competit contra Miſſas feſtorum. Octava præfata nec ritu duplici gaudet, nec reſpuit occurrentia duplicia, unde ex iis diebus non eſt, quæ ſecundum laudatam Rubricam reſpuunt Miſſas de requiem; cur autem nihilominus eidem id privilegii factum ſit, ſequens dabit Decretum.

DECRETUM IV. CAPITIS, IN ORDINE LXII.

Ad augendam fidelium venerationem erga auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, ejuſque cultum in toto terrarum orbe promovendum prohibuit celebrari Miſſas votivas, vel pro Defunctis infra octavam Corporis Chriſti. S. R. C. 15. Sept. 1714. annuente Clem. XI. 29. ejuſdem.

I. EN facti privilegii cauſam: *Ad augendum &c.* Pro miſſis Defunctorum etiam ea ratio relevat, quod deperiret alias commemoratio, qua nunquam Rubricæ privari volunt octavam Corporis Chriſti, quodcumque feſtum occurrat; Miſſæ enim Defunctorum haud validæ ſunt ſuſcipere quamlibet commemorationem vivorum. Verum reapſe nec hujuſce privilegii alia profecto eſt cauſa, quam illa, cujus Decretum meminit, nempe incrementum cultus erga auguſtiſſimum Sacramentum, quod eſt potiſſimum ex iis, quibus nos dignavit Dominus.

DECRETUM V. CAPITIS, IN ORDINE LXIII.

Infra octavam Nativitatis Domini prohibentur Miſſæ votivæ, vel pro Defunctis. S. R. C. 25. Sept. 1706., & 14. Sept. 1714. annuente Clem. XI. 29. ejuſdem.

I. COntra Miſſas de requiem minus juris habet octava Nativitatis Domini, quæ etiam ſemiduplicia admittit, habet, tamen & ipſa privilegium indefectibilis ſuæ commemorationis, quam in miſſis Defunctorum deperderet, & ideo contra eaſdem Miſſas privilegiari decuit Divinæ Incarnationis myſterium, & quidem non tantum privatas, ad quas non ſe reſtringit Sanctio, ſed cantatas præter ſolemnem præſente corpore, quæ cum ſpecialis ſit digna notæ, nunquam intelligitur in inhibitionibus comprehenſa, niſi fuerit ſpecialiter expreſſa.

DECRETUM VI. CAPITIS, IN ORDINE LXIV.

In vigilia Epiphaniæ dici non poſſunt Miſſæ privatæ Defunctorum. S. R. C. 27. Apr. 1697. *in Panormitana.*

I. SImul expoſita maneant tria alia conſimilia Decreta, & ſunt 7. 8. 9. capitis, in ordine 65. 66. 67. Horum primum habet: *In vigilia Epiphaniæ non licet celebrare Miſſas privatas de Defunctis* S. R. C. 26. Junii 1708. *in Pariſien.* Secundum: *In vigilia Epiphaniæ Miſſæ votivæ, & Defunctorum celebrari non poſſunt.* S. R. C. 10. Dec. 1718. *in Æſina.* Tertium: *In vigilia Epiphaniæ Domini non poſſunt celebrari Miſſæ privatæ de requiem, & votivæ.* S. R. C. 16. Sep. 1730. *in una Ord. Hieroſol.* Conveniunt Decreta hæc omnia in relegandis a vigiliæ Epiphaniæ miſſis de requiem, ſed cum ejuſdem officium ritum ſemiduplicem non excedat, nec in communiori ſententia gaudeat privilegio depellendi feſta duplicia, facile non eſt adinvenire cauſam conceſſi privilegii, niſi fortaſſe dicas, quod myſterioſa illa ſatis, ob quam præ cæteris hæc vigilia ſemiduplici ritu donata extitit, & ſingulari privilegio ſuam nunquam ſaltem deperdendi commemorationem, licet duplex primæ claſſis occurrat, ubertim cenſeri queat cauſa expulſionis Miſſarum de requiem, in quibus præfata commemoratio deperiret.

II. Hinc ſi quis inferat etiam anniverſariorum Miſſas, aliaſque ſolemnes præter eas præſente corpore excluſas eſſe, non admodum refragabimur; in capite quippe de anniverſariis conſimili ratione uſi ſumus ad rejiciendas eaſdem Miſſas ab octavis Corporis, & Nativitatis Chriſti, nec ſuum fortaſſe ſuffragium denegat Sanctio ſuperius laudata S. R. C. 10. Dec. 1718., quæ ab eadem vigilia Miſſas Defunctorum ſimpliciter excludit, quin ut ceteræ *privatas* addat. Locus autem non eſt idipſum juris faciendi feriis majoribus, qui etſi hæ indefectibilis commemorationis privilegio gaudeant, privilegium hujuſmodi æque cunctis commune eſt, non uni præ aliis proprium, uti evenit in caſu noſtro.

DECRETUM X. CAPITIS, IN ORDINE LXVIII.

Omnibus, & ſingulis Sacerdotibus, tam Sæcularibus, quam Regularibus cujuſvis Ordinis, etiam neceſſario exprimendi, diſtricte præcipitur; ne Miſſas privatas pro Defunctis, ſeu de requiem, in duplicibus nullatenus celebrare audeant, vel præſumant; quod ſi ex Benefactorum præſcripto Miſſæ hujuſmodi celebrandæ incidant in feſtum duplex, tunc minime transferantur in aliam diem non impeditam, ne dilatio animabus ſuffragia expectantibus detrimentum ſit, ſed dicantur de feſto cum applicatione ſacrificii juxta mentem eorumdem Benefactorum; curentque Eccleſiarum Rectores, Sacriſtæ, aliique ad quos ſpectat, ut hujuſmodi Decretum inviolate ſervetur, atque in Sacriſtia affixum retineatur, ubi commode ab omnibus celebrare volentibus conſpici, & legi poſſit; in eos autem, qui contrafacere auſi fuerint, vel præmiſſa adimplere neglexerint, Locorum Ordinarii tam Sæculares, quam Regulares pro modo culpæ animadvertant. S. R. C. approbante Alex. VII. 5. Aug. 1662.

I. GAvantus *part.* 1. *tit.* 5. *lit. a.* duo producit Decreta, 1. Septembris 1607. & 20. Junii 1626. in quibus Miſſæ de requiem ad adimplendas Teſtatorum voluntates tolerari dicuntur in duplici feſto, quod non eſt de præcepto, ob quæ in eamdem ſententiam facile traxit Guyetus *lib.* 4. *cap.* 23. *quæſt.* 26., Lezanam *tom.* 1. *quæſt. regul. cap.* 22. *num.* 28. & Quarti *part.* 1. *tit.* 5. *dub.* 2., qui, ut poſtea ad concordiam revocent inhibitiva Decreta, hæc diſponere faciunt de Miſſis de requiem ad inſtantiam vivorum, facultativa vero de miſſis per Teſtatores indictis, quibus jura omnia ſunt favorabiliora. Qui Gavanti commentariis olim addidit, Decreti, quod exponimus, meminit, & per illud duobus ſuperius recenſitis derogari ſtatuit, & idipſum noviſſime cenſuit Meratus *ibidem num.* 7., licet poſtea non ſibi conſtans, in Decretorum Indice *n.* 7. eadem Decreta inſerat ex Congregationis regeſtis extrata, & de Miſſis cantatis loqui faciat, & exponat, & in ſuo integro robore perſtare ſentiat, qualiter & nos rite alibi facimus. Stant itaque adhuc integra duo præfata Decreta, quin a præſenti ullam derogationem habeant, & non minus certum eſt, quod Miſſæ privatæ de Requiem, etiam a Teſtatoribus indictæ, locum minime reperiunt in feſtis duplicibus, uti præſens mandat Sanctio, cui conformantur uſquemodo expoſitæ.

II. Quod ſi ex Benefactorum præſcripto celebrandæ incidant in feſtum duplex, magis dicendæ decernuntur de feſto cum applicatione ſacrificii, quam ad aliam diem transferendæ, ut celebrentur de Requiem. *Parendum eſt potius*, ſcite ait Azorius par. 1. lib. 10. cap. 35. qu. 5. *Rubricis, & Eccleſiæ præceptionibus, quam teſtatoris verbis, qui mentem ſuam, & voluntatem Eccleſiæ inſtitutioni accommodare debuit, quippe ſi adfuiſſet nunc, hoc proculdubio voluiſſet.* Et præſertim quia in caſu Defunctorum cauſam gerere ſe ſatis Decretum explicat, *ne dilatio animabus ſuffragia expectantibus detrimento ſit;* plus enim dilatio obeſt animabus in igne detentis, quam prodeſſe queant Miſſæ de Requiem ad aliam diem translatæ ratione uberioris fructus, quem orationes propriæ fortaſſe invehunt; quare nec Teſtatores ipſi jure præſumi queunt inviti, nec qui ſic præſtant, juſtitiam violant, aut fidelitatem. Etſi vero Sanctio dumtaxat diſponat pro caſu occurrentium duplicium, ratio, cui innititur, idipſum inpræſtandum evincit diebus omnibus, in quibus Miſſæ de Requiem manet inhibitæ.

III. Limita primo, ſi teſtator in caſu impedimenti ſuper translatione ſe expreſſit; mens enim teſtatoris inſtar legis ſe habet, nec de ea rite aliter præſumi valet, quando diſerte ſe exprimit. Secundo, ſi impeditæ ut ſupra miſſæ anticipentur, tunc quippe ſervatur miſſæ qualitas, & non differtur, ſed acceleratur ſuffragium. Decretum autem afficit Sacerdotes omnes, tam Sæculares, quam Regulares cujuſvis Ordinis, etiam neceſſario exprimendi, quare ruunt, quæ in oppoſitum tradit Diana Coord. *tom.* 4. *tract.* 1. *reſol.* 41. *n.* 2. de Mendicantibus Ordinibus, ac una concidunt privilegia quælibet, licet eorumdem fieri deberet mentio, & de verbo ad verbum. Quod addit Sanctio de affigendo Decreto, & de pœnis in contravenientes infligendis, adeo patenter eſt expreſſum, ut expoſitione non egeat.

AD CAPUT IX.

De Miſſis in aliena Eccleſia.

APPENDIX.

DECRETUM PRIMUM Cap. In Ord. 477.

Cum contingat ſæpius in Eccleſiis Regularium, vel aliis, præſertim in die obitus, ſeu anniverſario Defunctorum, Miſſas celebrare, a confluentibus Sacerdotibus ſupplicatur declarari, an Sacerdotes, qui recitant officium de feſto duplici confluentes ad Eccleſias ſive Regularium, ſive aliorum, ubi dicitur officium de ſemiduplici, poſſint ibi dicere Miſſas privatas Defunctorum. Reſponſum fuit negative. S. R. C. 7. Maii 1746. in *Varſavien.*

SAcerdotes, qui officium recitant admittens Miſſam de Requiem, ſi celebraturi accedant ad Eccleſiam, in qua agitur de officio duplici, aut quocumque alio reſpuente Defunctorum Miſſas, Miſſas privatas Defunctorum facere non poſſe, jam cautum eſt Decretis plurimis, de quibus in tom. 3. cap. 12., & id adhuc perſtat integrum, ſimul cum iis omnibus, quæ hanc ſuper rem in eorumdem expoſitione Decretorum data ſunt, ſalvis dumtaxat, quæ in ſequentis Decreti expoſitione tradetnus. Quoad Defunctorum Miſſas, alia nunc inhibitio fertur, Sacerdotibus nempe illis, qui cum ipſi officium duplex habeant, prohibentur Miſſas Defunctorum facere, etſi celebrent in Eccleſia, cujus officium ſemiduplex eſt, & Defunctorum Miſſas minime reſpuit. Quod autem notatu magis dignum eſt, prohibitio procedit etiam de caſu, in quo mortualis in Eccleſia occurrit ſolemnitas, in die nempe obitus, ſeu anniverſario Defunctorum, licet poſtea quia inhibitio diſerte dumtaxat loquitur *de Miſſis privatis*, haud dubitemus, prædictos Sacerdotes nihilominus poſſe ibi Miſſam ſolemnem, vel cantatam Defunctorum facere.

DECRETUM SECUNDUM Cap. In Ord. 478.

Recitantes officium de Martyre, & Celebrantes in Eccleſiis ubi dicitur de confeſſore, utrum debeant ſe conformare in colore illis Eccleſiis, etiamſi nulla ibi ſit ſolemnitas? Reſponſum fuit affirmative, etiam quoad Miſſam, quæ non poterit celebrari de ſancto Confeſſore, ſi color fuerit rubeus. S. R. C. 7. Maii 1746. *in Varſavien.*

SAcerdotes diebus, quibus officium recitant ſub ritu duplici, celebrantes in alienis Eccleſiis, in quibus feſtum agitur cum ſolemnitate, & concurſu populi, teneri Miſſam dicere conformando ſe ritui, & colori earumdem Eccleſiarum, etiam quoad credo, & orationum numerum, aperta diſpoſitio eſt Decretorum plurium, quæ referimus in laudato capite 12., nec ullam modo offenſionem recipiunt. Diebus vero, quibus feſtum abſque ſolemnitate celebratur, eadem definiunt Decreta, quod prædicti Sacerdotes poſſunt quidem, ſed non tenentur ſe uniformare iiſdem Eccleſiis, niſi in colore, quem ſaltem uniformem aperte exigunt, quoties Eccleſiæ officium duplex eſt, aut Miſſas Defunctorum reſpuit. Ad hæc conſonanter nos quidem laudavimus uniformitatem in Miſſa cum officio Eccleſiæ, ſed libertatem item lecimus ſuper Miſſam ſui officii, & quatenus hoc duplex non ſit (nam ſi duplex fuerit eiſdem obligavimus Sacerdotes ad faciendam Miſſam de ſuo officio) etiam ſuper Miſſas votivas, dummodo fierent ſub colore Eccleſiæ, etſi prædictæ Miſſæ juxta Rubricas alium colorem exigerent. Præſens modo Decretum colorem Eccleſiæ etiam teneri præcipit, & dicerem, quod facultatem ſimiliter Sacerdotibus facit ſuper Miſſam ſui officii, & fortaſſe etiam ſuper votivas, dummodo tales Miſſæ juxta Rubricas eumdem colorem exigant, qui expoſcitur ab officio Eccleſiæ. Quod ſi color, quem poſtulant prædictæ Miſſæ, fuerit diverſus a colore Eccleſiæ, tunc non amplius licitum declarat, eaſdem Miſſas facere ſub colore Eccleſiæ, ſed magis tunc iiſdem Sacerdotibus uniformitatem cum Eccleſia quoad Miſſam præcipit, & rationem addit, quia non poteſt celebrari Miſſa de ſancto Confeſſore, ſi color fuerit rubeus; Rubricæ namque Confeſſorum Miſſas myſticis de cauſis ſub colore albo fieri mandant, ſub rubeo illas Martyrum. Si demas, quæ modo diximus de caſu coloris diſſimilis, integre cuncta perſtant cetera, quæ tradidimus in laudato capite; & quidem etiam de Dominica, incidente infra octavam aliquam, ita ut Sacerdotes, qui officium agunt de Dominica, ſed extra octavam, & celebrant in Eccleſia, in qua officium fit de eadem Dominica, ſed infra octavam, in celebranda Miſſa de Dominica uti poſſint, & debeant colore octavæ, quia Miſſa Dominicæ non privilegiatæ juxta Rubricam non ita exigit colorem viridem, aut album, ut non apta ſit ad ſuſcipiendum etiam colorem octavæ, quando infra hanc celebratur, uti occurrit ratione Eccleſiæ, in qua in caſo miſſa agitur.

CAPUT DECIMUM.

De qualitate Miſſæ Defunctorum.

I. QUatuor Defunctorum miſſæ in Miſſale Romanum reperiuntur invectæ, & omnes triplicis generis partibus conſtant, ſcilicet *officio*, *orationibus*, & *lectionibus*. Ad officium ſpectant, quæ ad chori cantum attinent, Introitus, Graduale Tractus, ſequentia, Offertorium, & Communio. Ad *Orationes* collecta ſecreta, & poſtcommunio. Ad *lectiones* denique Epiſtola Evangelium. His ex partibus omnes quidem conſtant, ſed in officio etiam materialiter conveniunt, non in orationibus, & lectionibus.

II. *Introitus*, utpote juxta antiquum morem e pſalmis minime depromptus, inter eos quos Durandus *lib. 4. cap. 5.* irregulares vocat, eſt adnumerandus; differt autem ab introitu miſſarum de vivis, quod hic abſolvitur unico pſalmi verſiculo, ille duobus, nempe *Te decet*, & *Exaudi orationem*. Durandus *lib. 6. cap. 25.* rationem aſſignat, & myſterium, quia nempe ſecundus verſiculus ſuccedit in locum *Gloria Patri*, qui omittitur, aut quia optamus Defunctis ſtolam binam animæ, & corporis. Puſilla eſt iſta ratio, in miſſis quippe de tempore Paſſionis, etſi taceatur *Gloria Patri*, unus duntaxat dicitur verſus, & miſſa S. Franciſci Xaverii integrum habet pſalmum *Laudate Dominum omnes gentes*, quamvis in ea & locum habeat *Gloria Patri*, & minime precemur prædictam binam ſtolam, unde & myſterium deficit. Arridet nobis magis antiqui moris reliquiam quamdam in hoc agnoſcere; integer enim pſalmus Auguſtino teſte *ſer. 115. de temp.* antiquitus canebatur, propter populi tædium poſtea detruncatus, & ad unicum redactus verſiculum. In miſſa S. Franciſc. ob pſalmi brevitatem præfactus mos integre retineri potuit, non in miſſa Defunctorum, cum pſalmus *Te decet* quatuordecim conſtet verſiculis, quorum tamen duo primi cur contra conſuetum morem adhuc dicantur, in ſimilibus dicemus infra.

III. *Graduale* ex Ruperto *lib. 1. cap. 34.* ſymbolum eſt lamenti, doloris, & laboris, & iden ſicuti hac de cauſa omittitur tempore paſchali, quod eſt exultationis, ita quadrat admodum luctuoſis mortuorum miſſis, quibus propterea non minus appoſitus eſt *Tractus*, qui loco *Alleluja* ſufficitur. Haud enim dolentibus de proximorum tranſitu, & cruciatu animarum inter purgatorii pœnas, decent lætitiæ ſigna, ſed magis gemitus, & ſuſpiria, quæ juxta Auctores omnes ſignificantur per Tractum, ab Eccleſia ipſa uſurpari conſuetum a ſeptuageſima ad Paſcha, quo tempore exilium Adæ e Paradiſo, & Babylonicam commemorat captivitatem, non leve ſymbolum exilii animarum a Paradiſi gaudiis, ac captivitatis, in qua ad tempus Purgatorii pœnæ eaſdem miſerabiliter detinent. Tractus eodem Ruperto interprete magis luctus eſt, quam Graduale, unde ille numquam cum *Alleluja*, ut Graduale, ſed pro *Alleluja* canitur iis diebus, quibus deflemus mortem, quæ ſubintrevit in mundum per invidiam Diaboli. Tam Graduale, quam Tractus cum pari verſiculorum numero & vivorum, & mortuorum Miſſas afficiunt, ſed ubi in vivorum miſſis temporis viciſſitudines ſentiunt, unde paſchali tempore in *Alleluja* commutantur, in iis Defunctorum nullam unquam mutationem ſubeunt; adeo luctuoſa officia ſunt miſſæ de Requiem, quæ nobis objiciunt purgatorii animas a facie Dei projectas, & immaniſſimis tormentorum generibus excruciatas, ut aptæ haud ſint ſuſcipere, vel intermiſta admittere lætitiæ ſigna, unde & reſpuunt vocem *Alleluja*, quæ paſchali tempore in vivorum miſſis addi ſolet introitui, offertorio, & communioni.

IV. *Sequentia* noſtram expectat conſiderationem, quam, quia eſt lætitiæ canticum, in miſſis defunctorum incongrue dici autumat Petrus Cirvelus in expoſitione Miſſalis *lib. 2. cap. 115.* Sequentiæ aliæ & ſortitæ ſunt nomina, nempe Jubilationes, Proſæ, & Rhytmi. *Proſæ*, quia lege metri carent, *Rhytmi*, quia conſtant verſibus, ſimiliter deſinentibus, *ſequentiæ* vero, & *Jubilationes*, quia ſufficiuntur neumati, quod ſequitur poſt *Alleluja*. Neumata ſunt notæ illæ, quæ in fine vocis *Alleluja* prolixe decantantur, & ab antiquis etiam dictæ inveniuntur *ſequentiæ*, quod ad *Alleluja* ſequerentur, & *Jubilationes*, quod per eas dictæ vocis jubilum protraheretur, unde Rupertus lib. 1. cap. 35. *Jubilamus magis, quam canimus, unamque brevem digni ſermonis ſyllabam in plures neumas, vel neumatum diſtinctiones protrahimus, ut jucunda auditu mens attonita repleatur, & rapiatur in gloria.* Quæ neumata omitti cœpere, quando, & quoties præfactæ modulationes fuerunt invectæ, & decantatæ, *Jubili, ſeu neumata*, ait Radulphus prop. 20., *de Alleluja reſecandi non ſunt, niſi cum illorum loco ſequentiæ decantantur*; & idipſum edocet Hugo Victorinus *de myſt. Eccl. cap. 7.*

V. Hæc indubie ſequentias removent a quibuſcumque, etiam vivorum, miſſis privatis, a quibus reapſe per antiquum quoddam ordinarium ſubmotas extitiſſe ſcribit Marcellus Cavalieri *in ſtatera Sacra tit. 2. num. 188.* Cum enim Miſſæ privatæ ſine cantu celebrentur, etſi in iiſdem dicatur *Alleluja*, neumata carent, in cujus locum ſequentiæ ſubrogentur. Miſſæ vero defunctorum carent inſuper & ipſo *Alleluja*, unde nec in earumdem ſolemnibus illæ locum habere queunt, quando etiam in hujuſmodi Miſſis omnibus proſcripta non forent omnia lætitiæ ſigna, ad quæ utique ſpectat, etiam mortuorum ſequentia, ſi non ex parte verborum, quæ magis mœroris ſunt argumentum, ex parte reciprocæ ſyllabarum deſinentiæ, & cantus amœnitatis, quæ hilaritatem quamdam denotant, & jubilationem.

VI. Verum etſi privatæ vivorum miſſæ neumate careant, Eccleſiaſtica conſuetudo ea eo ſolum titulo rite eaſdem ſequentiis honorat, quod miſſæ ſolemni decet eſſe conformes. Defunctorum vero miſſæ & neumate, & ipſo *Alleluja* carent, & nihilominus ſequentia quadam, quæ ſimul mœroris, & aliqualis gaudii argumentum eſt, eaſdem condecorat Eccleſia in ſymbolum conſolationis, quam Defunctorum animæ inter purgatorii

gemi-

gemitus habent ſuper ſecuritate de ſua æterna beatitudine, praxis inſtar quam ſervat Eccleſia in ſabbato Sancto, in quo tractum unit cum *Alleluja*, ut ſemiplenam lætitiam oſtendat, ac paſchale gaudium in ſpe proxima, ut bene innuit Hugo Victorinus *lib.* 3. *cap.* 29. Quæ ſequentia etiam alia habent commoda, major ſcilicet Defunctorum ſuffragium, & commiſerationem, ac noſtram admonitionem ſuper noviſſimis.

VII. Quibus in miſſis præfata ſequentia locum habeat, ſatis oſtendit Rubrica V. *nu.* 4. quæ eamdem demandat *in commemoratione omnium Fidelium Defunctorum, & in die depoſitionis Defuncti, & quandocumque in Miſſa dicitur una tantum oratio*, ac conſequenter in diebus 3. 7. 30., anniverſario, & in miſſis quibuſlibet, quæ pro defunctis ſolemniter celebrantur; bis enim in caſibus omnibus juxta præſcriptum ejuſdem Rubricæ *nu.* 3. una tantum dicitur oratio. *In aliis autem miſſis*, proſequitur Rubrica num. 4. *pro Defunctis dicitur ad arbitrium ſacerdotis*. Hujuſmodi miſſæ alteræ ſunt miſſæ quotidianæ, in quibus regulariter plures dicantur orationes, unde ubi in aliis miſſis particularis Rubrica ſequentiam ſimpliciter notat, in quotidianis nonniſi ſub hac conditione *ad arbitrium ſacerdotis*; in his tamen adhuc in arbitrio non erit, ſi ſub una collecta dicantur, habet namque hoc ipſo locum Rubricæ generalis, cui non contrahit Rubrica particularis, quæ procedit ſuppoſita pluralitate orationum, ſub quibus Miſſa quotidiana regulariter dicitur.

VIII. Cui auctori prædicta ſequentia ſit adjudicanda, difficilius eſt ſtabilire, diſcimus quippe ex Bona *rer. liturg. lib.* 2. *cap.* 6. *n.* 6. Macro *verb. Proſa*, atque Gavanto *par.* 4. *tit.* 8. *nu.* 5. diverſis a diverſis adſcribi, nempe D. Gregorio, D. Bernardo, D. Bonaventuræ, Matthæo Aquaſprato, Thomæ de Cælano, Humberto Dominicanor. Generali, Auguſtino Bugellenſi meæ Congregationis Alumno, & Latino Cardinali Urſino, Frangipanio etiam dicto, cui cum præ ceteris tribuendam eſſe probet Marcellus Cavalieri *nu.* 192. in re adeo dubia, ægre ne ferat Lector, ſi nos abſque ulteriori examine eidem credere volumus, cui ſumus ex fratre nepotes.

IX. De *Offertorio* ſuccedit dicere, & conſiſtit in quadam antiphona, quæ tempore oblationis, quæ fiebat a populo canebatur ad imitandum Iſraeliticum populum, de quo 2. *Paralip.* 9. dicitur; *& juſſit Ezechias, ut offerrent holocauſta ſuper altare, cumque offerrentur holocauſta, cœperunt laudes canere Deo*. Hinc Ordo Romanus II. *Tranſit deinde ſacerdos ad ſuſcipiendas oblationes. Interim cantores cantant offertorium cum verſibus, & populus dat oblationes ſuas, ideſt panem, & vinum, & offerunt cum fanonibus candidis, primo maſculi, deinde feminæ*. Dum itaque oblationes fiebant, cantabatur *offertorium cum verſibus*, quinimmo juxta antiphonarium S. Gregorii quandoque pſalmus integer, repetito poſt quemlibet verſum offertorio, ut toti tempori, quo populus offerebat, pſallendum voces applauderent. Ubi deſierunt oblationes, offertoria abbreviata fuere, & redacta ad ſimplicem antiphonam, excepto dumtaxat offertorio miſſæ Defunctorum, quod cum ſuo verſu ad nos uſque pertranſiit.

X. Offertorium nonnullis conſtat verbis, ut *ne abſorbeat eas tartarus, ne cadant in obſcurum* &c. quæ haud quadrare videntur animabus purgatorii, quæ cum in tuto ſtatu ſalutis ſint, infernus eas abſorbere non poteſt, neque in obſcurum infra purgatorium cadere periclitantur. Verum ſcite nos edocent Grancolas *in antiquo ſacrum. part.* 1. *de miſſis mortuor.* Macrus *verb. Offertorium*, aliique plures, & deducitur ex iis ejuſdem offertorii verbis, *Fac eas de morte tranſire ad vitam*, quod hujuſmodi antiphona recitabatur olim in miſſa, quæ in actu agoniæ dici conſueverat; ut autem deſiit mos ſacrificandi in actu agoniæ, illa traducta fuit in miſſam mortuorum, & per eam retrotrahens Eccleſia preces ad momentum tranſitus, animaſque conſiderans in agoniæ tempore, ac ſi ante tribunal judicis adhuc eſſent conſtituendæ, nihil aliud intendit, niſi impetrare ſolatium aliquod pro animabus illis, quæ e corpore jam migrarunt, & in purgatorii carcere detinentur. Conſimiles ſunt preces illæ *Rorate cæli deſuper &c.*, *O Adonai veni ad redimendum nos &c.*, & quæ ab Eccleſia in Adventu uſurpantur; ſic enim orando Eccleſia tales retrotrahit preces ad tempus Prophetarum, & per eas non intendit, niſi ſibi applicari fructum myſterii olim facti. Propemodum infinitæ ſunt preces conſimiles aliæ, quæ in uſum ſunt apud Eccleſiam, ſed ne ad extranea divagemur, præſto nobis ſit oratio *Non intres in judicium*, qua Eccleſia in exequiis ſuper cadaver utitur; tum enim ejuſdem orationis verba aperte ferant, animarum judicium nondum eſſe peractum, quid unquam per eaſdem preces intendit Eccleſia, niſi eas retrotrahere ad agoniæ tempus, & ut ſupra orare?

XI. Regius vates reſponſionem aliam nobis ſuppeditat, ita ut to *abſorbeat*, & *cadant* accipienda ſint de diuturniore abſorbitione, & manſione in *tartaro*, & *obſcuro*, quorum nomine non incongrue purgatorium venit. Dum enim *pſal.* 68. idem Propheta, qui ſe in limo infixum fuiſſe fatetur, *Infixus ſum in limo profundi*, rogabat *Eripe me de luto, ut non infigar*, quid unquam, quæſo, precabitur, niſi ne diutius infixus remaneret in luto miſeriæ? Non deeſt denique elegans reſponſio altera, quæ patronum habet Hieronymum in iis verbis, quæ in fine miſſalis defunctorum exarata reperiuntur: *Animæ, quæ in purgatorio torquentur, pro quibus ſolet Sacerdos in miſſa orare, interim nullum tormentum ſuſtinent, dum miſſa celebratur*. Haud refragamur, quod ſuper hujuſmodi opinione diſquiſitio maxima poſſet inſtitui, ſed nos, qui tanto Eccleſiæ Doctori credere maluimus, quam rem curioſius perſcrutari, hanc contenti ſumus inferre, quod prædicta offertorii oratio ad precandum dirigitur, ne iterum cadant in tormenta poſt miſſam, a quibus pro illo interim ſublevatæ ſunt animæ, pro quibus rogatur.

XII. Hinc habes, unde facile vindices ſimiles alias preces, cujuſmodi ſunt *Non pœnas inferni ſuſtineat &c.*, *Libera me, Domine, de morte æterna*, *Libera animas de pœnis inferni* &c. Eccleſia enim in hujuſmodi precibus, vel inſpicit animas in momento agoniæ, & nonniſi ut ſupra intendit orare. Vel inferni nomine purgatorium intelligit, & reſpective precatur de liberatione animarum, vel de non ulteriori ſufferentia, aut poſt miſſam caſu in ejuſdem purgatorii pœnas, quæ propter ſuam atrocitatem, & cum infernalibus ſimilitudinem etiam pœnæ *inferni* in communiori ſenſu accepti, & *mors* dici queunt; *æterna* autem propter diuturnam earumdem duritiem, uſque nempe ad diem extremum judicii, cum juxta ſcripturæ phraſim, res plurimæ dicantur æternæ, quæ nec tanto tempore durant.

XIII. Micrologus teſte *cap.* 18. communicante populo cantabatur olim quædam antiphona, propterea *Communio* dicta, cum additione verſus *Gloria Patri*. Hæc antiphona nec in Defunctorum deſideratur miſſis, ſed cum hæc ſigna lætitiæ quælibet refugiant, loco *Gloria Patri* ſubrogatus extitit ad rem appoſitus verſus quidam, cum quo ad nos uſque devenit, etſi vivorum miſſæ deſinente ritu communionis populi in verſu *Gloria Patri* obtruncatæ fuerint. Si quæras, cur Defunctorum miſſa in hoc, aliiſque ſuperius recenſitis diſciplinæ viciſſitudines paſſæ non fuerint, obvia eſt reſponſio; mortuorum enim miſeriis commiſereſcens Eccleſia, id ſuffragii demere non exiſtimavit.

XIV. Orationes, quæ ſunt membrum aliud integrans, in ſequenti capite noſtram conſiderationem expectent, quare de *lectionibus* ſcilicet Epiſtolis, & Evangeliis, ſuccedit dicere, & ſicuti quatuor miſſæ in miſſale invectæ ſunt, ita cuique aſſignata eſt propria Epiſtola, & proprium Evangelium. Quamlibet ex his miſſis cum reſpectiva epiſtola, & Evangelio in aſſignatis quatuor diebus dicendam eſſe, titulus ipſe ubertim evincit, nempe primam in Commemoratione omnium fidelium Defunctorum, ſecundam in die obitus, ſeu depoſitionis, & in diebus 3. 7. & 30., tertiam in anniverſario, & quartam in miſſis quotidianis, ſeu in miſſis omnibus aliis, quæ dicuntur extra præfatos dies, & circumſtantias. Limita pro die depoſitionis, & anniverſarii Summi Pontificis, & Epiſcopi, in quo Rubrica orationibus præfixa, diſerte mandat primam miſſam, quæ conſequenter dicenda etiam erit in eorumdem diebus 3. 7., & 30., pro quibus ſupplet Rubrica alia in ſecunda miſſa inſerta, quæ in præfatis diebus expreſſe præſcribit *miſſam ut ſupra*, ſcilicet ut in die obitus, unde pro quibus in die obitus dicitur prima miſſa, hæc etiam dicenda erit in diebus 3. 7., & 30. At qualis adhibenda erit infra annum in circumſtantiis aliis? *Ut in quotidianis*; ſic enim indiſcriminatim indicitur, nec Rubrica ulla vel indirecte ſummis Pontificibus aut Epiſcopis aliquem favorem facit.

XV. Eamdem primam miſſam Cardinali defuncto ut ſupra attribuunt Gavantus *par.* 4. *tit.* 18. *num.* 6., Meratus *ibid. n num.* 2., Tonellus *tit.* 13. *num.* 5., Quarti *par.* 1. *tit.* 6. *dub.* 1. *num.* 12., Guyetus *loc. cit. quæſt.* 27. *&* 29., aliique plures, quorum nonnulli eamdem extendunt etiam ad Prælatos Regulares, Reges, Principes, & magnates. Verum Auctores hos omnes diſerte carpit Rubrica quædam in Miſſale Defunctorum Romæ anno 1725. typis vaticanæ typographiæ in tertiam miſſam ſub his verbis invecta: *In anniverſario S. R. E. Cardinalium: Oremus, Deus indulgentiarum &c.* hæc enim Rubrica miſſam anniverſarii, ſub qua eſt poſita, in anniverſario Cardinalium uſurpandam eſſe indicat, & conſequenter etiam in die depoſitionis, aliiſque Miſſas illas, quæ in talibus diebus, & circumſtantiis communiter præſcribuntur. Idem eſto judicium de Regibus, Magnatibus, Sacerdotibus, atque Prælatis, hi quippe, etſi ordinariam, & quaſi Epiſcopalem juriſdictionem habeant, carent adhuc Epiſcopali dignitate, in cujus gratiam favor ille latus fuit. Suffragatur admodum Eccleſiæ praxis, quæ diſtincto communi in divinis officiis Pontifices quidem honorat, ceteros vero, licet Cardinales, Reges &c. communi confeſſorum non Pontificum indiſcriminatim aggregat.

XVI. Qui tamen ſecus faciunt, contra Rubricas non omnino peccant; poſt quartam enim miſſam hæc particularis Rubrica habentur: *Epiſtolæ, & Evangelia ſuperius poſita in una Miſſa pro Defunctis, dici poſſunt etiam in alia ſimiliter pro Defunctis*. Una miſſa ab alia non differt, niſi in orationibus, epiſtola, & Evangelio, ergo demptis orationibus, de quibus ſuo loco, liberum eſt quamcumque miſſam pro quocumque, & in qualibet circumſtantia dicere, ſi epiſtolæ, & evangelia unius miſſæ in alia dici poſſunt. Quid unquam, niſi idipſum, prætendunt miſſalia antiqua, dum quatuor epiſtolas, & evangelia prædicta continenti ſerie ſub una, eademque Miſſa referunt? Pro eadem libertate pronunciat itidem citati Quarti, Tonellus, & Gavantus *n.* 4. & cum indubie eamdem faciant Rubricæ verba in ſuo veriori ſenſu, nos diſſentiri non poſſumus, quidquid ſcribat Guyetus, qui *quæſt.* 27. dictam Rubricam nimis violenter explicat, dum eamdem reſtringit ad id, quod in *ſequentibus Miſſale declarat, aut alias ex pari ratione opportunum judicabitur*. Et quidem Miſſale infra ſolum diſponit *pro die obitus, & anniverſario ſummi Pontificis, & Epiſcopi*, & adhuc determinate aſſignat *primam miſſam*, & conſequenter etiam determinate epiſtolam, & evangelium ejuſdem miſſæ, unde numquam integrum foret epiſtolam, & evangelium unius miſſæ in alia uſurpare contra expreſſam Rubricæ indulgentiam.

XVIII.

XVII. Captum ſit itaque, quod quidem decet Epiſtolas, & Evangelia dici in diebus & circumſtantiis, prout in Miſſali ſunt diſtributa, non dempta tamen celebranti libertate aſſumendi, utram Epiſtolam, & utrum velit Evangelium. Et quidem etiam in die depoſitionis, & anniverſario Summi Pontificis, aut Epiſcopi: dum enim in caſu hujuſmodi per particularem Rubricam determinate aſſignatur prima miſſa, id accipiendum eſt cum ſubordinatione ad Rubricam alteram, quæ ut ſupra libertatem facit. Qua libertate bene uſum iri credimus, ſeu magis fieri, quod magis decet, ſi in die commemorationis omnium Defunctorum alicujus Religionis, quæ ſe habet inſtar commemorationis omnium Fidelium Defunctorum univerſalis Eccleſiæ, prima miſſa cum ſua Epiſtola, & Evangelio aſſumatur, & ſecunda in die quaſi obitus, quando ſcilicet primum habetur notitia obitus alicujus in loco diſſito, licet in priori caſu communior praxis uſurpet anniverſarii miſſam. Id enim profecto evincit paritas pro utroque caſu, & pro ſecundo diſerte favet Decretum *6. cap.* 3., concordantque Gavantus *num.* 15., & Guyetus *quæſt.* 28.

XVIII. Etſi vero in die commemorationis omnium Fidelium Defunctorum prima ut ſupra miſſa dicenda ſit, ſecus tamen prima die menſis, aut feriis ſecundis anni, in quibus de Rubricarum mandato miſſa Conventualis pro Defunctis generaliter dici debet, aut poteſt; tunc enim miſſa quotidiana ritu ſimplici peragenda eſt cum tribus orationibus in eadem miſſa inſertis, quæ cum ſint de Defunctis Sacerdotibus, Benefactoribus, & aliis, quadrant admodum Rubricæ, quæ eamdem miſſam demandant *pro defunctis Sacerdotibus, Benefactoribus, & aliis.* Facile hinc eſt eruere, quod dempta ſuperiori libertate, in triduis, aliiſque officiis, quæ pro Defunctis generaliter, aut quibuſcumque particularibus, licet Epiſcopis, inſtituuntur extra ſuperius laudatas circumſtantias, adhibenda non eſt miſſa, quæ in die commemorationis omnium Defunctorum reſpectiva, aut in die depoſitionis, vel anniverſario Epiſcopi diceretur, ſed quarta miſſa; an autem cum unica, vel tribus orationibus, in ſequenti capite reſervamus dicere.

XIX. Miſſas de Requiem nonnulli celebrant, etſi pro infirmis, aut quacumque alia vivorum neceſſitate ſacrificare teneantur, quæritur, an rite? Certum eſt, quod hujuſmodi ſacrificantes, dummodo Miſſam applicent ad finem præſcriptum, ad reſtitutionem minime tenentur, quia fructus principalis, & ſatisfactorius, cui reſpondet ſtipendium, æqualis eſt in Miſſis omnibus. Certum eſt itidem, quod ſi ſtipem erogans, Miſſæ qualitatem præſcripſit, hanc ſervare tenetur ſacerdos, ne fidelitatem violet. Quod ſi miſſæ qualitas minime ſit demandata, ſed ſacerdos probe noverit finem, ad quem miſſa dirigitur, nemo inficias ire valet, quin dicenda ſit miſſa, quæ neceſſitati congruit, dummodo occurrat officium talem Miſſam admittens; non enim alia de cauſa Miſſæ hujuſmodi ab Eccleſia fuerunt inſtitutæ, niſi ut in ſuis circumſtantiis dicantur, & talis etiam jure præſumitur mens erogantis ſtipem, ut in ſimilibus infra dicetur magis. Reſtringitur igitur quæſtio, num quando non occurrit officium Miſſas Defunctorum reſpuens, nec præſcripta eſt Miſſæ qualitas, aut in Miſſali non adeſt particularis, quæ neceſſitati congruat, uti dici poteſt de die cum applicatione ſacrificii, ita dici valeat de Requiem, ſi pro vivis ſit applicanda.

XX. Quærunt Theologi, num Purgatorii animæ pro viventibus orare queant, & aliquid iiſdem impetrare? Antiquiores abſolute denegant, quod ſint excluſæ ab aula Dei, in ſtatu pœnarum, & carceris, & experiantur Deum iratum ob præteritas earumdem culpas, unde D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 83. *art. 9. ad 3.* ait, quod non ſunt in ſtatu orandi pro aliis, ſed magis, ut oretur pro eis. Recentiores communiter affirmant, & horum opinio probabilis admodum redditur a miraculis, quæ in favorem viventium, qui iiſdem animabus ſe commendaverunt, a Deo patrata circumferuntur. Ajunt autem, quod quidem Purgatorii animæ ſunt in carcerem detruſæ, ſed tamquam amicæ, & filiæ, non ut inimicæ, & ſervæ, & ſi puniuntur, non puniuntur in malum, ſed in bonum, & in ſalutem, ideſt ut purgatæ beatitudinem conſequantur, quare earumdem ſtatui non repugnat munus orandi, & intercedendi pro vivis; quod munus reapſa iiſdem nec contenditur a D. Thoma, qui non docet abſolute, & ſimpliciter Purgatorii animas non eſſe in ſtatu orandi, ſed comparative ſolum, ideſt magis eſſe in ſtatu, ut pro eis oretur.

XXI. Hæc quidem valde probabilem purgantium animarum interceſſionem reddunt, ſed obſtat maxime doctrina Auguſtini *lib. de cura pro mort. cap.* 13., ubi invicte probat, quod adeo Patres noſtri dereliquerunt nos, ut noſtris rebus, curiſque non interſint, & cum beati non ſint, in Deo non vident, nec extra Deum habent medium, in quo videant orationes noſtras, niſi extraordinaria Deo revelante cognoſcant aliquas, aut ab Angelis admoneantur, prout Deus permiſerit. Verum hæc doctrina haud potis eſt earumdem animarum interceſſionem omniſim evertere; cum enim ſciant nos in pluribus periculis conſtitutos, multoſque ſibimetipſis benefacere, earumdemque interceſſionibus ſe commendare, nil vetat pro nobis omnibus in genere eaſdem Deum exorare poſſe, & ab hoc exaudiri, quinimmo & in particulari earumdem illas, quæ extraordinaria ut ſupra admonentur. Orationibus hujuſmodi rite attribui valent memorata miracula, quæ ceteroquin, iiſdem etiam minime deprecantibus, a Deo immediate patrari queunt propter præterita earumdem animarum merita. Cum itaque purgantium animarum interceſſio ex dictis vel nulla appareat, aut dubia, incerta, generalis, ſeu extraordinaria, miſſæ de Requiem pro adhuc vivis dici nequeunt, qui dum ſtipem erogant, nedum intendunt fructum ſatisfactionis, ſed etiam impetrationis indubium, & particularem ſibique conſulere omni meliori modo, quapropter ſi non ſuppetat miſſa votiva congruens, dicenda erit de Sancto, huic vivorum cauſam enixe commendando.

DECRETUM I. CAPITIS, IN ORDINE LXIX.

Miſſa pro morte inimicorum tamquam ſuperſtitioſa, & vindicativa ſub pœna privationis communionis proſcripta, & prohibita fuit a Concilio Toletano XVII. cap. 5. anno 694.

I. ANtiquitus in Hiſpania iniquus ſerpebat uſus; quando enim quis vexabatur ſpiritu vindictæ, Miſſam Defunctorum vel ipſe (ſi ſacerdos erat) pro inimico faciebat, aut per alios (ſi ſæcularis) fieri curabat, impiam ſpem gerens, quod anticipatis officiis, quæ pro Defunctis ab Eccleſia fiunt poſt vitam, hæc brevis fieret, & inimicus mortem incurreret. Execrabile hoc odium, & enormius ſacrilegium, quiſquis jam perſpicit, quam merito tamquam vindicativum fuerit proſcriptum, & ſub pœna privationis communionis tamquam ſuperſtitioſum inhibitum. Canon *Quicumque ſacerdotum* diſt. 26. quæſt. 5. morem hunc quoque recenſet, & prohibet, ita ut ſacerdos, qui talem Miſſam dixerit, deponatur, & tam ipſe ſacerdos, quam ille, qui ſacerdotem ad talia incitaverit, perpetuo exilio plectatur.

II. Opportune ſe offert nobis uſus alter, eorum nempe, qui quaſi mortui forent, Miſſam, & officium Defunctorum, ac exequiales preces ſibi celebrari, & applicari faciunt. Uſum hujuſmodi laudant Doctores plurimi; & primo ne forte poſtea hæredes, ut ſæpe fit, negligentes ſint in hiſce ſuffragiis faciendis. 2. quia ita geſſerunt inſignes doctrina, & pietate viri, quos inter recenſetur Albertus Magnus. 3. Quod id foveat pietatem, devotionem, humilitatem, & memoriam mortis, quæ tam utiles ſunt hominibus. 4. Quia tutior eſt via, ut bonum, quod quiſque poſt mortem ſuam ſperat agi per alios, per ſe ipſe agat, dum vivit; beatius eſt quippe liberum exire, quam poſt vincula libertatem quærere. Sunt tamen ex Auctoribus, qui id limitant ad officium, & miſſam, & dummodo non dicantur orationes, quæ ſupponunt aliquem jam exceſſiſſe a vita, cujuſmodi v. g. eſt *Inclina*, in qua habetur *Quam de hoc ſæculo migrare juſſiſti*, & ejuſdem rationis cenſentur etiam exequiales preces, quæ non minus ab iiſdem putantur inhibitæ, quia hoc ipſo diceretur mendacium, a quo tamen adhuc eaſdem excuſant alii, ſi ſacerdos ſic orans pro vivo, repræſentet eum Domino, ac ſi mortuus foret, ſicut ſine abſurditate ulla pro iis, qui jam ſunt in purgatorio, dicebamus haberi preces illas *Ne cadant in obſcurum &c.*, quia Eccleſia Deo repræſentat animas illas, ac ſi tunc e vita diſceſſuræ forent, eaſque quaſi inſpicit in actu agoniæ.

III. Cum Layman *lib. 5. tract. 5. cap. 2. num.* 15. in oppoſitum ſtat ſententia communis, & longe probabilior; mos enim prædictus ex eo ſolum titulo reprehenſibilis ubertim apparet, quod Eccleſiæ ritibus conformis non eſt, nec utilitatem ullam afferre valdus. Ex ſacrificio duplex potiſſimum fructus derivat, unus ex opere operato, & hic ſtatim ei provenit, pro quo offertur, ſi capax eſt, nec poteſt in futurum ſuſpendi, & conſequenter ſacrificia hujuſmodi non liberabunt hominem a purgatorio, ſi contingat poſt mortem eum reum eſſe, ſed ſolum conferent ad remiſſionem pœnæ temporalis conſequendam, dum vivus eſt, quem ad effectum non minus utilia ſunt ſacrificia vivorum alia quælibet. Alter eſt fructus impetrationis, quatenus cum ſacrificio juncta ſunt Eccleſiæ ſuffragia, ſeu preces, & hæ quidem ſecundum propriam tum inſtitutionem, tum ſignificationem referuntur ad ſolos mortuos, ut nonniſi improprie, & imperite, ne dicam, ſuperſtitioſe vivis applicari queant. Sacerdos enim in his ſuffragiis propria ſua intentione non poteſt mutare intentionem Eccleſiæ, quæ præfatas preces Defunctis deſtinavit, & pro vivis alias inſtituit.

IV. Hinc facilis habetur occurſus ad argumenta oppoſita. Ad primum dicimus, quod non minus, & undique congruentius cavetur hæredum negligentia per anticipatas miſſas de die, aut pro remiſſione peccatorum, aliaſque ſimiles. Ad 2. nos non morari nonnullorum exempla, cum aliorum numeroſiora ſuppetant, qui talem uſum damnant. Ad 3. non deeſſe media alia, & plurima, quibus virtutes illæ foveantur, quin habeatur recurſus ad ea, quæ ab Eccleſia ad alium finem ſunt ordinata. Quod ſi quis miſſarum admodum ſit avidus, appoſita valde erit Miſſa ad poſtulandam gratiam bene moriendi. Ad 4. id æque conſequi poſſe per ſacrificia vivorum. Sacerdos autem in productis offertorii verbis mendacium nullum profert, quia in illis ſe accommodat ſenſui & intentioni Eccleſiæ, in caſu autem non excuſaretur, quia ageret contra inſtitutionem, & intentionem Eccleſiæ, quam ipſe intentione ſua minime mutare valet.

DE-

DECRETUM II. CAPITIS, IN ORDINE LXX.

Miſſæ pro Defunctis, ſive de Requiem in feſtis duplicibus contra præſcriptum Rubricarum Miſſalis Romani nullatenus celebrari debent. Quod ſi ex Benefactorum inſtitutione miſſæ hujuſmodi celebrandæ incidunt in feſtum duplex, tunc ne dilatio animabus ſuffragia expectantibus detrimento ſit, in aliam diem non impeditam minime transferantur, ſed dicantur de feſto currenti cum applicatione ſacrificii juxta mentem eorumdem Benefactorum. S. R. C. 15. Septembris 1714. annuente Clem. XI. 29. ejuſdem.

I. SAnctio ultima præcedentis capitis, cujus præſens eſt innovatio, & confirmatio, ab ulteriori expoſitione nos eximit, quare illico gradimur ad inquirendum, num miſſæ de die, quæ in caſu impedimenti ſubrogantur, Defunctis ſint æque, vel minus utiles? De fructu ſatisfactionis, qui æqualis eſt in miſſis omnibus, quæſtio non eſt, ſed de fructu impetrationis, quem uberiorem in miſſis de requiem agnoſcit ſententia fere communis, cui multum ponderis accreſcit D. Thomas, qui *in 4. diſt. 45. quæſt.* 1. *art.* 3. *quæſtiun.* 1. *ad* 1. ad rem ſcite habet: *Ex parte ſacrificii miſſa æqualiter prodeſt Defuncto, die quocumque dicatur; ex parte tamen orationum magis prodeſt illa, in qua ſunt orationes ad hoc determinatæ.* Hujuſmodi ſunt utique collectæ miſſarum de Requiem, in quibus nomine Eccleſiæ expreſſe, & directe petitur liberatio animarum, pro quibus ſacrificatur, quinimmo miſſa ipſa tota eſt in poſtulanda ereptione earumdem, ubi nihil hujuſmodi habetur in miſſis vivorum, in quibus totum aliud petitur, nec minimum verbum fit ſuper liberationem prædictam; ex conſenſu autem Auctorum omnium orationes eo magis ſunt efficaces, & facilius impetrant, quo magis ſunt expreſſæ, & propriæ. Hæc utique jure creditur cauſa, ob quam Petro Damiani teſte *opuſc.* 34. *cap.* 5. non defuere magnæ pietatis viri, qui quotidie de Requiem celebrare volebant. Quorum exemplum, ut rite advertit Benedictus XIV. *lib.* 2. *notif.* 14., etſi excuſari fortaſſe poſſit, quatenus id egerint ex ſpeciali inſtinctu Spiritus Sancti, a nobis tamen imitari nec poteſt, nec debet, cum adſint dies plurimi, a quibus Rubricæ, & Romana Decreta miſſas Defunctorum diſtricte removent, quantumvis haud refragemur, quod apte deſerviat ad inducendum uſum miſſarum de Requiem diebus omnibus permiſſis, atque ad talem uſum judicandum laudabilem, & magis Defunctis proficuum, quando miſſa pro mortuis eſt applicanda.

II. Uberiorem fructum, quem miſſæ de Requiem Defunctis ingerunt, facile compenſari poſſe, immo fortaſſe etiam exuperari ſentiunt nonnulli, & ſequentibus præſertim ducuntur momentis. 1. Ex majori Sacerdotis devotione, attentione, & fervore, quibus ſacerdos miſſam diei celebrat. 2. Quia memoria ipſa Sancti, ejuſque virtutum, & meritorum conſideratio eamdem Sacerdotis devotionem in miſſa excitat, & adauget, uti & novitas officii in miſſa de Sancto, aut de feria promovet attentionem, ubi miſſa de Requiem cum dicatur frequentius, majori celeritate, ac minori attentione, & devotione celebratur. 3. Miſſa de Requiem brevior eſt, & ideo & fructus minoris. Cujus brevitate allecti, ut plurimum eamdem celebrant minori pietate, & zelo præditi, qui cupiunt citius expediri. 4. Interceſſio Sancti, de quo miſſa dicitur, admodum juvat Defunctorum animas, pro quibus applicatur. 5. Nam alias præſens Sanctio miſſas de requiem impeditas, male commutaret in miſſas de die, & Rubricæ magis laudarent perperam miſſas officio conformes, quam alias extraneas, præſertim Defunctorum, ſi hæ utiliores forent.

3. Verum hæc via lædunt uberiorem fructum, quem ſuperius dicta per ſe faciunt miſſis de requiem, quibus nec in accidentali utilitate comparari poſſe credimus miſſas de die. Nos non videmus, cur majori ſacerdotis devotione, attentione, fervore ac pauſatione conſociari debeat miſſa de die, cum ad hæc omnia inſpiranda aptior indubie ſit miſſa de requiem, in qua ſunt omnia lugubria, & tacentur quæcumque lætitiæ ſigna, atque orationes ipſæ, ac preces ſub oculos ponunt, & clare demonſtrant purgantium animarum miſerias, ac cruciatus plurimos, in quos poſt mortem & ipſe fortaſſe caſurus, ad ſolam memoriam contremiſcere deberet ſacerdos. Quæ ſi valida non ſunt devotionem, attentionem, & fervorem celebrantis excitare, & augere, quis unquam crederet, quod ad id potiora eſſe valeant memoria Sancti, ejuſque virtutum, ac quæcumque alia, quæ adduci queunt, argumenta profecto leniora? Hoc ego unum ſcio, quod miſſæ de requiem præ illis vivorum habent, ut etiam in circumſtantium recordationem facile Defunctus revocent, illorumque pietatem excitent ad enixe exorandum Deum, ut a pœnis eripiantur. Majorem hunc fructum ut impediret Diabolus, ſuperſeminavit zizania in majori brevitate, qua fortaſſe laborant mortuales miſſæ; in hac enim tetendit rete, in quo detinentur hypocritæ, ne laxiores videantur, facile proſequuntur ceteri, & hoc pacto Dæmon viventes ſimul decipit, & mortuos privat validiori ſuffragio. Quorum meminimus, agnoverunt, & effugerunt hunc laqueum viri pietate, ac doctrina celebres, quibus optandum tandem aut veritate perſpecta, aut depoſitis humanis officiis reſpective conformentur ceteri, qui in oppoſitum agunt, vel ſentiunt; ſuffragium enim, quod ex præfatis longioribus precibus provenire contenditur, adeo leve eſt in comparatione illius, quod ex propriis derivat mortuorum orationibus, ut in nullam conſiderationem cadere valeat. Idipſum eſt de interceſſione, ſi quæ eſt, Sancti, de quo miſſa dicitur; ut enim dicebamus, ex precibus miſſarum de Sanctis non apparet, unde eorumdem imploretur interceſſio, aut Deus ipſe, vel Chriſtus exoretur in favorem animarum purgatorii; quare interceſſio, & deprecatio, quæ intervenit, nonniſi indirecta, & mediata eſſe poteſt, ubi in miſſis de requiem pro liberatione immediate commendantur animæ Chriſto principali omnium advocato, qui eas ſanguine ſuo redemit, & ipſi Deo, qui eaſdem condidit, gratiis plurimis locupletavit, ad portum ſecuritatis perduxit, & licet ad tempus eaſdem plectat, inter cruciatus ipſos eas ſimul diligit. Sane miſſæ, quæ dicuntur in feriis, & Dominicis, aliiſque officiis de Deo, & Chriſto inſtitutis ejuſdem cenſentur efficaciæ, ac miſſæ Sanctorum, licet horum interceſſione illæ careant; quidni igitur & idipſum erit de miſſis de requiem? Et præſertim quia ſi loco miſſarum de requiem dicerentur immediate de Chriſto, aut Deo, & carerent interceſſione Sanctorum, & directa, ac immediata deprecatione pro liberatione præfatarum animarum, qua nunquam deſtituuntur miſſæ de requiem.

IV. Perperam autem præſens producitur Decretum, quod ſolum in caſu impedimenti miſſis de requiem ſubſtituit miſſas de die, & adhuc ſe explicat ſuper cauſam talis ſubſtitutionis, *ne dilatio animabus ſuffragia expectantibus detrimento ſit*, unde hinc infert non valet, quod miſſæ de die Defunctis ſint æque utiles, ſed magis quod dilationis detrimentum exuberet utilitatem, quæ exoritur a qualitate miſſæ Defunctorum; ceterum quod ſecundum ſe utiliores ſunt miſſæ de requiem, quæ propterea dempto impedimento dici præſcribuntur. Quod ſi illationem hujuſmodi paratus es nobis contendere, nolo ulterius tricari ſuper prædicta majori utilitate, quæ ſatis eruitur ex aliis productis argumentis, ſed alteram ineluctabilem malo illationem facere, videlicet, quod non ſtante impedimento miſſæ dici debent de requiem, quoties tales a Benefactoribus, ſeu Teſtatoribus ſunt indictæ, nec licitum eſt eaſdem in miſſas de die commutare; ſolum enim eas in caſu impedimenti commutari Decretum indulget, nec aliter expoſcit teſtatoris mens, vel erogantis ſtipem, quæ inſtar legis ſe habet. Violaret itidem, qui ſecus faceret, fidem, & ingeneraret ſcandalum, quod facile evenit, quando præſentes ſunt, qui obligationem probe ſciunt, vel impoſuerunt. Haud tamen ambigo, quod præciſo ſcandalo, aut obligatione ſub culpa gravi impoſita, & aſſumpta, ſolum venialiter peccaret ille, qui nihilominus miſſas feſti faceret, ob violatam fidem, quia inde modicum detrimentum Defunctis obvenit.

V. Cenſentur autem *de requiem* impoſitæ etiam illæ, quæ *in remedium animæ ſuæ, vel aliorum* ſunt indictæ, licet ſine expreſſione *de requiem, vel Defunctorum*. Utique ſi putentur, uti ſunt, Defunctis utiliores, quia quilibet intendit ſibi, aut aliis conſulere velle omni meliori modo, quo poteſt; & adhuc, ſi non exiſtimentur magis proficuæ, quia jure præſumuntur demandatæ juxta morem, & ordinationem Eccleſiæ, quæ pro defunctis proprias miſſas inſtituit. Accedit, quod ſatis conſtans in hoc eruitur Eccleſiæ mens ex conceſſionibus fere cunctis ſuper altaribus privilegiatis, dum horum indulgentiam, & privilegium adeo infignit miſſis de requiem, & ſolum miſſas de die ſubſtituunt, quando de requiem dici non valent, ut etiam de requiem neceſſario celebrandæ ſint, licet indultum minime ſe exprimat, ſicuti diſerte ſtatuit Decretum primum *cap.* 14., in cujus expoſitione, quæ dicuntur, ad rem apprime conferunt.

VI. Subſtitutio itidem, quæ ut ſupra conceditur, ſiſtit in miſſis privatis, nec pertranſit ad ſolemnes, & cantatas, in quarum favorem Decretis propemodum infinitis magis Congregatio diſpenſandum cenſuit ſuper Rubricis pro duplici uſque majori, & quatenus feſtum altioris ritus occurrat, potius eas tranſlationi, quam commutationi commiſit, ubi quid ſimile non legitur conceſſum in favorem miſſarum votivarum, niſi fortaſſe de B. Virgine, cui nunquam ſatis honoris, & diſtinctionis exhibere valet Eccleſia. Hic haud comprehendimus miſſas votivas pro re gravi, quibus etſi latius pateat ſpatium, rite eaſdem comparamus miſſis de requiem præſente corpore, quibus ſi non magis, certe æque ſunt favorabilia Decreta.

VII. Ad Rubricas quod attinet, utique liberaliores ſunt miſſis Defunctorum, quam aliis votivis, ſeu ab officio difformibus. Rubrica IV. *num.* 3. recenſitis miſſis votivis habet: *Quæ tamen miſſæ, & omnes aliæ votivæ in miſſis privatis dici poſſunt pro arbitrio Sacerdotum, quocumque die officium non eſt duplex &c.*, ſed vide, quæ ſtatim ſubdit: *Id vero paſſim non fiat, niſi rationabili de cauſa, & quoad fieri poteſt, miſſa cum officio conveniat.* Prodeat nunc Rubrica V., quæ *num.* 2. de miſſis Defunctorum diſponit: *miſſæ autem privatæ pro Defunctis quocumque die dici poſſunt, præterquam in feſtis duplicibus, & Dominicis diebus.* Ubi ſimpliciter, & abſolute committuntur ſacerdotis arbitrio abſque clauſula *Id vero paſſim &c.*, qua afficiuntur miſſæ votivæ. Haud quidem nos præterit, quod non deſunt Auctores, qui miſſis Defunctorum eamdem clauſulam accommodant, ſed quid nos prohibet dicere, quod id omnino gratis præſtant? Nihil quippe hujuſmodi Rubrica tenet circa miſſas Defunctorum, ubi ſimiliter ſe expreſſiſſet, ſi voluiſſet, uti ſe expreſſit de miſſis votivis. Verum Auctores ipſi, qui prædictam clauſulam ut ſupra adaptant, nobiſcum utique ſentiunt, dum *rationabilem cauſam*, quam exoptat

prat Rubrica pro miſſis votivis, nedum agnoſcunt in diebus obitus, 3. 7. 30. & anniverſario, ſed etiam in miſſis fundationum, & ſtipendii pro Defunctis ut ſupra indictis. Quod ſi, uti probavimus, utiliores iisdem ſunt miſſæ de requiem, quæ unquam rationabilior cauſa, quam quæ magis juvat afflictas mortuorum animas?

VIII. Quæſtionem concludat hiſtoria quædam ex Surio decerpta, quæ & deſignat nobis, laudabilius, & Deo gratius eſſe, ſacrificium offerre pro Defunctis, quam pro vivis. *Sanctus Bertrandus ſolebat fere quotidie miſſam pro peccatoribus celebrare. Sciſcitante ex eo Fratre Benedicto, cur raro pro Defunctis, frequentiſſime pro peccatoribus celebraret, ille reſpondit:* Vita functi de ſua ſalute certi ſunt, nos in periculis fluctuamus. *Ait F. Benedictus:* Si ſunt duo mendici, alter membris ſanus, alter iis carens, utri potiſſimum opitulaberis? *Reſpondit:* Illi ſane, qui ſe minus juvare poteſt. *Tum Benedictus.* Nimirum, *inquit*, ſunt defuncti, quibus nec os ad confitendum, nec manus ad operandum, ſed noſtram opem poſtulant; vivi autem peccatores & os, & manus habent, & poſſunt ſibi conſulere. *Sed cum a ſententia ſua non deduceretur Bertrandus, ſequenti nocte quidam terribilis defunctus apparuit ei, & faſce lignorum mire illum compreſſit, atque decies & eo amplius illum ea nocte excitavit, perterruit, & vexavit. Igitur, prodeunte aurora, F. Benedictum ad ſe vocat, narrat totius noctis hiſtoriam, inde religioſe, & lacrymabundus ad aram accedens, pro defunctis ſacrificium obtulit, idemque deinceps ſæpius fecit.*

DECRETUM III. CAPITIS IN ORDINE LXXI.

An miſſa quotidie cantanda, debuerit, & debeat cantari cum aſſiſtentia Diaconi, & Subdiaconi, vel ſolius Acolythi? *Satisfieri voluntati Teſtatorum, cantando Miſſas, etiam ſine aſſiſtentia Diaconi, & Subdiaconi* reſpondit Congreg. Concilii 29. Jan. 1684.

I. NOn ſemel evenit, a Teſtatoribus *Miſſam cantatam* indici, & nunc edocemur ſatisfieri legato, etſi miſſam ſine Diacono, & Subdiacono cantari contingat. Aſſiſtentia Miniſtrorum Sacrorum conſtituit miſſam ſolemnem, ubi cantata ſolum cantum expoſcit, quare dubium non eſt, quod diſpoſitioni teſtamentariæ *de Miſſa cantata* rite ſatisfit per ſolam miſſam in cantu habitam, licet ſine ſacris miniſtris, plus namque oneris nec jure cenſetur, nec ſupponi poteſt impoſitum, quam verba teſtamenti ferant.

II. An miſſa ſolemnis, vel cantata ſit magis defunctis proficua, quam privata, Decretum nos ducit inquirere, & licet miſſæ omnes æqualis valoris ſint quoad fructum ſatisfactionis, quoad illum tamen impetrationis ſolemnem, & cantatam privatis præſtare, ſequentia evincunt momenta. Primo, quia illæ celebrantur cum majori pauſa, & maturitate, & conſequenter majori attentione, & devotione. 2. Quia cum dicantur cum majori decentia, & ornatu, & habeantur in cantu, hinc reſultat major cultus, & reverentia erga Deum, qui propterea inclinatur ad largienda ampliora dona. 3. Quia ad oblationem ſacrificii concurrunt plures miniſtri, & offerentes, tum in altari cum celebrante, tum in Eccleſia, præſertim in choro, unde multiplicantur orationes, & fructus ex eis provenientes. Quæ rationes etiam ſatis oſtendunt miſſas ſolemnes præ cantatis eſſe utiliores, illæ namque non deſtituuntur miniſtris ſacris, & majori decentia, & ornatu celebrantur.

CAPUT UNDECIMUM,

De Collectis Defunctorum.

I. COllectæ, ſeu orationes ſunt membrum aliud Defunctorum miſſas integrans, quod hic diſtinctim examinare reſervavimus. Defunctorum miſſæ juxta Rubricam vet. *num.* 6. adeo reſpuunt vivorum collectas, ut nec admittant orationem *Omnipotens ſempiterne Deus, qui vivorum dominaris ſimul & mortuorum*, quæ ceteroquin communis eſt vivis, atque defunctis, & in eiſdem uſurpabatur olim, uti eruitur ex Innocentio III. *de myſteriis miſſæ lib.* 2. *cap.* 27. apud Gavantum *part.* 1. *tit.* 7. *lit.* t. Æquum eſt, ait Quarti *par.* 1. *tit.* 7., in miſſis de requiem ſolis defunctis detur opera, quia ſeipſos juvare non poſſunt, ſicut valent viventes, quibus adhuc ſat, ſuperque omni tempore eſt proviſum. Ex Durando *lib.* 4. *cap.* 15. voluere alii, per hanc cæremoniam ſignificari, quod non poſſunt viventes ullo modo juvari a defunctis. Hac de re alibi late egimus, unde nunc ſolum, num purgatorii animæ pro ſeipſis orare queant, qua in parte nos affirmative reponimus, ſtatus namque pœnarum, & carceris, in quo ſunt conſtitutæ, ad hoc ipſum eaſdem conducit, & inducit. Non petunt autem, ut liberentur immediate a pœnis propter ſuas orationes, quia probe ſciunt hoc non eſſe conforme legibus divinæ juſtitiæ, ſed petunt, ut Deus fideles excitet ad offerenda pro ipſis ſuffragia, per quæ a pœnis eripiantur, aut hæredes ad implenda legata, in quibus ſunt deſides. Quæ animæ utpote inter tormenta ipſa Deo dilectæ, cum ſæpiſſime obtineant, etiam apparendo, ſi vera ſunt, quæ Eccleſiaſticæ hiſtoriæ referunt, hoc utique pacto ſeipſas juvare poſſunt. Quia tamen modus ille extraordinarius veluti eſt, & divinæ miſericordiæ duntaxat innixus, & quaſi conſimilis eſt modus, quo eædem animæ vivis prodeſſe queunt, haud fortaſſe nutant ſuperius recenſitæ rationes, ob quas vivorum collectæ a Defunctorum miſſis per Auctores ut ſupra ſiunt excluſæ.

II. Verum nec viventes a miſſis defunctorum omnino repelluntur, ſed in priori *Memento* pro iiſdem orare integrum eſt Sacerdoti. Miſſa ſive vivorum ſit, vel mortuorum, duplici conſtat *Memento*, quorum unum fundendis precibus pro vivis, alterum pro mortuis eſt deſtinatum: in hoc autem differt collecta ab oratione *Memento*, quod illa eſt oratio publica, & Eccleſiæ nomine funditur, ubi hæc eſt oratio privata, & nomine proprio elicitur. Eccleſia itaque de mortuorum ſuffragiis admodum ſollicita, in miſſis de Requiem collectas omnes mortuales expoſcit, & vivorum commemorationem privatam duntaxat admittit, ubi in miſſis vivorum nedum *Memento*, ſeu privatam commemorationem admittit pro mortuis, ſed etiam ſuper collectas indulget, ut ſtatim dicemus. Vivorum *Memento* præponitur conſecrationi, illud vero mortuorum poſtponitur, quia cum in conſecratione repræſentetur mors Chriſti, hujus anima poſt mortem deſcendit ad inferos ad liberandas piæ defunctorum animas, ante vero mortem Chriſtus viventium ſalutem ſignis, & prædicatione procuravit.

III. Quidquid nonnulli ſcripſerint, antiquiſſimam eſſe mortuorum commemorationem inter ipſa ſacroſancta myſteria, diſcimus ex liturgiis omnibus, quinimmo & Eccleſiæ coævam, unde Chryſoſtomus homil. 69. *Non temere ab Apoſtolis hæc ſancita fuere, ut in tremendis myſteriis defunctorum agatur commemoratio. Sciunt enim, illis multum contingere lucrum, & utilitatem multam;* quod & evidenter eruitur ex Auguſtino *ſerm.* 171. *de verbis Apoſtoli*. Ex diptychis alte legebantur olim tum vivorum, tum defunctorum nomina, pro quibus orandum erat, nunc is uſus deſiit, & ſacerdotis arbitrio plene commiſſum eſt, pro quibus maluerit, ſecreto orare, ſubmiſſa voce eorumdem expreſſis nominibus, vel adhuc ſola mente retentis, ut Auctores edocent, licet nos eorum nomina exprimere, tutius eſſe credamus, & Rubricis conformius; quæ cum teneant litteras *N. N.*, ex uſitato more expreſſionem nominum importare videntur. Cum hujuſmodi oratio ſit privata, a *Memento* vivorum non excluduntur hæretici, infideles, nec excommunicati, qui ſolum ſuffragiis communibus, non privatis expoliantur, quamvis eorum nomina tacenda eſſe credamus, quatenus expreſſio nominum per Rubricas exiſtimetur indicta. Ab illo autem mortuorum depelluntur Beati, qui noſtris non egent auxiliis, & damnati, quorum ſalus eſt deſperata, unde ad rem in *Memento* ipſo dicitur, *Qui nos præceſſerunt cum ſigno fidei, & dormiunt in ſomno pacis*.

IV. Vivorum, & mortuorum *Memento* in pluribus differunt; in illo enim poſt litteras *N. N.* nihil aliud ſubditur, ſed ſtatim præſcribitur orari, pro quibus intenditur, ubi in hoc adducuntur allegata verba, *Qui nos præceſſerunt &c.*, & inſuper in his verbis *Ipſis, Domine, & omnibus in Chriſto quieſcentibus &c.* commendantur Defuncti omnes, & oratio a ſacerdote fieri debet poſt eadem verba, non ſtatim poſt litteras *N. N.*, ut diſerte Rubrica innuit. Itidem *Memento vivorum fit demiſſo aliquantulum capite*, adeoque oculis ad crucem minime intentis, ſed magis demiſſis, & clauſis ad vitandam diſtractionem, ſicuti Doctores monent; ad *Memento* autem mortuorum oculi præſcribuntur *intenti ad Sacramentum*, quia ex Chriſti præſentia major devotio excitatur. Defunctorum *Memento* id quoque habet ſpeciale, quod in fine ad *Per eumdem Chriſtum Dominum noſtrum* mandatur capitis inclinatio, ubi alibi ad ſimilia verba non demandatur. Gavantus *par.* 2. *tit.* 9. *lit. d.* id putat fieri, quia ſacerdos dicturus eſt ſtatim, *Nobis quoque peccatoribus*, quæ ſunt verba maximæ humilitatis; ſed ſi res ita foret, non ad *Per eumdem*, ſed ad *Nobis quoque* inclinatio deberet indici, ut juxta Eccleſiæ praxim geſtus correſponderet verbis. In hoc ego magis peculiare dicerem adeſſe myſterium, & eſt, quod ibi ſermo eſt de Chriſto, in quo mortui quieſcunt, *& omnibus in Chriſto quieſcentibus*, quare cum Chriſtus mortem noſtram moriendo deſtruxerit, repræſentat ſibi ſacerdos Chriſtum morientem, qui inclinato capite emiſit ſpiritum. In memoriam igitur, & venerationem illius geſtus, quo Chriſtus mortuus eſt, ſacerdos inclinat caput, niſi mavis dicere, inclinationem fieri in commemorationem deſcenſus, quem ad inferos fecit Chriſti ſpiritus pro liberandis mortuis. Jam ſatis actum eſt de utroque *Memento*, hora eſt tranſeamus ad Decretorum expoſitionem, quæ de collectis agunt.

DECRETUM I. CAPITIS IN ORDINE LXXII.

Collectæ pro Defunctis non admittuntur, niſi miſſis feſtorum ſimplicium, & ferialium. S. R. C. 31. Julii 1665. *in una nullius Provinciæ Treviren.*

I. SAnctionem limita ad collectas ſuffragiorum generalium pro prima die menſis, aut feriis ſecundis non impeditis, pro quibus uberem expoſitionem habes in Decr. 1. cap. 8. una cum Rubrica, cui Sanctio ipſa innititur, quare contraria non eſt ſequenti Decreto, quod dum in feſto ſemiduplici collectas mortuorum admittit, non diſponit de collectis ſuffragiorum generalium, ſed de collectis particularium Defunctorum, deque iis, quæ ex particulari pietate adduntur.

DECRETUM II. CAPIT. IN ORDINE. LXXIII.

In miſſa privata de feſto ſemiduplici, ſimplici, ſeu votiva vel de infra octavam, ſeu de feria non privilegiata, poteſt in penultimo loco dici collecta pro particulari Defuncto puta *Inclina &c.* vel *Deus, qui nos Patrem &c.*, & ſimilia, ſed ob id non eſt omittenda ulla ex collectis pro tempore aſſignatis, puta *A cunctis*, vel *Eccleſiæ*. S. R. C. 2. Decemb. 1684. *in una Canon. Lateranen.*

I. RUbricæ 2. *num.* 1. & 2. præcedens Decretum innixum, in miſſis ferialibus, & ſimplicibus locum facit commemorationi generali Defunctorum, & præſens dilucide dies enumerat, in quorum miſſis collectæ pro particulari Defuncto, aut ex propria pietate interſeri poſſunt. Ultra feriales, & ſimplices ſunt miſſæ omnes de ſemiduplici, votivæ, & de infra octavam. Tacet de miſſis duplicium, & dierum Dominicarum, & dum de miſſis ferialibus loquitur, de iis, quæ privilegiatæ non ſunt, diſerte ſe explicat. Si quæras, cur ita? Facilis eſt reſponſio, ut nempe hinc eruatur miſſas omnium illorum dierum, qui miſſas Defunctorum admittunt, etiam earumdem commemorationem, quæ ſtat veluti loco miſſæ, nequaquam reſpuere, dies vero, qui miſſas de requiem minime patiuntur, neque Defunctorum ſuſtinere collectas; non alia quippe de cauſa Defunctorum commemorationes in miſſis feriarum privilegiatarum declarantur illicitæ. Hinc in conſequentiam venit, quod etſi Decretum mortuales collectas in feſtis ſemiduplicibus, & diebus infra octavam ſimpliciter admittat, excipi tamen debent dies omnes ſemiduplices, & infra octavam, quæ ex privilegio funebres miſſas recuſant, quales ſunt vigilia Epiphaniæ, octava Nativitatis Domini, aliæque; ratio enim fere eamdem, ob quam contra miſſas de requiem privilegiatæ extiterunt, expellit etiam lugubres collectas, quæ lætitiam, & feſti ſolemnitatem minuunt, atque deprimunt.

II. Ruit itaque ſententia Navarri, qui *lib. 3. de celebr. Miſſar. conſil. 6.* in feſtis duplicibus collectas mortuorum admiſit, & ſcite *tract. 3. num. 625.* Gobat eaſdem excluſit; cum enim Defunctorum collectæ in Miſſis vivorum ſemper penultimo loco poni debeant, iis in duplicibus, in quibus aliæ non occurrunt commemorationes, neceſſe foret aliam vivorum collectam addere, ut penultimo loco illa diceretur. Ad rem hanc dignus eſt, qui videatur, Guyetus *lib. 4. cap. 23. quæſt. 33. & 34.*, licet corrigi debeat, quatenus in Dominicis, feriis, & octavis privilegiatis prædictas Defunctorum collectas tolerari poſſe aſſerit. Etſi namque hi dies pluralitatem orationum minime refugiant, explodunt tamen Defunctorum Miſſam, ex qua rite arguitur ad commemorationem.

III. *In miſſa privata* ait Decretum, ſed cum ſit pure affirmativum, non negat de cantata, & Conventuali, quare in hac non minus fieri poterit, quemadmodum & Rubrica *v.* a miſſa Conventuali eamdem minime univerſim excludit; petitiones enim perſæpe in ſanctiones plura invehunt, quæ licet recte ſint polita, ut petitioni quadret reſponſio, eaſdem tamen minime limitant. Hæc eſt cauſa, ob quam etſi Decretum orationem *pro particulari defuncto* dumtaxat nominet, haud dubitamus, quod æque induci queat oratio pro pluribus, immo & pro omnibus Defunctis; quis enim unquam crederet, quod erga Defunctos apud Eccleſiam ſit acceptio perſonarum, & cum ipſa ſit ita ſollicita ad ſuffragandos fideles quoslibet, ut in fine quarumcumque precum eiſdem Requiem æternam precetur; quomodo unquam rite putari valet, quod eorumdem orationem excluſam velit a miſſis vivorum, in quibus admittit illam particularium Defunctorum?

IV. *Poteſt in penultimo loco*, penultimum quippe locum collectæ Defunctorum tribuendum eſſe, Rubrica VII. *n. 6.* dubitare non ſinit: *Si facienda ſit commemoratio pro Defunctis, ſemper ponitur penultimo loco*, quare ſi fuerint in miſſa quatuor orationes, tertia erit pro Defunctis, ſi quinque, quarta &c. Cur ita? *Quia finis ad ſuum debet torqueri principium*, inquit Innocentius III. *de myſt. Miſſæ lib. 2. cap. 27.*, cui addit Gavantus *par. 1. tit. 7. lit. i.* dictam Rubricam explicans: *Non igitur dignitatis ergo, ſed ut a vivis, de quibus in prima collecta, ad vivos, de quibus in ultima, fiat regreſſus.* Si namque oratio pro Defunctis poneretur ultimo loco, ſecreta, quæ perinde ultimo loco dici deberet, deſineret perſæpe in Præfationem aliquam vivorum, puta de B. Maria, & poſtcommunionem exciperet concluſio propria vivorum, nempe *Dominus vobiſcum, Ite Miſſa eſt*, vel *Benedicamus Domino*, quod a recto alienum eſt ordine, rite ſubdit Guyetus *loc. cit.*

V. Verum hæc ratio haud ſatisfacit, quippe quæ quidem excludit præfatam collectam ab ultimo loco, ſed non explicat cauſam penultimi, nam cum nonnunquam dicantur v. g. quinque, aut ſeptem orationes, caveretur incommodum illud, etſi funebris oratio ſecundo, aut tertio loco diceretur. Quarti *par. 1. tit. 7.* aliam excogitavit cauſam, quia nempe comparatione facta cum viventibus, animæ purgatorii rationis ſtatus pœnarum, & carceris ſunt inferioris conditionis omnibus juſtis hujus vitæ, nedum perfectis, ſed etiam proficientibus, & incipientibus, melioris tamen peccatoribus, quia ſtatus peccati mortalis eſt omnium teterrimus. Hinc ſequitur earumdem ſtatum non eſſe ultimum ſed penultimum reſpectu viventium, ideſt ſupra peccatores, & infra omnes juſtos; ad quem ſtatum denotandum in vivorum miſſis penultimus locus attributus fuit collectis Defunctorum, ut inde vivi meminerint, ſe eſſe in periculo extremi ſupplicii, a quo liberæ ſunt animæ in Purgatorio exiſtentes.

VI. Suarez *3. par. to. 4. diſp. 45. ſect. 2.* in eo myſticas rationes alias agnoſcit. Primo ut hinc deſignetur locum purgatorii non eſſe ultimum, & in centro terræ, ubi eſt infernus, ſed immediate ſupra infernum, & conſequenter eſſe penultimum. 2. ut ſignificetur purgatorii pœnas non eſſe extremas, & ultimas, quibus cruciantur damnati, ob adnexam deſperationem, & æternitatem, ſed proximas ultimis, & extremis, ob vehementes cruciatus, adeoque veluti penultimas. Addi poteſt alia, nimirum quia eædem animæ ſunt in ſtatu proximo ad ſuprema cæli gaudia, a quorum aſſecutione ad breve tempus retardantur per leves quaſdam maculas.

VII. Quæ rationes omnes ubertim evincunt, Defunctorum collectis penultimum deberi locum nedum relate ad orationes a Rubricis præſcriptas, ſed etiam ad eas, quæ de ſuperiorum mandato dicendæ forent, aut ex celebrantis placito, vel devotione adderentur. Suffragatur admodum & dictio *ſemper* Rubricæ, quæ per Juriſconſultos exponitur pro omni tempore, & pro omni caſu. Demum dubietatem omnem adimit Rubricarum Auctor, qui etſi in ſimplicibus, & feriis etiam quinque, & ſeptem orationes ad libitum dici poſſe indulgeat, & probe ſciat, adhuc Defunctorum collectis penultimum *ſemper* locum aſſignandum judicit, ergo talis utique iiſdem debetur, etiam relata ad orationes, quæ de mandato, aut placito adduntur.

VIII. *Sed ob id non eſt omittenda ulla ex collectis pro tempore aſſignatis.* Collectæ per Rubricas aſſignatæ, ſunt in præcepto, & ideo ob alias, quæ addantur ad placitum, omitti non poſſunt, ſed ultra ultroneas dici debent. Neque oratio a ſuperioribus imperata, ex Decreto 2. Decemb. 1684. ullam ceſſare facit ex præſcriptis per Rubricas, immo ex Decreto altero 17. Aug. 1709. nec dici poteſt loco illius, quæ quandoque juxta Rubricam eſt ad libitum; quanto igitur minus loco orationis per Rubricas indictæ, ſubſtitui poterit oratio pro particulari Defuncto? Haud tamen refragor, quod mortualis collecta ſubrogari queat vice orationis, quando tertia eſt ad libitum; cum enim tunc commiſſum ſit Sacerdotis arbitrio quamlibet ſeligere, quid unquam vetare poteſt, quin eamdem eligat, licet tunc hanc non tertio, ſed ſecundo loco debeat dicere, & quæ ſecundo loco dicenda erat, tertio. De hoc dubitant nonnulli, eo quod nulla Defunctorum oratio inter orationes in miſſis vivorum ad libitum dicendas, circa finem Miſſalis aſſignata fuerit, ſed ſolum poſt miſſas Defunctorum, argumentum non leve, quod ſolum in his, non in vivorum miſſis, orationes Defunctorum ad libitum aſſumi queunt. At hoc argumentum, ſi quid concluderet, nedum lugubres collectas excluderet a vivorum miſſis loco tertiæ, quando eſt ad libitum, ſed etiam univerſim contra Decretum ipſum, quod eas aperte admittit. Argumenti levitas ex eo eruitur, quod alias nec loco tertiæ ad libitum, nec pro Sacerdotis arbitrio unquam dici poſſet oratio pro pace, pro infirmis, de B. Maria, aut de aliquo particulari Sancto &c., cum nulla hujuſmodi ibidem habeatur. Quandoque adhuc ex præſcripto Rubricæ addi debet oratio *Fidelium*, licet hæc inter laudatas minime recenſeatur. Ut itaque loco orationis ad libitum aſſumi queat aliqua collecta, aut dici pro Sacerdotis arbitrio, haudquaquam exigitur, quod inter prædictas orationes enumeretur, ſed ſufficit, quod alibi in Miſſali reperiatur; orationes autem pro mortuis non ſunt diſtincto loco poſitæ, quia in vivorum miſſis dici non valeant, ſed ut quæ lugubria ſunt, continenti ſerie recenſerentur, & quia potiſſimum Defunctorum miſſis interſeruntur, non vivorum.

IX. Reliquum eſt dicamus, cur oratio a ſuperioribus demandata, dici non poſſit loco tertiæ ad libitum, in cujus vicem optime ſubrogari poteſt funebris collecta. Ratio eſt, quia tam demandata, quam quæ juxta Rubricas eſt ad libitum, ſunt in præcepto, unde neutra omitti poteſt. Quæ enim ad libitum dicitur, non ita ad libitum eſt, ut pro placito recitari, vel omitti queat, ſed ſolum quia unam potius, quam aliam ad arbitrium Sacerdos poteſt dicere. Arbitrium quidem ferri poteſt in orationem quamlibet, unde abſolute etiam in orationem, quam demandari contingit, ſed hoc ipſo, quod demandata eſt, in eamdem amplius ferri nequit, quia ſtatim hæc intelligitur in præcepto, & eſt demandata ultra præſcriptas per Rubricam, quas inter enumeratur etiam tertia ad libitum. Quod ſi a ſuperiore demandaretur Defunctorum collecta aliqua, tunc æque hæc ultra præſcriptas a Rubrica dici deberet, nec loco illius, quæ eſt ad libitum, ſubſtitui poſſet. Ubi tamen collecta imperata ultimum locum aſſequitur, in hoc caſu deberet habere penultimum, nec ad libitum addi poſſent collectæ aliæ pro Defunctis, ut dicemus ſtatim.

X. Dices, quod ſi oratio pro Defunctis addi poſſet in vivorum miſſis, non ſemel in miſſis ſimplicium, vel feriarum par fieret orationum numerus, cum tamen Rubricæ diſparem eiſdem aſſignent ternum ſcilicet, quinum, aut ſeptenum. Futilis eſt iſta oppoſitio, cum idipſum eveniat ex additione orationis de vivis; quare ſicuti huic incommodo, quatenus tale exiſtimetur, facile conſuleretur per additionem alterius orationis vivorum ad libitum; ita idipſum præſtari poſſet in caſu orationis Defunctorum. Ceterum S. R. C. Decemb. 1684. expreſſe declaravit, quod *in miſſa de ſemiduplici, vel ſimplici* (adde aut de feria, de qua eadem procedit ratio, etſi Decretum taceat) *vel votiva non ſunt neceſſario dicendæ collectæ impares, puta tres, quinque, vel ſeptem*; quare ſi alteram tibi non arridet addere, quatuor tantum, aut ſex ex collectis in utroque caſu recitare poteris.

XI. Notatu dignum eſt, quod quidem Decretum ſtatuit, ob collectam *Defunctorum* nullam orationem ex aſſignatis per Rubricas omiſſioni manere obnoxiam, quia procedit de collectis Defunctorum, quæ ad libitum inducuntur in vivorum miſſas, unde haud læditur, quando oratio *Fidelium* de Rubricarum mandato in miſſa de die dici debet, tametſi ceſſare faciat illam ex orationibus, quæ juxta Rubricas ultimo loco dicenda foret, ad eum penitus modum, quo quoties facienda occurrit commemoratio de feſto ſimplici, omittitur oratio, quæ tertio loco dicenda erat, & adhuc ea, quæ ſecundo loco, ſi duæ incidant commemorationes faciendæ. Semper autem oratio pro Defunctis penultimum locum occupat, tametſi propterea præferenda foret orationi feſti ſimplicis, aut diei infra octavam, aut illius, de quo fit officium, licet huic via præferri caſus ferre queat. Nam id evenire dumtaxat poteſt in miſſis votivis, & in his oratio illius, de quo fit officium, ſecundo loco poni debet, & cum orationes per Rubricas præſcriptæ numquam omitti debeant, quando collectam pro Defunctis addi placeat, nunquam oratio officii poteſt eſſe tertia, ſed magis, quæ tertio loco juxta Rubricas debebat dici, occurrentis ſimplicis poſtea, ſive ea ſit, ſeu diei infra octavam, aut quæcumque alia, orationi Defunctorum poſtponenda erit. Unicus caſus, in quo id evenire queat, eſt, quoties miſſa votiva diceretur in die, in qua occurrit commemoratio Defunctorum facienda juxta Rubricas in prima die menſis non impedita, aut in feriis ſecundis; tunc enim, ſi nullus Sanctus ſimplex occurrat, optime ſecunda oratio poteſt eſſe *Fidelium*, & tertia de eo, de quo fit officium.

XII. An in miſſis vivorum plures collectæ mortuorum fieri valeant, ſuccedit quæſtio, quam ex eo ſolum negative reſolvimus, quod ſtatim earumdem altera penultimo defraudaretur loco, quare in caſu ſatius erit dicere collectam unam in plurali numero, quæ comprehendat Defunctos omnes, de quibus ſpeciales collectæ dicendæ forent.

DECRETUM III. CAPITIS, IN ORDINE LXXIV.

Occurrente commemoratione Sancti ſimplicis in feria ſecunda Quadrageſimæ, quando dictum eſt nocturnum Defunctorum, non debet in miſſa quarto loco dici oratio *Omnipotens ſempiterne Deus, qui vivorum &c.*, pro commemoratione Defunctorum; ſed ſufficit tertia oratio *A cunctis*. Quod ſi dicatur quarta *Omnipotens &c.*, quinta erit ad libitum. S. R. C. 4. Maji 1709. *in Piſtorien.*

I. ORatio *Omnipotens*, quæ in feriis ſecundis Quadrageſimæ tertio loco dicitur, non correſpondet Nocturno Defunctorum, nec in iiſdem dicitur, ut fiat mortuorum commemoratio inſtar praxis, quæ ſervatur in feriis ſecundis infra annum alias, quippe in ſolis prædictis ſecundis feriis dici deberet, & non, uti fit, in Dominicis, aliiſque feriis; quare dubium non eſt, quod ſi occurrat feſtum ſimplex, non eſt neceſſe eamdem orationem quarto loco dici; miſſa enim feriarum Quadrageſimæ terno contenta eſt orationum numero, qui jam conſtatur ea oratione officii, ſimplicis, & *A cunctis*, quæ juxta Rubricam IX. *n.* 16. in caſu commemorationis ſancti ſimplicis tertio loco dici debet.

II. *Quod ſi addatur quarta* Omnipotens, *quinta erit ad libitum.* Oratio, quæ tertio loco dici debet, occurrente commemoratione altera non ita omittenda mandatur, ut quarto loco ad libitum dici nequeat, cum in feſtis ſimplicibus, & feriis ex Rubrica IX. *num.* 12. dicendæ quidem ſint tres orationes, ſed taliter, ut etiam quinque, vel ſeptem dici valeant. Verba illa *Quinta erit ad libitum* difficultatem ingerunt, quaſi ex additione quartæ orationis neceſſe fiat etiam quintam dicere, ut diſpar habeatur orationum numerus contra ea, quæ in præcedenti Sanctione firmavimus. At facilem concordiam habes, ſi to *Quinta erit ad libitum*, ita accipias, ut non dicat præceptum addendi quintam, ſed ſolum conſilium, ſeu indicet, quod eſt conſultius fieri in memoriam quinque Chriſti plagarum. At quid plura? In capite enim octavo Decreto primo curioſus præſentis ſanctionis uberem expoſitionem lector reperiet.

DECRETUM IV. CAPITIS, IN ORDINE LXXV.

Occurrente commemoratione Sancti ſimplicis in feria ſecunda poſt Dominicam Paſſionis, quando dictum eſt nocturnum Defunctorum, in miſſa dicenda eſt ſecunda oratio de ſimplici tantum. S. R. C. 4. Maji 1709. *in Piſtorien.*

I. DIctio *Tantum* duas expellit collectas, nempe *Fidelium*, ſeu *Omnipotens*, quæ ratione nocturni Defunctorum dicenda videtur, & *Eccleſiæ*, quæ in feriis poſt Dominicam Paſſionis dicenda a Rubricis præſcribitur. Quatenus excludit orationem *Fidelium*, ſeu *Omnipotens*, opus non eſt ulteriora addere iis, quæ dedimus in Decret. 5. cap. 8.; quatenus vero depellit orationem *Eccleſiæ*, loci hujus non eſt verba facere, ſed alibi fuſe inſtituetur ſermo.

DECRETUM V. CAPITIS, IN ORDINE LXXVI.

In anniverſario tranſlato ob feſtum de præcepto non variari debet oratio, *Cujus anniverſarium depoſitionis diem commemoramus &c.*; ſed recitanda eſt ut in Miſſali. S. R. C. 4. Maji 1686. *in una Canon. Regul. Lateran.*

I. ANniverſario extra diem depoſitionis tranſlato, haud quadrare viſa ſunt præfata collectæ verba, adeoque immutanda, ſed ſanctionem, quæ abſque variatione ulla eamdem dici mandat, to *commemoramus* abunde vindicat. Quid enim umquam vetare poteſt, quin anniverſarium commemoretur extra depoſitionis diem, dummodo functio, quæ agitur, inſtituta ſit in memoriam diei anniverſariæ? Breviarium, & miſſale Romanum rem extra dubietatem collocant, dum in quibuſcumque feſtis a die mortis translatis, in orationibus nulla variatione facta, natalia colare, & celebrare decantant, quando feſtum inſtitutum eſt in memoriam diei natalis. Recolantur fuſe tradita *to. 1. cap. 15. Decr. 1., & c. 39. Decr. 1.*, ubi & apparebit diſparitatis ratio, ob quam mutatur verſus *meruit beatas* in confeſſorum feſtis, quæ extra diem obitus excoluntur. Ex his habes, ullam variationem attendandam eſſe in collectis, quando extra diem proprium transferuntur dies 3. 7. & 30.

DECRETUM VI. CAPITIS, IN ORDINE LXXVII.

Si anniverſarium anticipetur, & poſtponatur per aliquot dies, poteſt dici miſſa ut anniverſario. S. R. C. 5. Julii 1698. *in Collen.*

I. MIſſa anniverſarii non differt ab aliis Defunctorum miſſis, niſi in Epiſtola, Evangelio, & orationibus. In præcedenti Capite diximus, Epiſtolam, & Evangelium ejus rationis eſſe, ut in quibuſcumque miſſis pro libito dici queant; ergo dubium non eſt, quod dici valent in anniverſario anticipato, vel poſtpoſito, quinimmo eadem magis dici convenit, utpote quæ recolendo anniverſario ſunt deſtinata, nec connexionem aliquam, aut relationem habent ad diem vere annuam, ut extra eam dici dedeceant. Quantum vero ad collectas, de quibus aliqua dubitatio fortaſſe eſſe poterat, jam actum eſt in præcedenti Decreto.

DECRETUM VII. CAPITIS, IN ORDINE LXXVIII.

In miſſis quotidianis, quæ pro Defunctis celebrantur, poſſunt quidem dici plures orationes, quam tres, ſed curandum, ut ſint numero impares. Sicut pro illa *Deus veniæ largitor* poteſt ſubrogari alia, nempe pro patre, pro matre &c. dummodo ultimo loco dicatur oratio *Fidelium*. S. R. C. 2. Septem. 1741.

I. DEfunctorum miſſis, in quibus una tantum oratio dici debet, Rubrica V. *num.* 3. per hæc verba ſatis indicat: *In die Commemorationis omnium Defunctorum, & in die depoſitionis, & in anniverſario Defuncti dicitur una tantum oratio, & ſimiliter in die tertia, ſeptima, trigeſima, & quandocumque pro Defunctis ſolemniter celebratur.* Dies illos etiam Breviarium duplici honorat officio, cui correſpondet miſſa cum una dumtaxat oratione. Rubrica autem minime diſtinguit, ſed ſimpliciter loquitur, unde par judicium habendum eſt de miſſis privatis, quas miſſæ ſolemni decet eſſe conformes. Miſſarum textus ipſe unam dumtaxat orationem adnotat, quin pro privatis exceptionem ullam faciat, ut igitur ſub una tantum oratione dicendæ non erunt, cum miſſæ illæ in uſum ſint tam pro ſolemni, quam pro privata celebratione?

II. *Et quandocumque pro Defunctis ſolemniter celebratur.* Enumeratis diebus, quos unica oratione donat, Rubrica ſubdit hæc verba, quare diſerta nos edocet, quod ut jam enumerari dies una collecta gaudeant, neceſſe non eſt, quod ſolemniter celebrentur; allegata enim verba ponunt diſpoſitionem alteram, ac conſequenter non afficiunt dies, de quibus jam elocutum fuerat, ſed miſſas alias; & cum in enumeratis diebus recenſeantur tres ex quatuor Defunctorum miſſis, quæ iiſdem diebus a miſſali attribuuntur, reliquum eſt, quod diſpoſitio præſertim afficiat quartam miſſam, ſcilicet quotidianam, quæ ſolum reliqua eſt in miſſalis, ita ut quæ ex miſſis quotidianis *ſolemniter* celebrentur, ſub una oratione ſint dicendæ. Diximus *præſertim*, quia cum demptis orationibus integrum alibi fecerimus omnes quatuor Defunctorum miſſas in quibuſcumque circumſtantiis adhibere; haud dubitamus, quod tres priores miſſæ ſub una oratione ſint peragendæ, etſi in quotidianis uſurpentur: dummodo ſolemniter celebrentur, ſicuti & ſub una oratione concludenda erit miſſa quotidiana, ſi adhibeatur in diebus, quos Rubrica ut ſupra donat unica oratione, & tunc, tametſi celebretur ſine ſolemnitate, quam, ut diximus, in talibus diebus nec propriæ miſſæ expoſtulant. Liceat nobis dicere, quod non obſcure id inſinuatur a Rubrica; hæc enim conſcia de libertate, quam ipſa facit utendi unam miſſam pro alia, conſulto non privilegiat miſſas, ſed dies, & circumſtantias, in quibus illæ dicuntur, ut daretur intelligi, quod in die commemorationis omnium Defunctorum, & in die depoſitionis, anniverſario, 3. 7. 30., & diebus omnibus quibus ſolemniter celebratur, una tantum dicenda eſt oratio, quæcumque legatur miſſa, ſicuti & quod e contra plures dicendæ ſunt orationes, quoties extra memoratos dies ſolemniter non celebratur, licet dicantur miſſæ, quæ in miſſali attributæ ſunt diebus illis, in quibus juxta allegatam Rubricam una tantum dicenda eſt oratio. Quod ſi ob occurrens impedimentum miſſa talium dierum transferatur, in die repoſitionis ſuæ cum una oratione non minus dicenda erit; diſcimus namque ex Decretis plurimis alibi ponderatis, quod miſſæ hujuſmodi cum integra ſua ſolemnitate transferuntur.

III. Quid

Digitized by Google

III. Quid ſibi velit to *ſolemniter*, æquum eſt, nunc perſcrutemur. Et certum eſt, quod non univerſim venit miſſa cantata, aut ſolemnis, alias quippe præcipuis in Eccleſiis, in quibus in cantu, & cum miniſtris ſacris miſſæ quotidie haberi ſolent, ſemper cum unica oratione eſſent celebrandæ, & in Eccleſiis ruralibus, & clero deſtitutis, vix miſſæ ſub una oratione decantari poſſent, & in quibuſcumque Eccleſiis ſemper privatæ miſſæ pluralitatem orationum expoſcerent. Guyetus *lib. 4. cap. 23. quæſt. 29.* to *ſolemniter* exponit pro *ritu duplici*, & dubium non eſt, quod miſſæ, quæ ritu duplici peraguntur, ſub una oratione dici debent, cum ritus duplex pluralitatem orationum excludat. At non minus redit difficultas, videlicet quandonam miſſa duplici ritu ſit celebranda, quando extra memoratus dies, & circumſtantias agitur; arbitrarium enim eſſe non poteſt miſſam ritu duplici, ſeu ſub una oratione dicere, cum ad id Rubrica *ſolemnitatem* diſerte exquirat, quare nonniſi ex expoſitione tu *ſolemniter* quæſtio rite decidi valet.

IV. Opportune ſe nobis offert Rubrica XV., quæ *num. 3.* tu *ſolemniter* exponit pro *concurſu populi*, & Decretum S. R. C. 28. Octob. 1628., quod illud explicat pro apparatu, & pompa exteriori, ut magis videri poteſt in ejuſdem expoſitione *tom. 1. cap. 44. Decr. 2.* In triduis itaque, aliiſque functionibus, quæ cum concurſu populi, aut cum apparatu, & pompa exteriori pro Defunctis celebrantur, miſſæ quælibet ſub una oratione dici poterunt. Ad rem hanc indubie videnda ſunt, quæ fuerunt tradita *tom. 1. cap. 18. Decr. 1.*, ubi diximus copulative ad effectum non exigi concurſum populi, & apparatum, & pompam exteriorem, ſed diviſive, dummodo etſi magnus non ſit, ſaltem congruens exiſtat; congruens autem non abſolute, ſed relative, quia in Eccleſiis pauperioribus, & ab hominum commercio diſſitis, etiam modicus concurſus populi, vel apparatus ad effectum fortaſſe refert, non ſic in ditioribus, & populi frequentia claris, in quibus modica vix copulative ſuffragari valent.

V. Privilegium unicæ orationis ſimiliter facimus miſſis illis, quæ per Teſtatores decantari indictæ ſunt; cum enim iſtæ per Decreta plurima locum utilem habeant in duplicibus uſque majoribus anniverſariorum inſtar, condecoratæ videntur ritu duplici, qui pluralitem orationum reſpuit; ex eo autem, quod deceat miſſas privatas ſolemni eſſe conformes, id privilegii fieri poſſe credimus privatis etiam miſſis illis, cum quibus eadem die miſſa cantata demandata foret, inſtar anniverſariorum, quorum nedum miſſam cantatam, ſed etiam privatas ſub una oratione dicendas eſſe ſtatuimus; quantumvis ſolum miſſa cantata, non privatæ, privilegium præferentiæ ſuper officium duplex habeat. Quoniam vero privilegium hujuſmodi non legimus factum miſſis per viventes commiſſis, haud putamus has, etiam cantatam, cum una dumtaxat oratione poſſe confici, niſi cum ſolemnitate ut ſupra expoſita celebrentur. Quod verum ſit, licet ab eroganie ſtipem ſub una oratione exigerentur, aut a Teſtatoribus aperte indictæ eſſent privatæ miſſæ illæ, quæ eadem die ſimul cum ſolemni non dicerentur, aut quoties item ſolemnis non eſſet demandata; prævalet quippe lex Eccleſiæ quibuſcumque vivorum, vel mortuorum privatis legibus. Ejuſdem denique privilegii habendæ ſunt participes miſſæ, quæ in commemoratione omnium Defunctorum alicujus Religionis, vel Congregationis, aut in die quaſi obitus, cum ſcilicet notitia pervenit de obitu alicujus in loco diſſito, celebrantur; omnes enim iſtæ, aliæque ſimiles, ſi quæ ſunt, gaudent privilegio ſuæ celebrationis in diebus duplicibus, quando etiam illæ nomine commemorationis omnium Defunctorum, & hæ vocabulo diei depoſitionis, ad quas reducuntur, in Rubrica minime comprehenderentur.

VI. Hucuſque de Defunctorum miſſis, quæ unicam expoſcunt collectam, nunc agere ſumimus de iis, quæ plures exigunt. De his laudata ſtatuit Rubrica: *In aliis miſſis plures, ut de feria, & ſimplicibus dicetur infra in Rubrica de orationibus*; hinc cum in feriis, & ſimplicibus tres præcipiantur, & fiat liberum etiam quinque, vel ſeptem dici, ideo in miſſis quotidianis tres, ut minimum, dici debebunt, & rite ſanctio ait, quod etiam plures dici queunt; non crederemus autem excedi poſſe ſeptenarium numerum, quem Rubrica *de orat.* pro ultimo præfinire videtur, ne in infinitum detur progreſſus, & ne indiſcreti Sacerdotes per ulteriorum additionem tædio afficiant adſtantes. Equidem Rubrica caret taxativa *tantum*; ſed bene notat Magalias *tom. 2. variar. reſol.* reſ. 558. eamdem ſemper ſubintelligi, niſi oppoſitum exprimatur, quando determinatur quantitas. Ceterum dicendi modus, quem ſervat Rubrica, *Poſſunt etiam dici ſeptem ad libitum*, videtur ſatis indicare numerum, ultra quem progredi non poſſit.

VII. Tres autem orationes dici præſcribuntur in honorem SS. Trinitatis, & in memoriam Chriſti, qui tertia die reſurrexit, & ter oravit in horto. Quinque in commemorationem quinque plagarum ejuſdem Chriſti, & ſeptem ob ſeptem petitiones orationis dominicalis, vel propter ſeptiformis gratiæ ſpiritum. Hinc ſequitur & diſpar numerus, quem ſanctio non quidem in præcepto collocat, ſed per verbum *curandum* conſulit, ut enim dicebamus alibi, diſpar numerus juxta Decretum 2. Decembris 1684. neceſſario nec teneri debet in miſſis feriarum, & ſimplicium, a quibus menſuratur orationum quantitas, quæ poſſunt, vel debent dici in mortuorum miſſis. Quoniam vero tres orationes abſolute dici præſcribuntur, miſſæ hujuſmodi duabus orationibus contentæ eſſe nequeunt, ſed par numerus, qui teneri poteſt, ſiſtet præciſe in orationibus, quæ ſuper tribus adduntur, ita ut dici queant quatuor, aut ſex, quia neceſſe ſit addi alteram, ut diſpar compleatur numerus. Eccleſia timet admodum, ne per collectarum multiplicitatem tædio afficiantur fideles, & a miſſæ auditione avertantur, & ideo etſi diſparem numerum ob memorata myſteria ſervari laudet, ab impoſitione præcepti abſtinuit.

VIII. Sanctus Carolus in primo Mediolanenſi Concilio conſonanter vetuit, *ne plures tribus, vel ad ſummum quinque orationes dici poſſint, niſi ubi Eccleſiæ inſtitutum aliud poſtulet*; & in ſuis Inſtructionibus pro miſſæ celebratione ſtatuit, ut cum plures ſunt orationes, *numero diſpari* recitentur, & *ſeptem* non excedant. Nos itaque, ne laudata eludamus myſteria, & ne tædio afficiamur fideles, diſparem teneamus numerum, & tribus dumtaxat incumbamus collectis, vel ad ſummum quinque, *niſi Eccleſiæ inſtitutum aliud poſtulet*, videlicet in caſu noſtro, niſi de mandato erogantis ſtipem, aut teſtatoris uberior indictus eſſet numerus, quo in caſu adhuc computatis collectis, quæ ſunt de præcepto Rubricæ, ſcilicet oratione *Fidelium*, non poterit ſeptenarius excedi numerus, unde vivi admonendi forent de Eccleſiæ inhibitione, & quatenus collectæ prædictæ per defunctos demandatæ eſſent, eorum menti per ſeptem collectas ſatisfaciendum eſſet, elevatis harum aliquibus ad pluralem numerum, vel liberatis a clauſulis, quæ eaſdem limitarent ad certum perſonarum genus, ut rite comprehendere valeant Defunctos omnes, pro quibus particulares collectæ eſſent imperatæ.

IX. Quoniam vero Eccleſiæ mentem conſtat præcipue ſiſtere in ſeptenario orationum numero, ne fideles ob tædium avertantur ab aſſiſtentia miſſæ, haud eum damnarem Sacerdotem, qui in oratoriis privatis celebrans, aut nemine præſente clauſis Eccleſiæ januis, aut ſolum aſtantibus iis, qui collectas impoſuerunt, ſeptenarium excederet orationum numerum, quia *dum plus Dominus quæritur, plus invenitur, & cum uberius oratione pulſatur, eo citius exaudire probatur*, uti ait Euſtatius confutans Agreſtinum monachum, qui in Concilio Matiſconenſi anni 627. Sancti Columbani Regulam inter cetera ſuperſtitionis accuſaverat, quod miſſarum ſolemnia contra inſtitutum Eccleſiæ morem multiplicatione collectarum celebraret. Et quidem ſi producta Rubrica, quæ ceteroquin aperte uberiorem non excludit numerum, exceptionem aliquam ſuſtinere valet, certe in producto caſu, qui & aſſiſtentium cavet incommodum, Benefactorum mentem implet, & uberius Defunctis affert ſuffragium, quorum miſeriis admodum Eccleſia compatitur. Caute, & parce hæc tamen attententur.

X. A quantitate ad collectarum qualitatem gradimur, & licet miſſæ, quæ in prima diei menſis, aut feriis ſecundis pro Defunctis omnibus in generalibus ſuffragiis dicitur, admodum eſſet appoſita oratio *Fidelium*, attamen quia hæc, cum comprehendat Defunctos omnes, primo loco poſita, illico abriperet locum orationibus aliis, & myſterioſum tolleret ternarium numerum, Rubrica inter Defunctos diſtinguendum eſſe cenſuit, & ordinatim procedens a minus generalibus ad generaliores, eamdem miſſam dicendam indixit *pro defunctis Sacerdotibus, & Benefactoribus, & aliis*. Quam conſequenter ad Rubricam (idipſum eſt de Breviario quoad officium Defunctorum pro generalibus ſuffragiis) in miſſam quotidianam primo invecta extitit Oratio *Deus qui inter apoſtolicos*, ſecundo *Deus veniæ largitor*, & tertio *Fidelium*. In prima Deo commendat, & jure præfert Eccleſiæ paſtores, atque miniſtros, in ſecunda benefactores, fratres, atque propinquos, de quibus potior habeci debet ratio, & in tertia Defunctos omnes, ſed cum dicatur ultimo loco, bene accipiunt, & accipienda venit cum excluſione illorum, pro quibus præcedenter ſpecialiter oratum extitit. Quando igitur miſſa dicitur pro ſuffragiis generalibus, cum prædictis tribus orationibus dicenda erit, & quando præſens Sanctio Orationem *Deus veniæ largitor* liberum facit in aliam commutare, haud diſponit de hac miſſa, ſed de aliis quotidianis miſſis, de quibus infra, inſtar officii Defunctorum, quod quoties dicitur pro ſuffragiis generalibus, cum præfatis tribus orationibus abſolvitur, ſecus, quando pro aliis recitatur. Eædem orationes in uſum & conſequenter erunt, quotieſcumque ſine ſolemnitate infra annum celebretur pro Defunctis omnibus; decet enim particulares Eccleſias ſe conformare ritui, quem in ſimilibus ſervat univerſalis, & quatenus inter mortuos ſeligendi ſint, pro quibus ſpeciatim per duas primas collectas oretur, utique prædicti titulis omnibus videntur præferendi. Quæ licet ita fieri debeant, & undique deceant, haud refragamur tamen, quod abſolute quicumque alii pro libito ſeligi queant, pro quibus duæ prædictæ orationes dicantur; Rubricæ enim lex ſiſtit in ſuffragiis generalibus, & licet ad ſimiles caſus convenienter pertranſeat, non ita tamen, ut libitum itidem haberi non poſſit, quod ſtatim dicenda faciunt. Quod ſi miſſa cum ſolemnitate celebretur, cum hoc ipſo in eadem dumtaxat una oratio locum habeat, dicenda erit oratio *Fidelium*, qua nulla aptior, & concludetur, uti & officium, ſi dicatur, ſub longiori concluſione *Qui vivis, & regnas cum Deo Patre*, ſicuti præſtatur in commemoratione omnium Fidelium Defunctorum, & non obſcure indicant Rubricæ Miſſalis, & Breviarii poſt eamdem orationem poſitæ.

XI. Æquum eſt, ſermonem convertamus modo ad miſſas quotidianas reliquas, ſuper quarum primam orationem etſi Decretum taceat, non tamen tacent Auctores, qui omnes eamdem debere eſſe ſentiunt de eo, pro quo ſacrificium offertur; & hinc patet abuſus nonnullorum, qui pro quocumque celebrant, prædictas tres orationes indiſcriminatim adhibent, quaſi in miſ-

in miſſam quotidianam eſſent invectæ, ut communiter recitentur pro quolibet, & non pro ſolis Defunctis omnibus occaſione generalium ſuffragiorum, uti ſupra dicebamus. Abuſum hujuſmodi ſatis evincunt orationes particularium Defunctorum in Miſſale poſt miſſam quotidianam inductæ, & reſpective dici præceptæ, & ipſa Eccleſiæ praxis, quæ nedum miſſas, ſed etiam officium quodlibet abſolvit cum oratione convenienti illi, de quo, vel pro quo officium, aut miſſa dicitur; & ridiculum ſane foret cum oratione *Deus qui inter apoſtolicos* officium, ſeu miſſam agere pro defuncto laico, qui nec in dicta oratione comprehenditur; orationes enim ſunt notæ eorum, de quibus, aut pro quibus officium, vel miſſa dicitur. Verum etiamſi ille, pro quo miſſa dicitur, in oratione comprehenſus item eſſet, adhuc prædictus uſus apparet culpabilis eo ſolum titulo, quod fructum impetrationis præfatæ orationis, quem teſtator, aut ſtipem erogans, ſibi ſoli applicari intendit, ceteris etiam aliis communem facere. Non eſt itaque dubium, quod prima oratio congruens debet eſſe illi, pro quo miſſa dicitur. Quænam autem in ſpecie uſitanda ſit, collectarum, quæ poſt miſſam quotidianam in Miſſali exarantur, titulus ipſe ſatis indicat.

XII. Levi dubitationi dumtaxat ſubeſt collecta *Deus qui nos Patrem*, cui Breviarium ſimpliciter præfigit titulum *Pro Patre, & Matre*, ſed eamdem prorſus diſſipat titulus, quem in Miſſali obtinet, *Pro Patre, & Matre Sacerdotis*, his quippe verbis aperte denotat, pro ſolis parentibus ipſius celebrantis eſſe uſurpandam, non vero pro parentibus eorum, qui miſſam peterent. Sed quæ pro parentibus iſtorum uſurpanda erit? Congruens quantitati, & qualitati Parentum, pro quibus miſſa petitur, perinde ac ſi minime parentes forent, unde ſi petatur pro ſola Matre, in uſum erit oratio *Quæſumus Domine*, ſi pro ſolo Patre *Inclina*, niſi poſt nuptias tranſiiſſet ad Sacerdotium, quo in caſu aſſumetur oratio dignitati congruens, ſi vero pro Patre, & Matre, oratio aliqua pro pluribus Defunctis; vel enim leviter ponderanti textum orationis *Deus qui nos Patrem*, occurret ſtatim, quod applicabilis non eſt, niſi parentibus ipſius Sacerdotis, non aliorum. At ſi Sacerdos celebret pro Patre ſuo, qui Sacerdos fuerit, qua oratione utetur? *Deus qui nos Patrem*, & ſi ſacerdos natus fuerit ex fornicario coitu, ubi oratio habet *Patris mei*, non addat *ſacerdotis*, quamvis ex Eccleſiæ uſu dignitas hujuſmodi exprimi ſoleat, & idipſum præſtet ſacerdos, qui natus eſt per legitimas nuptias Patris, qui poſtmodum ad ſacerdotium tranſiit. Prior caſus deſignat delictum, poſterior infirmitatem nuptiarum, & in audientes delicti rumorem ſpargit, unde minus recte *Patris mei* adderetur *ſacerdotis*, ad quod fortaſſe reſpexerunt jura, dum Presbyterorum filios *nepotes* nuncupant. Sacerdotes Malachias *cap.* 2., & Joannes ſæpe *in Apocalypſi*, ut deſignent tenorem eorum vitæ, vocant Angelos, a quibus procul eſt delictum quodlibet, & delicti rumor, & nuptiarum infirmitas ipſa, quinimmo interprete Hieronymo eoſdem Chriſtus facit Deos, dum interrogatis diſcipulis, *quem dicunt homines eſſe filium hominis?* Subjecit ſtatim, *vos autem, quem me eſſe dicitis?* Quaſi ipſi minime forent homines, ſed Dii.

XIII. Orationi, de qua agimus, Breviarium hanc Rubricam adjicit: *ſi ſit* (ſcilicet officium) *pro pluribus*, dicatur animabus parentum noſtrorum, *& ubi dicitur* meque, *dicatur* noſque. *Si pro Patre tantum dicatur* animæ Matris meæ, *vel* noſtræ. Ubi eadem oratio etiam dici probatur pro communibus parentibus, ſeu pro parentibus etiam aliorum, dummodo ſimul parentes ſint ejus, qui orationem recitat. Id quidem bene in officio, quod dicitur pro parentibus omnium, qui ſimul cum eo in choro, vel extra chorum officium recitant, ad quod quippe dicendum etiam ceteri concurrunt, & qui orationem dicit, omnium nomine eamdem recitat. Bene item in miſſa Conventuali, & principali, ad quam ſuo modo concurrunt & reliqui de choro, & idipſum non refragaret præſtari poſſe etiam in privatis, quoties apud Conventum aliquem, vel Religioſum cœtum celebraretur officium pro parentibus omnium ejuſdem cœtus, quia licet privatas miſſas particularis ſacerdos faciat, habent tamen ea verba *Parentum noſtrorum*, & *noſque*, unde verificationem depromant, ex repræſentatione nempe omnium de cœtu, quam idem ſacerdos inducit illico. Vix autem id fieri poſſe crederem a ſacerdote in privatis miſſis, quæ celebrarentur pro parentibus ſuis, & audientium, niſi anniverſarium fieret pro parentibus alicujus communitatis, aut niſi miſſæ dumtaxat aſſiſterent reſpectivi filii, quatenus & audientes ad miſſam ſuo modo concurrant.

XIV. Nunc ſecundam orationem accipimus, & a Decreto inſtruimur, quod pro libito qualibet recitari poteſt, & ad libitum item erunt quæcumque aliæ, quæ ultra tres conceſſæ ſunt addi. Uti namque dicebamus, oratio *Deus veniæ largitor* in miſſas quotidianas dumtaxat invecta fuit, ut correſpondeat Benefactoribus, quibus ſecundo loco per Rubricas applicanda decernitur miſſa Conventualis ſuffragiorum generalium, quare ſi non dicatur ſuffragiorum miſſa, uti ſimili de cauſa ceſſat præceptum primæ orationis *Deus qui inter apoſtolicos*, ita illud ſecundæ *Deus veniæ largitor*, & cum pro hac nullam diſpoſitionem Rubrica ponat, pronunciandum eſſe pro libertate jura clamant. Limita pro oratione *Fidelium*, quam Sanctio vult ſemper ultimo loco dici, uti & pro ea, quæ a ſuperiore, vel teſtatore, aut ab erogante ſtipem fuiſſet imperata; ex Decreto enim 27. Aug. 1706. ſuperius vidimus, loco orationis ad libitum induci non poſſe imperatam, quia hoc ipſo omitteretur una ex præſcriptis per Rubricam; hoc autem procedit dumtaxat intra ternarium numerum, qui eſt demandatus, non in orationibus, quæ ultra talem numerum adderentur, hæ nempe a Rubrica non ſunt præceptæ, ſed tantum permiſſæ.

XV. Tertia, ſeu ultima, quatenus plures trium dicantur, ad libitum non eſt, ſed neceſſario dicenda præſcribitur collecta *Fidelium*, non quidem vi laudatæ Rubricæ, quæ Defunctis ceteris ultimo loco applicandam ſtatuit miſſam ſuffragiorum generalium, ſed ex more Eccleſiæ, quæ dum orat pro aliquibus Defunctis, reliquorum nunquam penitus in fine precum obliviſcitur. Hæc autem œconomia in orationibus recitandis ſervanda videtur, ut particulares ponantur ante generales, & minus generales ante generaliores, & poſtreme omnium *Fidelium* tamquam generaliſſima. Fallit hæc regula in prima oratione, quæ cum ſemper eſſe debeat de eo, pro quo ſacrificium offertur, quoties ipſa dicta eſſet pro pluribus, ſtatim præriperet libitum addendi ſecundam, aut alias de uno, vel paucioribus. Reſtringenda itaque eſt ad ſecundam, aliaſque ad libitum inter ſeſe, non relate ad primam orationem, & in his adhuc limita, ſi oratio aliqua pro Pontificibus, vel ſacerdotibus interſereretur, Eccleſiæ namque praxis magis adhæret ordini dignitatis. Ad complementum dumtaxat adnotare ſupereſt, quod cum oratio imperata ex generali regula ſemper poni debeat poſt eas Rubricæ, hæc regula impræſentiarum partim currit, & partim deficit. Currit relate ad orationem ſecundam, qualis numquam eſſe poteſt ut ſupra imperata, deficit vero relate ad orationem *Fidelium*, cui per Decretum ſemper ultimus rite adjudicatur locus, utpote quæ cum in ſinu ſuo claudat Defunctos omnes, non videtur apte ſpatium relinquere orationi alteri pro Defunctis. Congrua videtur iſta ratio, ſed vix ſuſtineri poteſt ob Eccleſiæ praxim, quæ in miſſa de octava omnium Sanctorum, & poſt commemorationem ejuſdem octavæ, quando agitur de Sanctis, admittit commemorationem ſimplicis occurrentis. Probatur tamen a Gavanto *par.* 1. *tit.* 9. *lit. e.*, ubi advertit, quod licet in miſſa vigiliarum, & dierum infra octavam communiter aſſignetur ſecunda oratio de B. Maria, ab hac regula unice excipitur vigilia, & octava omnium Sanctorum, quia nempe in harum prima oratione implorantur etiam merita ejuſdem SS. Genitricis.

XVI. Reliquæ Defunctorum miſſæ noſtram modo conſiderationem exigunt, ut appareat, qua ſub oratione ſint perſolvendæ. Et dubium non eſt, quod prima collectam *Fidelium* expoſcit, quando dicitur pro commemoratione omnium Defunctorum, aut ſi extra diem hunc, quando ſolemniter celebraretur in ſuffragium eorumdem Defunctorum omnium, & ea miſſa diceretur. Non minus itidem certum eſt, quod quando celebratur eadem miſſa in die obitus, 3. 7. & 30., & anniverſario Summi Pontificis, vel Epiſcopi, pro ſummo Pontifice dici debet *Deus qui inter ſummos Pontifices*, & pro Epiſcopo *Deus qui inter apoſtolicos*, cum id aperte ſtatuat Rubrica poſt miſſam quotidianam poſita. Obitum, atque anniverſarium Cardinalium, Sacerdotum, Prælatorum, Regum, atque Magnatum prima, vel ſecunda miſſa diſtinguunt, atque particulari oratione honorant nonnulli, ſed nos, qui in præcedenti capite eiſdem reſpective aſſignavimus ſecundam, vel tertiam, uti præſtatur in obitu, & anniverſario ceterorum, nunc quoque ipſis attribuimus orationem, quæ in eiſdem habetur. Miſſæ hujuſmodi, & orationes ab Eccleſia inſtitutæ ſunt, ut dicantur in die obitus, 3. 7. 30., & anniverſario, ut miſſarum titulus, & collectarum textus ſatis indicant, ergo indiſcriminatim pro quocumque dicendæ erunt, exceptis ſolum iis, quos Rubrica in exceptuatis poſuit, cujuſmodi ſolum ſunt ſummi Pontifices atque Epiſcopi, a quibus ratione eminentis dignitatis, qua præ ceteris gaudent, quid ſimile concludi non poteſt in favorem laudatorum, quos cum Rubrica taceat, communi eoſdem ceterorum claſſi deſerit. Rubrica adhuc poſt miſſam quotidianam poſita, dum tacitis collectis facit liberum epiſtolam, & Evangelium unius miſſæ in alia dicere, quid unquam vult, niſi quod reſpectivæ collectæ ſemper dici debeant, & arbitrio minime ſubjaceant? Liceat denique allegare Rubricam quamdam anno 1725. Romæ in Miſſale invectam, in qua ſub tertia miſſa in anniverſario Cardinalium aperte dicenda committitur oratio *Deus indulgentiarum*, quæ non minus dicitur in anniverſario ceterorum. In obitu, itaque, & anniverſario quorumcumque præter exceptos dici debent collectæ, prout aſſignantur in iiſdem miſſis, & non quæ in fine Miſſalis exaratæ inveniuntur, alias quippe in anniverſario Cardinalium dici deberet oratio *Inclina*, quæ iiſdem ibidem attribuitur, & inſuper orationes præfatarum miſſarum nunquam haberent locum, cum laudato loco collectæ pro quocumque Defunctorum genere, & qualitate. Hæ igitur collectæ unice in Miſſale ibidem invectæ ſunt, ut dicantur pro prima, & ſecunda oratione, vel pro aliis, quæ ad l[illegible]n, vel de mandato adderentur in miſſis quotidianis.

XVII. Diximus in die quaſi obitus, ſeu cum primum habetur notitia de morte alicujus in loco diſſito, dicendam eſſe miſſam ut in die obitus, ſed quia hujus collectæ, cum ea dia Defuncti emigrationem ab hoc ſæculo eveniſſe recenſeant, Gavanto *par.* 4. *tit.* 18. *num.* 5. minus aptæ viſæ ſunt, quæ in tali circumſtantia recitentur, & laudat dici orationes de die tertio omiſſo verbo *tertium*. Gavanto adhæret Guyetus *lib.* 4. *cap.* 23. *quæſt.* 28., hac ſolum adjecta clauſula, quod opus non ſit tacere verbum *tertium*, ſeu *ſeptimum*, vel *trigeſimum*, ſi vere dies talis fuerit. At aperte fallitur, quia, etſi talis fuerit, non tamen ut talis commemoratur, ſed commemora-

mora-

Digitized by Google

motatur dies depoſitionis, unde prædictum verbum ſemper taceri debebit.

XVIII. Littera *N.* nominis expreſſionem expoſtulat, ſed cum in nonnullis orationibus habeatur, deſideretur in aliis, quid unquam concludendum, niſi quod nomen exprimi debet, ubi illa habetur, taceri, ubi deſideratur? Rituale *de exeq. abſ. corp.* etiam dignitatis expreſſionem mandat, ſi Defunctus fuerit *Sacerdos, vel Epiſcopus*, & hoc conforme eſt miſſali, quod in reſpectivis orationibus dictæ dignitatis meminit, & idipſum jure præſtat de Papis, & Cardinalibus. Eccleſiaſticæ perſonæ iſtæ, & dignitates præcipuæ, quæ exprimerentur, dignæ cenſitæ ſunt, alias vero, puta Abbatis, Generalis Ordinis, Præpoſiti, Archipresbyteri, & ſimiles quas Rubrica probe novit, & non memorat, ſilentio ſuo tacendas indicit. Solius Diaconatus in oratione Cardinalium meminit, at id non præſtat, quia Diaconus expreſſionem expoſtulet, ſed ut denotet qualitatem Cardinalatus, qui jam exprimendus erat.

XIX. Cum Gavanto *loco cit. n. 16.* Reges, Imperatores, aliosque viros Principes expreſſione nominis, & qualitatis honorat Guyetus *quæſt.* 20. quibus, dum tacet, reniti videtur Rubrica, indulgeri tamen fortaſſe poterit exemplo ducto a Breviario Romano, quod in Sanctorum collectis qualitatem hujuſmodi nunquam præterit, cum tamen laicos communi *Confeſſorum*, vel *Martyrum* vocabulo exprimere conſueſcat. Verum id ægre nos concederemus, quia inde fieret, exprimi debere etiam qualitatem Abbatis, & quorumcumque nomina, quod vix regit ad orationes Defunctorum, in quibus conſulto creditur omiſſa littera *N.*, & in nonnullis dumtaxat memorata qualitas.

XX. Si qui exprimendi ſunt, fuerint plures numero, & ejuſdem dignitatis, vel qualitatis, Rubrica poſtpoſita orationi *Deus qui inter apoſtolicos*, dum hanc orationem dicendam eſſe mandat *at in quarta miſſa*, dignitatem, qualitatemve exprimendam eſſe docet, non vero nomen, quo ibi caret eadem oratio. Verum & nomen exprimi poſſe videtur ea Rubrica altera orationis *Præſta quæſumus* præfixa; inquit namque *& poſſunt dici pro pluribus in numero plurali*, cum tamen littera *N.* minime deſideretur in collectis omnibus, quas eadem Rubrica afficit. Dicerem ego itaque, quod pro libitu exprimi etiam queunt nomina, dummodo duorum, vel trium non excedant numerum, ſecus, ſi plures forent, Breviarii, & Miſſalis inſtar, quæ quoties Sancti duo ſunt, vel tres, horum nomina regulariter exprimunt, & quando ſunt plures, vel unum nominat, & alios *Sociorum* voce complectitur, vel nullo expreſſo ſolam qualitatem dicit, ut *glorioſos martyres* in feſto quadraginta martyrum, aut cunctos ſimplici *Sanctorum ſuorum* vocabulo comprehendit, ſicuti in feſto SS. Marii, & Sociorum. Ex his expreſſionibus prima minus viſa eſt pro Defunctis adhiberi, aliæ duæ ſatis opportunæ, commutato tamen to *glorioſos*, & *Sanctorum* in *famulos*, vel *famulorum* juxta exigentiam textus, ita ut ſi dignitas exprimenda ſit, dicatur v. g. *famulos tuos Pontifices*, vel *famulorum tuorum ſacerdotum*, aut ſi qualitas exprimenda non ſit, ſimpliciter *famulos tuos*, vel *famulorum tuorum*.

XXI. Quæ ſimplex expreſſio *famulorum tuorum &c.* in uſum item erit, quando plures ſunt, & diverſæ dignitatis, vel qualitatis, etſi ex his omnes, vel aliqui eſſent ex exprimendis, uti præſtat Breviarium ipſum in feſtis SS. Alexandri, & Sociorum 3. Maii, & Nazarii, & Sociorum 28. Julii. Quod ſi omnes eſſent Pontifices, & Sacerdotes, quadrat oratio *Deus qui inter apoſtolicos*, quæ utramque jam dignitatem exprimit, ad rem tamen non foret, ſi eorum alter eſſet Cardinalis, nec Epiſcopus, nec Sacerdos, quo in caſu uſurpari poſſet oratio pro pluribus, nulla dignitatis mentione habita.

CAPUT DUODECIMUM

De Miſſis Defunctorum univerſim.

I. PReces, pſalmoſque, quos in preparationem ſacerdotis celebraturi Rubrica commendat, Defunctorum aufert miſſis Franciſcus de Nigro, & nititur tum cœrem. Pap. *lib.* 2. *ſect.* 2. *cap.* 26. *&* 28., & cœrem. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 11., a quibus Epiſcopis interdicuntur; tum quia pſalmi habent *Gloria Patri*, qui verſus a miſſis de requiem excluditur. In oppoſitum ſtat ſententia communis, & praxis, & ſuffragatur Rubrica, quæ eas preces abſolute præſcribit, nec enumerat inter omittenda in miſſis de requiem. Finis itidem earumdem precum, ut nempe diſponatur ſacerdos ad digne, & competenter offerendum ſacrificium, & accipiendum ſacramentum, in miſſis de requiem non minus militat. Ad cœremonialia facilis eſt reſponſio, eas namque preces non abſolute inhibent Epiſcopis, ſed ſolum in miſſis Pontificali, & ſolemni, quatenus dicantur in ſede pontificali adjuvantibus Canonicis, & aliis Miniſtris, & ſub illis ritibus, qui indicant feſtivam ſolemnitatem, & hilaritatem quamdam, quæ non congruit Defunctorum miſſis; quare nec ambigo, eaſdem etiam ab Epiſcopis dici debere, dum privatim celebrant, & congrue adhuc ſecreto præmitti, antequam ad locum publicum accedant, pontificaliter celebraturi. Quod ſecundo loco dicitur, ad ſummum concluderet omiſſionem verſus *Gloria Patri*, non pſalmorum, ſicut in iiſdem miſſis omittitur *Gloria Patri* in fine pſalmi *Lavabo*, non vero Pſalmus. Verum cum preces illæ neque ſint pars miſſæ, aut officii Defunctorum, neque ſuffragia pro mortuis, ſed ad finem omnino extraneum, nempe in præparationem ſacerdotis, deſerviant, in fine pſalmorum *Gloria Patri* omittendus non erit, ſicut conſimili de cauſa nec prætermittitur in fine pſalmorum matutini, quod juxta Rubricas præmittendum eſſe miſſis de requiem, non minus ac illis vivorum, exiſtimamus. An antiphona quæ iiſdem pſalmis præmittitur, ritu duplici ſit recitanda, affirmat Gavantus *par.* 2. *tit.* 5. *lit. c.*, quoties Defunctorum miſſa agitur ritu duplici, ſeu ſub una oratione. At cum Rubrica ejuſdem duplicationem dumtaxat injungat *in feſtis duplicibus*, antiphona præfata magis ſequi videtur conditionem officii, quam miſſæ, quare diceremus magis, eſſe duplicandam, quando officium occurrens eſt duplex; non vero, quando eſt ſemiduplex, quæcumque poſtea miſſa, & ſub quocumque ritu dicatur; ad quam rem valde etiam conferunt ſuperius tradita. Idem eſto judicium de precibus, quas Rubrica præſcribit immediate poſt miſſam in gratiarum actionem.

II. Num ſacerdos, dum ſe induit veſtibus ſacris pro miſſa de requiem, abſtinere debeat ab oſculis crucum in amictu, manipulo, & ſtola, Doctores diſputant, & affirmat idem Franciſcus de Nigro, exemplo ducto a miſſa ipſa Defunctorum, in qua oſcula rerum ſunt interdicta. Verum quia oſcula præfata a Rubrica ſimpliciter ſunt indicta, nec enumerata inter omittenda in miſſis de requiem, uti ſunt oſcula rerum inter miſſam ipſam, in oppoſitum ſtat communis opinio, & praxis. Et quidem rerum oſcula in Defunctorum miſſis non ſunt univerſim vetita, ſed ſolum quæ dicunt ſolemnitatem quamdam, ſeu hilaritatem; unde ſicut ſacerdos in ſignum humilitatis ſæpe oſculatur Altare, quia Chriſtum ſignificat, quidni & oſculari poterit cruces veſtium in honorem S. Crucis, & cultum Dominicæ paſſionis, ad quem finem in iiſdem ſunt efformatæ? Scribit Severus Alexand. *de ord. oblat.*, quod antiqui ante amictum ter ſe ſignabant, & manu tantum, Rubrica vero ſigni Crucis non meminit, unde præter Rubricam deprehenduntur agere, qui hoc loco ſe ſignant, & adhuc peccant contra conſuetum morem, qui in hujuſmodi ſigno a fronte ad pectus ducunt amictum. Nobis inſuper liceat dicere, quod ſe gerunt contra Rubricam, quam credimus ſubſtituiſſe oſcula crucum in amictu, manipulo, & ſtola loco trium ſignorum Crucis, quæ ſumptioni ſacrarum veſtium veteres ſolebant præmittere.

III. An ſacerdos ſacris paramentis indutus, dum e Sacriſtia celebraturus procedit, debeat ſe ſigno crucis munire, eſt quæſtio altera, quam nos negative reſolvimus, ſive vivorum, vel mortuorum miſſa ſit celebranda. Ineluctabile argumentum nobis Rubrica ſuppeditat, dum nulla mentione habita ſuper crucis ſigno, ſacerdotem manu ſiniſtra tenentem calicem, & manu dextera ſuper burſam, ad Altare facit incedere, ubi quoties requirit ſignum crucis, illud ſemper aperte requirit. Urget adhuc, quod eadem Rubrica tum Cruci Sacriſtiæ, tum Altaris majoris, ſi ante hanc ſacerdotem tranſire contingat, velato capite reverentiam præſcribit, ne detracta e burſa manu, concordes exponunt Auctores, aliquid decidat a calice; hinc cum quid ſimile facile evenire poſſet, ſi ſacerdos, dum e Sacriſtia ad Eccleſiam procedit, ſumere deberet aquam luſtralem, & ſe ſigno crucis ſignare, & aliunde inſuper facile humectaret burſam, quid unquam per ſilentium ſuper crucis ſigno credi poteſt voluiſſe Eccleſiam, niſi quod hoc minime fiat? Superfluit adhuc prædictum ſignum, quod jam ut ſupra æquivalenter egit in recenſitis oſculis crucum, & formaliter ſtatim debet agere, antequam ante Altare miſſam inchoet, juxta illum conſuetum in Eccleſia morem initium quodlibet auſpicandi a ſalutifero crucis ſigno.

IV. Mos iſte a primis uſque ſæculis ſervatus, conſtanterque in Eccleſia cuſtoditus initium quodlibet auſpicandi a ſigno crucis, & ab invocatione SS. Trinitatis, fortaſſe cauſa fuit, ob quam illud, quod fit ad initium miſſæ, recenſitum non extitit inter omittenda in miſſis de requiem, licet inter hæc rejectum fuerit crucis ſignum ad initium Introitus. Ut enim dicebamus, Rubrica illud ſimpliciter indicit, nec enumerat inter omittenda, ergo ex generali regula eſt faciendum, alias Rubrica, ubi de omittendis agit, manca foret, & diminuta. Utinam vero, uti Rubrica XIII. omittenda in miſſis Defunctorum aperte deſignat, ita facile foret, eorumdem rationes producere, quas Quarti *par.* 2. *tit.* 13. *n.* 1. ad tria reducit capita.

V. Primum eſt ratione ſignificationis gaudii, & lætitiæ, ſeu conſolationis cujuſdam, quæ non congruit dolentibus de proximorum tranſitu, & cruciatu in purgatorio. Hac de cauſa omittuntur pſalmus *Judica*, qui continet aliquos lætitiæ verſus, ut *confitebor tibi in cithara*, item *Gloria*, qui eſt verſus glorificationis, tum ad introitum, tum in fine pſalmi *Lavabo*, & ejuſdem loco non ſubſtituitur *Requiem æternam*. Similiter *Gloria in excelſis*, verſus *Alleluia*, tam qui paſchali tempore addi ſolet, quam qui regulariter dicitur poſt epiſtolam, ſed hujus loco Tractus ſufficitur, qui mœrorem, & luctum ſignificat.

VI. Conſimile eſt caput ſecundum, & fere conſimili de cauſa, ſcilicet ratione cujuſdam hilaritatis in ritibus feſtivis latentis, omiſſioni committit, quæcumque pertinent ad feſtivam ſolemnitatem. Hac de cauſa ſacerdos non dicit *Jube, Domne, benedicere* ad Evangelium, nec librum in fine oſculatur, & conſequenter etiam omittit oratiunculam *Per evangelica dicta*, quæ correſpondet tali oſculo ad præſcripta Rubricæ *6. n.* 2. Huc quoque ſpectat omiſſio ſymboli, benedictionis in fine miſſæ, benedictionis aquæ fundendæ in calice, oſculi ampullarum, & orationis de pace.

VII. Tertium caput petitur ex ſpeciali applicatione ſacrificii, & precum, quæ in miſſis pro Defunctis potius dirigendæ ſunt ad animas purgatorii, quam ad viventes. Quaſi, inquit

quit Hugo Victorinus *de Miſſæ obſerv. lib. 3. cap. 37.*, magis Defunctorum, quam noſtri memores, pro iiſdem dumtaxat precemur, hinc omnia, ſive preces ſint, ſive actiones, quæ ad viventes pertinent, vel omittuntur, vel in alia pro defunctis commutantur. Sacerdos itaque quidem ad confeſſionem ſe munit ſigno crucis, ut ab hoc auſpicetur initium miſſæ, non ſe tamen ſignat ad introitum, *ſed manu dextera extenſa* (ſiniſtra interim poſita ſuper librum, vel altare) *facit ſignum crucis ſuper librum, quaſi aliquem benedicens*, ſcilicet defunctum, pro quo celebrat. Ad *Agnus Dei* non dicit *miſerere nobis*, ſed *dona eis requiem*, hinc non percutit ſibi pectus, ſed manus tenet junctas ante pectus, non ſuper altare poſitas, modo hoc ſupplici Deum adorans de requie, quam defunctis deprecatur. Ad tertium *Agnus Dei* addit *ſempiternam*, & ſic defunctis deprecatur gloriam animæ, & corporis, quia illa ſolius animæ non eſt quies ſempiterna. In fine miſſæ loco *Ite Miſſa eſt*, per quem dimitti ſolet populus, dicit *Requieſcant in pace*, & rite illum dicit verſus altare, quia ut notat Gavantus *par. 2. tit. 11. litt. l.*, in eo ſermo eſt de abſentibus. Huc reduci item poteſt omiſſio benedictionis aquæ, per quam ſignificatur juſtificatio populi, per aquam in Apocalypſi deſignari, cum tamen purgatorii animæ jam juſtæ ſint. Item prætermiſſio orationis de pace, quia defuncti non indigent pace temporali, cum ſit extra mundi perturbationes, & prælia.

VIII. Hinc facile eruuntur cauſæ, ob quas in miſſa ſolemni Subdiaconus poſt epiſtolam non oſculatur manum celebrantis, nec ab hoc ille benedicitur, ſicut nec Diaconus ante Evangelium, ad quod non tenentur luminaria, non defertur incenſum, non incenſatur liber, nec in fine celebrans, cui nec porrigitur Evangelium oſculandum. Cur Miniſtri, quando quid celebranti porrigunt, abſtineant a manus oſculis, & rei porrectæ. Cur pax non detur, ad introitum non incenſetur altare, & incenſatio ad Offertorium ſiſtat ſuper oblata, altare, & ſacerdotem, qui præparari debent ad proximam conſecrationem, & ad nullos alios tranſeat. Hæc enim omnia indicant lætitiam, aut hilaritatem, vel dicunt ſolemnitatem, vi cujus nec a Subdiacono patenam teneri aſſerit Quarti, ſed arridet magis ex Gavanto *par. 2. tit. 7. litt. r.* dicere, quod patena velata, quæ in vivorum miſſis tenetur in ſymbolum ſpei vitæ æternæ poſt calicem hujus vitæ, haud congruit miſſis Defunctorum, qui jam ab hoc mundo ſine mortali labe egreſſi, ſecuri ſunt de æterna vita.

IX. Iiſdem tamen aliquid non deeſt præcipuum, & eſt, quod ſubdiaconus tempore elevationis Sacramenti genuflexus in cornu Epiſtolæ illud incenſat, ubi in miſſis vivorum incenſatur ab acolytho; hoc autem, quia cum ſubdiaconus patenam non teneat, id muneris convenit præſtari a digniori miniſtro. A quo incenſum in thuribulum pro hac incenſatione poni debeat, a ſubdiacono reponunt aliqui, ſed ſequendum eſt Cærem. Epiſc.; quod *lib. 2. cap. 11.* §. 8. id muneris conſignat acolytho: *Subdiaconus ad elevationem, impoſito per aliquem acolythum thure in thuribulum, thurificabit SS. Sacramentum*. Etſi Rubrica taceat, adhuc quia ſubdiaconus impeditus non eſt in detentione patenæ, Auctores eumdem aſcendere faciunt ad ſiniſtram celebrantis, hunc adjuvare ex parte ſua, poſteriorem planetæ partem ſublevando, dum incenſantur oblata, & certum eſt, quod itidem aſcendere debet poſt præfationem ad dicendum cum Sacerdote *ſanctus*, ad cujus verſum *Benedictus* ſe ſignat, quidquid ſit de miſſis, in quibus tenet patenam, de qua re agetur alibi. Quia denique neque Diaconus occupatus eſt in incenſatione tempore *orate fratres*, ab ipſo reſponderi debet *Suſcipiat* Auctores ſimiliter firmant.

X. Verſus *Benedictus qui venit* quandonam in choro dicendus ſit, Miſſale non explicat, & ex hujuſmodi ſilentio rite dici videtur continenti filo cum præcedentibus verſibus, quibus eſt adjectus, ſicuti hoc pacto a Sacerdote dici mandatur. Cæremoniale Epiſc. *lib. 2. cap. 8.* illum decernit reſervari cantandum poſt calicis elevationem, quem ritum in choris omnibus ſervandum eſſe conſequenter edocent Gavantus *par. 2. tit. 7. lit. q.* & Meratus *ibidem num.* 84. Quia tamen hic ritus non præſcribitur a Miſſali, quod eſt in communibus choris agendorum regula, quinimmo magis oppoſitum ut ſupra videtur erui, ſcite advertit Quarti *par. 2. tit. 7. num. 2.* non eſſe damnandos illos, qui eamdem laudem unitim canunt ante conſecrationem abſente Epiſcopo; Cæremonialis namque diſpoſitio eſt de miſſis ſolemnibus, celebrante Epiſcopo, unde neceſſe non eſt eamdem traduci ad Miſſas ſolemnes, quæ ab aliis cantantur, abſente Epiſcopo. At quoniam dilationis prædictæ nec ratio deeſt, neque myſterium, priores namque verſus *Sanctus*, & *Plena* ſunt Angelorum voces, *Iſaiæ 6.* & ſpectant ad Divinitatis arcanum, poſterior vero eſt vox hominum, *Matth. 21. & Marci 11.*, & ad myſterium Incarnationis refertur, ideo cum laus iſta *Benedictus* addita fuerit poſt Chriſti Incarnationem, laudemus, opus eſt, earum Eccleſiarum uſum, qui eamdem dicendam differunt poſt realem Chriſti adventum, & præſentiam in Sacramento. Quæ dicta ſunto de miſſis omnibus vivorum, & mortuorum, in quibus organa non pulſantur, nam in iis, in quibus eſt uſus organi, fortaſſe non minus congrue prædicta laus præmittitur, ne interrumpatur ſonus gravis circa conſecrationem adhiberi præſcriptus, & eum neceſſe ſit in alium immutari.

XI. De præfatione ſic ſtatuit Rubrica 22. n. 2. *In Miſſis Defunctorum quocumque tempore ſemper dicitur præfatio communis.* Ex qua Guyetus *lib. 4. cap. 23. quæſt. 32.* rite infert, quod etiam *Communicantes*, ſemper debet eſſe commune, etſi miſſam dici contingat in feſtis, vel octavis proprio *Communicantes* gaudentibus; nulla enim eſt habitudo miſſarum pro Defunctis cum miſſis vivorum, unde & horum commemorationem quamlibet illæ excludunt, & pro earumdem celebratione nulla ratio habenda eſt feſti, vel temporis occurrentis.

XII. Funalia, quæ poſt præfationem deferuntur, in ſanctorum miſſis poſt elevationem calicis mandantur extingui, niſi facienda ſit communio, quo in caſu accenſa remanent uſque ad eamdem communionem peractam. Ratio hujuſce ritus eſt, ut majori pompa, quam in miſſis privatis, fiat elevatio SS. Sacramenti, & ad majorem devotionem, & reverentiam excitentur fideles, dum eis oſtenditur, & proponitur adorandum; hinc quia quando facienda eſt communio, iterum oſtenditur populo adoranda, & ſumenda hoſtia conſecrata, ob eumdem finem præcipitur, ut intortitia non extinguantur, niſi poſt communionem. Secus eſt de miſſis jejuniorum, & Defunctorum, in quibus a Rubrica VIII. *n.* 8. accenſa teneri mandantur uſque ad communionem ſacerdotis, tametſi non ſit facienda populi communio. Gavantus *par. 2. tit. 8. lit. Q.* exiſtimat hoc ita ordinari, ne in miſſis feſtivis portantes intortitia maneant genuflexi ceteris ſtantibus, ubi quia in miſſis vigiliarum, & mortuorum genuflexi manent omnes in choro poſt elevationem, & ceſſat illud inconveniens, quod ex ea varietate conſurgeret, convenit, ut acolythi cum funalibus accenſis maneant genuflexi uſque ad communionem ob præſentiam SS. Sacramenti in altari. In miſſis vero feſtorum, quando facienda eſt communio, non diſcedunt, ut inde redeant, ſed expectant communionem, quæ fieri debet cum accenſis luminibus. De more ſimiliter ſenſit Meratus *ibidem n. 29.*, ubi cum Gavanto a lege excipit vigilias Nativitatis, Paſchatis, & Pentecoſtes, quibus cum Bauldryo, & a Portu addit feriam quintam in cœna Domini, & quatuor temporum Pentecoſtes, quod in illis diebus non genuflectatur in choro.

XIII. Verum futilis eſt iſta ratio, & adeo frivola, ut miremur, quod a Gavanto produci potuerit, & ab aliis adoptari. Quando facienda eſt communio in miſſis ſanctorum, non reputatur abſurdum, quod acolythi cereorum ſtent genuflexi ceteris ſtantibus, quidni igitur & quando communio facienda non eſt? Addit Gavantus hoc permitti, ne cogantur diſcedere, iterum reverſuri; at quis non videt, quod ſæpe thuriferarius, cæremoniarius, aliique miniſtri recedunt, iterum reverſuri? Acolythi, ceroferarii, & cæremoniarius ad confeſſionem genuflectunt, ſtantibus miniſtris ſacris, & etiam iis, qui ſunt ad lectorile. Quando cantatur Epiſtola, ſtant miniſtri, & ſedent ii de choro; & Diaconus genuflexus petit benedictionem pro evangelio, ſtantibus aliis, & adhuc idem Diaconus cum aliis genuflectit ad verba evangelii *& procidentes adoraverunt*, cum tamen ſubdiaconus, & ceroferarii minime genuflectant. Prorſus itaque inepte dicitur, quod ut ſupra ordinatum fuerit ad vitandam illam varietatem, quæ nedum non parit deformitatem, ſed potius decorem, eſtque valde conveniens muneri cujuſque, atque Eccleſiæ ſplendori, quæ a Propheta repræſentatur nobis *circumamicta varietatibus*.

XIV. Aliunde igitur petenda eſt ratio, & cum apud Eccleſiam uſus ſit luminum nedum in reverentiam ſacramenti, ſed etiam ad excitandam fidelium attentionem, & devotionem erga ſacroſancta miſſæ myſteria, in jejuniorum, & Defunctorum miſſis præ illis feſtorum tenentur cerei uſque ad Sacerdotis communionem, etſi communio populi habenda non ſit, ut in illis, qui ſunt dies pœnitentiæ, & ad plangenda peccata præcipue deſtinati, & repræſentant nobis ſtatum miſerabilem animarum ſub ſervitute peccati, incitentur fideles ad validos actus pœnitentiæ, ferventioris contritionis, atque perſeverantis orationis pro venia, quamdiu durat in altari Sacramentum, & quodammodo efficaciores ſunt preces. Hinc quia Defunctorum miſſæ repræſentant purgatorii animas inter pœnas, & flammas, & ſuffragiorum noſtrorum admodum avidas, & indigas, Eccleſia, quæ earumdem miſeriis valde compatitur, prædicto ritu intendit excitare fideles ad tunc potiſſimum ſuccurrendum abundantius, & ferventius iiſdem animabus. Quoad vero recenſitos jejuniorum dies credimus intortitia removeri poſſe, quia etſi in iiſdem jejunetur, eorum tamen miſſa agitur feſtivo more, ac feſtorum inſtar, in quibus poſt calicis elevationem removentur.

XV. *Si diſtribuendæ ſunt candelæ*, habet Rubrica 13. num. 3., *diſtribuantur poſt Epiſtolam*. Sermo hic eſt de candelis, quæ diſtribuuntur clero, ſeu iis de choro, & cum ad Evangelium ſint accendendæ, *poſt Epiſtolam* mandantur diſtribui, & ita tempeſtive diſtribui debebunt, ut Evangelii tempore omnes poſſint eſſe accenſæ. Dictio *Si* ſatis indicat, candelarum diſtributionem, ac delationem non eſſe abſolute neceſſariam, ac conſequenter ſine eadem haberi poſſe miſſam ſolemnem Defunctorum; an autem neceſſario diſtribui debeant, quando miſſa celebratur præſente corpore, vel poſt miſſam facienda eſt abſolutio ad tumulum, ſuo loco reſervamus dicere. Etſi autem in caſu diſtributionis eaſdem teneri etiam abſolutionem Rubrica demandet, non propterea credimus earumdem diſtributionem eſſe dumtaxat alligatam miſſæ, ad quam abſolutio ſequitur, ſed etiam diſtribui poſſe in miſſis, poſt quas non fit abſolutio. Rubrica enim dumtaxat intendit aſſignare tempora, quibus teneri debent accenſæ, & inter hæc etiam aſſignat abſolutionem, quatenus iſta fiat; ceterum cum in agenda mortuorum per faces accenſas Eccleſia ſignificare intendat, quod eorum vivunt animæ, & quod Defuncti ſunt filii lucis, & myſterioſas plurimas, de quibus alibi, & ſtatim agemus, rationes habeat, ratio nulla ſuppetit, ob quam candelarum uſus in miſſis, quæ ſine abſolutione peraguntur, proſcriptus cenſeri valeat. Quatenus ita-

nus itaque abſolutio fiat, ad hanc quoque utique teneri debent accenſæ, & ſecus facere, eſſet contra Rubricam agere, ſicuti foret itidem contra Rubricam, ſi tenerentur ad ſolam abſolutionem, & non ad evangelium, & elevationem, ad quæ itidem teneri demandantur. Ceterum uti rite teneri poſſe credimus ad ſolam abſolutionem, ſi hæc ſine miſſa fiat, ita e contra ad ſolam miſſam, ſi ſine abſolutione peragatur. Quoniam tamen Rubrica aſſignat diſtincte tempora, quibus accenſæ teneri debent, reprobandum credimus uſum illorum, qui ultra ea, vel ad alia tempora eas tenerent accenſas; eſſet hoc enim novum ritum invehere, & Rubricam, ejuſque myſteria eludere.

XVI. *Accendantur ad Evangelium*, quo geniti ſunt Defuncti, *ad elevationem Sacramenti*, quo enutriti, *& ad abſolutionem*, qua in cælos evehi eoſdem deſideramus. Sunt verba Rubricæ cum expoſitione Gavanti *par.* 2. *tit.* 13. *lit. c.* ubi ſubdit, peracta elevatione calicis candelas non eſſe extinguendas, ſed ſolum poſt communionem Sacerdotis, argumento a ſimili ſumpto ex Purificatione B. Mariæ. Fortaſſe tamen validius argumentum depromitur ex ſuperius laudata Rubrica, quæ funalia nonniſi poſt communionem aperte edicit extingui. Verbum *accendantur* æque afficit Evangelium, elevationem, & abſolutionem, quare peracto evangelio ſtatim debent extingui, ſicuti & peracta communione, non poſſunt ſiquidem accendi, niſi prius fuerint extinctæ. Fallor, ſi huic facile non pareant monito, ægre alteri.

XVII. Teneri autem debent dumtaxat ab iis de choro, non a miniſtris, nec celebrante, exemplo ducto a Purificationis feſto, de cujus miſſa habet Cærem. Epiſc. lib. 2. cap. 17. *Miſſa juxta ſolitum perficietur, & in ea hoc ſolum erit ſpeciale, quod canonici, & ceteri de choro, dum cantatur evangelium, accendent candelas, & illas accenſas tenent uſque ad finem Evangelii, & iterum ad elevationem uſque poſt communionem.* Hic enim nulla fit mentio miniſtrorum, & celebrantis, cui conſequenter perperam Meretus *par.* 4. *tit.* 4. *n.* 20., aliique ab eo citati Auctores ſuam candelam conſignant, quam ſi ad evangelium tenere deberet, rueret præſcriptum Rubricæ VI. *n.* 5., quæ eo tempore vult Sacerdotem ſtare *junctis manibus*, cum tamen hac eadem de cauſa non tradatur Diacono evangelium *junctis manibus* ſimiliter legenti, nec aliis miniſtris per reſpectiva munia impeditis. Cur ad Evangelium, ad quod non deferuntur luminaria, in choro teneantur candelæ accenſæ, ſupereſt definire, & in rationem arbitrarer adduci poſſe, quod luminariorum delatio denotat ſolemnitatem, cujus ſigna quælibet interdicuntur in miſſa de requiem, ubi candelæ procul habent ſignum quodlibet ſolemnitatis, & innituntur aliis myſterioſis rationibus, ob quas & in iiſdem admittuntur ut ſupra innotuit.

XVIII. Qui miſſæ ſacrificium eſſentialiter compleri cenſent in communione ſacerdotis, applicationem miſſæ Defunctorum rite fieri arbitrantur in *memento* mortuorum, tamquam in opportuniori loco ab Eccleſia ipſa ad orandum pro mortuis deputato, & ulterius fructuoſe differri poſſe putant uſque ad eamdem communionem, in qua ſacrificium completur. Communior, & probabilior opinio tenet ſacrificium eſſentialiter compleri per conſecrationem utriuſque ſpeciei, quare cum ſacrificium operetur ſuum effectum, ſtatim ac completum eſt, nec ſuſpendi poſſit ejus effectus, ante conſecrationem neceſſario applicandum eſſe volunt. Loci hujus non eſt, theologicam hanc pertractare quæſtionem, ſed hinc nos ſolum contenti ſumus inferre, quod ante conſecrationem omnino applicari debet, nunquam quippe poteſt eſſe licitum, nec tutum, obligationi certæ, & liquidæ ſatisfacere ſolutione incerte, & dubia. Defunctorum vero *memento* inſtitutum non eſt pro loco ad applicandum Sacrificium, ſed ad exorandum Deum, pro quibus maluerit Sacerdos, unde Rubrica; *Oret pro iis defunctis, pro quibus orare intendit.* Secus eſt de vivorum *memento*, quod cum conſecrationem præcedat, aptum eſſe poteſt, ut in eo fiat applicatio, quando celebratur pro vivis, quinimmo nihil vetat etiam in eodem fieri poſſe pro mortuis, pro quibus & fieri poteſt ante miſſam, vel in ipſo actu conſecrationis, vel toto tempore, quod conſecrationem anteit.

XIX. Miſſam vivorum inter & mortuorum ſumimus perſcrutari diſcrimen, quod indicat forma ordinationis Presbyterorum: *Accipe poteſtatem offerendi Sacrificium Deo, miſſaſque celebrandi, tam pro vivis, quam pro defunctis.* Certe diſtinctio iſta non eſt in differentia quoad textum, ſeu verba miſſarum, cum hoc pacto non minus differat una miſſa vivorum ab alia, v. g. illa S. Stephani ab ea Nativitatis, & tamen diſcrimen iſtud non exprimitur in prædicta ordinationis forma. Neque cadit in oblationem, quam facit Sacerdos, quia & miſſam vivorum æque poteſt pro defunctis offerre, iiſque ſacrificii vim, & fructum applicare, & hic, qui ex opere operato procedit, æqualis eſt in miſſis omnibus. Rite itaque diſtinctionem illam Suarez *to.* 3. *in* 3. *par. diſp.* 78. *ſect.* 1. revocat ad cultum ſacrificii, ſeu ad ritum, & modum, quo Sacrificium ipſum ab Eccleſia aliter pro vivis, & aliter pro defunctis offertur. Miſſæ vivorum primario inſpiciunt cultum Dei, gratiarum actionem pro beneficiis collatis, & impetrationem beneficiorum ſpiritualium, & temporalium toti Eccleſiæ proficuorum, & neceſſariorum, & hi fines ſic ab Eccleſia intenduntur, ut a Sacerdote non poſſint immutari, vel excludi; exprimuntur enim verbis, ſeu orationibus, quibus miſſa ipſa conſtat, & quas Sacerdos tamquam Eccleſiæ miniſter, ejus nomine pronunciet. In mortuorum vero miſſis etſi ſacrificium ſit itidem in Dei cultum, & gratiarum actionem, attamen ex intentione Eccleſiæ non attendun-tur ii fines, ſed offertur, quatenus propitiatorium, ſeu ſatisfactorium, ut colligitur ex verbis, & precationibus, quibus tota ejuſmodi miſſa conſtat. Diſcrimen itidem deſumitur ex ritu, ſeu cæremoniis in mortuorum miſſis adhiberi ſolitis, quæ in multis diſcrepant a ritu, & cæremoniis miſſarum vivorum, ut ſatis conſtat ex ſuperius traditis. Huc igitur ſpectat diſcrimen miſſarum pro vivis, & pro defunctis ab ordinationis forma inſinuatum.

XX. In fine ordinationis ejuſdem præſcribitur, ut poſt primam miſſam ordinati celebrent alias de Spiritu Sancto, de B. Virgine, & pro defunctis; at quid, ſi duplex feſtum incidat? Scite reponit Gavantus *par.* 1. *tit.* 4. *lit. O.* intelligendum id eſſe *ſalvis Rubricis, alioqui abſonum eſſet celebrata prima miſſa in natali Domini, vel die Paſchatis, in tribus ſequentibus diebus miſſas prædictas recitari*; prævalere enim debet Eccleſiæ lex, cui contraire cenſendum non eſt Epiſcopi mandatum, ſed magis hoc ita accipiendum, ut celebrata prima miſſa urgeat pro primis diebus, in quibus juxta Eccleſiaſticas ſanctiones licet miſſas votivas, aut Defunctorum facere; quinimmo celebratio earumdem miſſarum ulterius adhuc differri poterit, ſi rationabilis cauſa ſubſit, civili namque modo, & honeſto idem præceptum debet accipi. Quapropter arbitremur itidem non applicationem Sacrificii, ſed ſolam miſſæ qualitatem, per quam Epiſcopi verba congruam interpretationem accipiunt, in præcepto conſtitui; non ſunt namque eſtruenda onera, niſi verborum, quibus lex conſtat, tenor cogat.

DECRETUM I. CAP. IN ORD. LXXIX.

Miſſæ Defunctorum non poſſunt celebrari, niſi cum colore nigro, vel ſaltem violaceo. S. R. C. 21. Junii 1670. *in Oritana*.

I. SAncte Eccleſia Regis ſuperni ſponſa, quamvis interiori, hoc eſt virtutum decore, velle in Domino potiſſimum glorietur juxta illud Pſalmi 44. *Omnis gloria filiæ Regis ab intus*, nihilominus etiam exterius decenti veſtium pompa componitur, miris colorum *circumamicta varietatibus*. Hinc pro feſtorum, & officiorum diverſitate diverſis itidem, & congruentibus utitur coloribus, quorum quatuor principales, referente Innoc. III. *lib.* 1. *de myſt. miſſæ cap.* 65. uſurpabantur olim, nempe albus, rubeus, viridis, & niger. *Albus* tamquam ſymbolum candoris vitæ, & caſtitatis; attributus extitit Confeſſoribus, & virginibus, *rubeus*, quod ſignificet fortitudinem in effuſione ſanguinis pro Chriſto, martyribus, & *viridis* feriis, & Dominicis per annum, eo quod cum medius ſit inter album, & rubeum, deſignat, quod ſunt medioeris ſolemnitatis. *Nigro* denique colore utebantur olim in diebus afflictionis, & abſtinentiæ, & pro Defunctis. Coloris *violacei* uſus non erat, niſi fortaſſe in feſto SS. Innocentium, & in Dominica *Lætare*, in priori caſu ob mœſtitiam cauſa intempeſtivæ eorum mortis, & ululatum matrum, & aliqualem lætitiam ſolemnitatis, in poſteriori ob lætitiam, quam deſignat aurea Roſa, & ob mœſtitiam temporis afflictionis; prædictus enim color mœrorem quidem denotat, ſed non undequaque, ſeu omnimodum.

II. Temporis tractu Eccleſia diſtinguendum eſſe putavit, & cum nigredo præſeferat mœrorem, obſcuritatem, & tenebras, color niger proprius viſus eſt mortis, quæ nos privat lumine vitæ, & ad tenebras ſepulcri detrudit, unde & communis uſus obtinuit, ut in morte cognatorum nigris veſtibus induamur. Color autem violaceus, qui eſt quaſi pallidus, & lividus, qualis ex carnis maceratione, & ex afflictione conſurgit, diebus pœnitentiæ, & jejuniorum, & peccatorum planctui deſtinatis, conſignatus extitit, ac ob aſſertam rationem SS. Innocentium feſto, niſi incidat in Dominicam, cujus lætitiæ cum color violaceus minus congruat, tunc mutatur in rubeum martyribus proprium, qualis & ſemper tribuitur eorum octavæ, quia hæc ſignificat glorificationem, cui incongruit omne mœſtitiæ ſignum. Hinc ubi in Ordinibus Romanis 13. & 14. diebus mœroris, & afflictionis repræſentetur nobis Pontifex veſtibus nigris indutus, in Ordine 15. apparet in violaceis.

III. Rubrica itaque ejuſmodi invecta fuit; *Nigro colore utitur feria ſexta in Paraſceve, & in omnibus officiis, & Miſſis Defunctorum*; in illa, quia in ea contigit Chriſti mors, & tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram, in his quia Defunctorum animæ in tenebris ſedent, pœnaſque luunt in purgatorio, quibus propterea Eccleſia lucem petit, & Requiem. Conſonanter igitur Defunctorum miſſis colorem nigrum Sanctio conſignat, tamquam qui vere, & proprie iiſdem congruit, violaceum vero dumtaxat per dictionem *ſaltem* in ſubſidium permittit, quatenus quodammodo ad nigrum proxime accedit, & afflictionem, & luctum denotat, unde parcus admodum erit ejus uſus, & fortaſſe ſolum in aliquali neceſſitate, qualis facile evenit in Eccleſiis, ubi plures ob concurſum, aut Defunctorum officium, ſimul celebrandæ ſunt miſſæ. Dictio autem *nonniſi* dat certam formam una cum dictione *ſaltem*, quæ aſſignat colorem ſubſidiarium, quare quicumque alius color manet proſcriptus.

IV. Ita quidem modo ſervari ſtatutum eſt, ſed Sacerdotes primitivæ Eccleſiæ veſtibus albis uſos fuiſſe aſſerit, & oſtendit Benedictus XIV. *in annot. par.* 4. *ſect.* 1. *num.* 52., & ad rem confert admodum, quod habet Thomas Valdenſis *tom.* 3. *cap.* 29. *num.* 13. de candidiſſimo colobio a Jacobo Apoſtolo adhiberi ſolito. Sacerdotes itidem veteris legis ad altare indumenta alba in uſum habuiſſe, non obſcure inquit Joſeph *lib.* 6. *Jud. bell.*,

Google

bell., hinc Angeli, qui ſignabant Sacerdotes templi, in Apocalyſi apparuerunt in veſtimentis candidis. Gentiles denique Sacerdotes niveis indutos veſtibus ad altare nobis oſtendit Sylvius Italicus *lib. 3.*

Ante aras ſtat veſte Sacerdos
Effulgens nivea.

V. Suidas tradit de Siſinio Novatianorum Epiſcopo, qui cum Arſacium Epiſcopum honoris cauſa viſeret, a quodam illius comitatus rogatus, cur veſtem Epiſcopo non convenientem ferret? Et ubi deſcriptum eſſet, ut Sacerdos candido amictu uteretur? Tu vero prius, inquit ille, dic, ubi ſcriptum ſit, ut nigris veſtiatur Epiſcopus. Illoque hæſitante ſubjecit: Tu quidem iſtud demonſtrare non poteris; me autem Salomon docuit, veſtimenta candida eſſe oportere, & Salvatorem ea evangeliis apparet veſte candida eſſe uſum, atque etiam Moyſem, & Eliam diſcipulis in candidis veſtibus oſtendiſſe. Verum dum verſaretur in terris, ſunt, qui Chriſto attribuunt veſtes cærulei coloris, qui vinacei, & qui violacei, & hujus, vel caſtanei coloris veſtimenta geſtaſſe clericos primitivæ Eccleſiæ, edocet Baronius *anno* 393. *num.* 48., illa Hieronymi *de vita clericor.* exponens verba: *Veſtes pullas æque devita, ut candidas.* Cæſar Benvenuti *diſcurſu hiſt. Coronol. quæſt.* 8. *cap.* 1. pluribus probat, eoſdem cum veſtibus candidis inceſſiſſe, unde nos arbitramur primis Eccleſiæ ſæculis indiſtinctum fuiſſe clericorum habitum, licet deinceps ab Eccleſia niger adoptatus fuerit, quem in clerum irrepſiſſe cenſet laudatus Baronius, cum & Monachiſmus in nonnullis Eccleſiis a clericis receptus eſt, & Epiſcopi creari ſunt ex Monachis, quibus talem colorem eorum modeſtia, & mundi contemptus dictaverat, ut ait Hieronymus *Epiſt.* 22., *& in epitaph. S. Marcellæ.* Unde S. Carolus *anno* 1565. clericis veſtes nigras demandat, & idipſum a Concilio Burdegalenſi anno 1583. cautum fuit.

VI. Verum illuc redeuntes, unde digreſſi fuimus, nobis dubium occurrit, num color auri in veſtibus ſacris æquivalere valeat aliis coloribus, & quibus? Quarti *par.* 1. *tit.* 18. *dub.* 2., quia aurum per lucidum aſſimilatur albo, & per igneum rubro, concludit pro hiſce coloribus, & adhuc viridi poſſe deſervire, non pro violaceo, & nigro; idque & affirmat Gerlacus Vinitor. Paſqualigus apud Tonellium *lib.* 1. *cap.* 3. §. 12. etiam violaceo, & nigro æquivalere poſſe ſentit; Turrinus vero *par.* 1. *ſect.* 4. *cap.* 4. tantum pro viridi in uſum eſſe poſſe putat, quia color auri nec albus, nec rubeus eſt, ſed color flavus, qui approximat viridi. Meratus *par.* 1. *tit.* 18. *num.* 1. adhæret Quarti, cui & nos ſubſcribimus, quia feſtiva, & ſolemnia ſunt paramenta aurea, & ideo minus apta, quæ inſerviant pro nigris, & violaceis, & nec dubitamus, quod a miſſis Defunctorum per præfatas dictiones a Decreto maneant excluſa.

VII. Succedit quæſtio, quid juris, ſi in eadem planeta, colores omnes habeantur. Turrinus cenſet, quod ſi colores omnes æque appareant, pro nullo deſervire poteſt, quia in nullo peculiarem determinationem habet; hoc enim eſſet contra mentem Inſtitutoris Rubricarum, qui ideo colores diſtinxit, ut una planeta adhiberetur, altera excluderetur, quando adhuc non reſpexiſſet ad particularia myſteria, quæ hoc ipſo eluſa manerent. Quod ſi unus ex coloribus prævaleat, tunc veſtis talis coloris eſt reputanda, & pro tali in uſum aſſe poteſt, non pro ceteris. Nobis arridet admodum hujuſmodi ſententia, cui temperamentum fortaſſe adhiberi poteſt relata ad Eccleſias pauperiores, & ad paramenta pretioſiora, ad illas, quia ob ægeſtatem via aliter poſſunt agere, ad hæc, quia non facile emuntur ſimilia cujuſque coloris. Parce tamen veſtibus ejuſmodi utendum eſt, & dummodo colores æque, vel quaſi æque appareant, nec admixtum habeant colorem violaceum, aut nigrum, ſaltem in notabili quantitate; hi enim colores indices mœſtitiæ ſunt, unde non congruunt lætitiæ feſtorum, & colores alii in ſacris veſtibus inſerti, niſi ſint in valde modica quantitate, indubie minus adhiberi valent in diebus luctus, atque mœſtitiæ, quibus concinne admodum color pulus eſt adaptatus, unde Andreas Alciatus *embl.* 117.

Index mœſtitiæ eſt pullus color: utimur omnes
Hoc habitu, tumulis cum damus inferias.

VIII. Quæ de veſtibus diximus, eadem militant de pallio altaris, quod tamen id habet particulare, quod quoties miſſa diſcordat ab officio, color pallii, ſeu altaris ſequitur officium, veſtium ſacerdotis miſſam. Pro miſſa vero ſolemni convenit, ut pallium etiam altaris concordet cum colore paramentorum miſſæ, ut ex Ruizio rite adnotavit Gavantus *par.* 2. *tit.* 18. *lit. a.* Altaria itaque, ad quæ celebrantur miſſæ privatæ Defunctorum, veſtita erunt pallio coloris officio conformis, & ſolum nigro colore veſtietur altare, ad quod cantanda eſt miſſa ſolemnis, ſed ſi in eo adſit tabernaculum SS. Sacramenti, hoc non conopæo nigro, ſed violaceo tegendum erit in honorem Chriſti viventis, ſicuti edocent Gavantus *par.* 1. *tit.* 20. §. *hactenus*, Bauldryus *par.* 3. *cap.* 13. *num.* 1., aliique. Fallit generalis adducta regula in Commemoratione omnium fidelium Defunctorum; cum enim hæc ex inſtitutione Eccleſiæ deſtinata ſit ſuffragiis omnium Defunctorum, officio duplici, quod eſt veluti pars officii divini, diſtincta, privilegiis plurimis condecorata, vi quorum etiam contra feſtum duplex prævalet quoad miſſas privatas (quæ non obſtante currenti officio de octava omnium Sanctorum a Rubrica ipſa tamquam miſſæ ordinariæ, & currentes aſſignantur, & ejuſdem miſſa ſolemnis *principalis* appellatur) haud dubitarem, quod pallia quælibet ea die debeant eſſe lugubria præter illud, ad quod celebratur miſſa octavæ; & idipſum congruenter erit de commemorationibus omnium Defunctorum alicujus Religionis, aut Congregationis, quas iiſdem privilegiis gaudere diximus. Indultum autem, quod a Decreto fit pro colore violaceo in veſtibus ſacerdotalibus, nil vetat etiam ad pallia extendi. Fallere item poteſt ſecunda regula de conopæo, quod Gavantus *par.* 4. *tit.* 8. *num.* 12. nigri coloris eſſe poſſe aſſerit, quoties in eo incluſum non eſt SS. Sacramentum, quod tamen a nobis minus probatur, ſed hac de re ſermo redibit alibi.

IX. Altare, ad quod facienda eſt miſſa ſolemnis, juxta Cærem. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 11. §. 1. parandum eſt *nullo ornatu feſtivo, ſed ſimpliciter, & nullis imaginibus cum ſola cruce, & ſex candelabris*; Hinc in eo ponendi non erunt flores, neque reliquiæ, aut Sanctorum imagines, neque figuræ mortis, aut imagines mortuorum. Nonnullæ Eccleſiæ in uſum habent inter candelabra collocare cupreſſus, ſed earum uſui aperte renititur laudatum Cæremoniale, quod nedum excludit ornamenta feſtiva, & imagines, ſed etiam vult altare paratum *ſimpliciter cum ſola cruce, & ſex candelabris*, quæ profecto verba excludunt quæcumque alia ornamenta, licet feralia, & funeris argumenta. Quod ſi cupreſſus adhibendæ non ſunt in Defunctorum miſſis, multo utique minus in miſſis coloris violacei: prædictæ enim arbores ſemper habitæ ſunt ferales, & in ſignum funeris ante Defunctorum ædes olim poſitæ. Juxta Tucididem ex cupreſſu ſepulcra erigebantur olim, aut ea contegebantur, vel juxta eam efferebantur, unde Virgilius *lib.* 2. *Æneid.*

Eſt urbe egreſſis tumulus, templumque vetuſtum
Deſertæ Cereris, juxtaque antiqua cupreſſus.

Et Claudius Caud. lib. 2. *Tumulos tectura cupreſſus.*

X. Gentiles eas Diti eaſdem fecit ſacras, earumdemque ramis Defunctos Diis Manibus commendabat. Ferunt Boream Celtarum Regem filiam habuiſſe Cypariſſam nomine, quam immaturo nimis functam fato, cum tumulaſſet, ea ratione in ejus tumulo prædicta ſurrexit arbor, quæ propterea funerea habita eſt, & nomen illi impoſitum *cypariſſus*. Ovidius *lib.* 10. *metamorph.* fabulatur aliter, nempe funeream, & Cypariſſum dici, quia ea funere nata, & ex funere Cypariſſi adeo formoſi pueri, ut vel Apollinem ipſum ſui captum amore detinuerit, a quo ille in cupreſſum transformatus extitit, quod cum Cervum, quem in deliciis habebat, imprudens occidiſſet, tanto eſt affectus dolore, ut & in lacrymas ſolveretur, & conſumptis tandem lacrymis, violentam ſibi injiceret manum.

Adfuit huic turbæ metas imitata cupreſſus,
Nunc arbor, puer ante Deo dilectus ab illo,
Qui citharam nervis, & nervis temperat arcus.

XI. Proſequitur idem Cæremoniale; *Gradus altaris, & totum presbyterium ſit nudum, excepto quod unum tapete ſub Faldiſtorio* (ubi non adſiſtit Epiſcopus poni poterit ſub loco, in quo celebrans ſedet) *& aliud ſuper primo gradu ſuppedanei apud altare ponetur, omnia paramenta tam altaris, quam Celebrantis, & Miniſtrorum, librorum, & Faldiſtorii ſint nigra, & in his nullæ imagines mortuorum, vel crucis albæ ponantur.* Intra presbyterium itaque interdictæ manent mortuorum imagines, ſecus alibi per Eccleſiam, qua de re fortaſſe alibi redibit ſermo. Gavantus *par.* 2. *tit.* 13. ſcribit de defunctorum miſſis: *Credentia vel nulla, vel ſimplex cum linteo brevi, & candelis accenſis ſuper ea*: Nullius credentiæ uſum Meratus *ibidem num.* 8. aperte reprobat, quia haud conveniens eſt, omnia, quæ præparari debent, ſuper altare, aut alio in loco ponere, & videtur ipſi, Gavantum, qui ſuper credentiam collocat candelabra cum candelis accenſis, inconſequenter loqui, licet inconſequantiæ perperam arguatur, collocat enim illa ſuper credentiam ſimplicem, quatenus apponatur, & quam poni poſſe non inficiatur.

XII. Verum credentiæ uſum diſerte admittit idem Cæremoniale, ſuper quam duo candelabra collocat cum candelis ceræ communis, ex cujus cera item eſſe debent candelæ in candelabris altaris, licet, ſi ab hæredibus, ad quos ſpectat, ſuppeditentur ex cera alba, tolerari poſſint. Paranda igitur erit credentia in cornu epiſtolæ, & cooperienda cum brevi mappa, quæ non pertingat uſque ad terram, & ſuper eam collocabuntur duo prædicta candelabra, & omnia alia, ut in vivorum miſſis, præter inſtrumentum pacis, & velum oblongum, quorum uſus non eſt in Defunctorum miſſis, poſt quas ſi facienda eſt abſolutio, ſuper credentiam ponenda item erunt vas aquæ benedictæ cum aſperſorio, & Rituale Romanum.

DECRETUM II. CAPITIS, IN ORDINE LXXX.

Sacerdos ſæcularis, ſive Cappellanus, ſive non, qui recitavit officium ſemiduplex, vel ſimplex, vel feriale, illo die celebrans in aliqua Eccleſia Regularium, in qua recitatum eſt ab ipſis Regularibus eadem die officium duplex de non præcepto, prout de aliquo Sancto ſui Ordinis, non poteſt dicere miſſam de Requiem. S. R. C. 9. Junii 1668. *in Converſana.*

1. SAcerdos, qui in ſuo Kalendario habet officium admittens miſſam de Requiem, accedens ad Eccleſiam, in qua agitur de duplici, miſſam de Requiem celebrare prohibetur. Ut Decreti ſcopus habeatur, juvat recenſere Decretum aliud 11. Junii 1701., quod ſacerdotibus, quodcumque officium ipſi recitent, imponit præceptum ſe conformandi quoad colorem, & miſſam Eccleſiæ, in qua celebrant, ſi in ea agatur feſtum

cum

cum ſolemnitate; ſubdit poſtea *In aliis vero diebus poſſunt*, diebus ſcilicet, quibus feſtum non agitur cum ſolemnitate, poſſunt quidem ſe conformare, ſed non tenentur. *Sed quando prohibentur miſſæ votivæ, vel Defunctorum, debent ſe uniformare, ſaltem quoad colorem.* Cum itaque occurrente feſto quolibet duplici, & etiam nonnullis aliis diebus privilegiatis, Miſſæ votivæ, & Defunctorum maneant proſcriptæ, ſenſus ſit, quod ſacerdos celebrans in tali Eccleſia, tenetur quidem ſe huic conformare quoad colorem, quatenus quoad miſſam, quod laudabile foret, ſe etiam conformare non placeat; verbum enim *Debent* neceſſitatem importat, & dictio *Saltem* eſt ſubſidiaria. Sed quam miſſam celebrare debebit? Si ipſa agat officium duplex, utique de ſuo officio, cui miſſa juxta Rubricas indiſpenſabiliter debet eſſe conformis; per hoc enim, quod celebret in aliena Eccleſia, non deperit jus, quod officium habet ad miſſam, ſi privilegio loci minime utatur. At quid, ſi miſſa ſui officii diverſum ab eo loci colorem expoſcat? Calebrabit miſſam ſui officii cum colore loci; haud enim decens arbitrata eſt Sanctio, non ſervari uniformitatem quoad colorem, qui parit difformitatem, quæ ſub omnium cadit oculos.

II. Quod ſi ipſe officium ſemiduplex, vel inferioris ritus recitet, non tenebitur quidem miſſam de ſuo officio facere, ſed uti poterit licentia, quam ſuper miſſis votivis Rubrica elargitur, eam tamen recitando ſub colore officii duplicis Eccleſiæ, in qua celabrat. Diximus *ſuper Miſſis votivis* tacitis miſſis Defunctorum, ſuper quibus eadem Rubrica non minus licentiam facit, quia cum teneatur ſervare colorem Eccleſiæ, & miſſa de Requiem juxta præcedens Decretum nonniſi ſub colore nigro, aut ſaltem violaceo celebrari queat, jure præſens Decretum eamdem dici inhibet, utpote quia apta non eſt ſuſtinere colorem Eccleſiæ, in qua celebratur. At quid, ſi color Eccleſiæ ſit violaceus, ſub quo miſſa de Requiem celebrari poteſt? Caſus eſt fere impoſſibilis, nam dumtaxat officia Adventus, & Quadrageſimæ colorem violaceum expoſcunt, & ex his, quæ miſſas Defunctorum reſpuunt, communia ſunt, & privilegiata apud Romani ritus cultores omnes, videlicet Dominicæ, vigilia Nativitatis, feria quarta cinerum, & feriæ quælibet majoris hebdomadæ. Verum caſus impoſſibilis reapſe non eſt, ſed evenire poteſt in feſto SS. Innocentium, quoties alicubi puta per Dedicationem Eccleſiæ impeditum, transfertur extra octavam Nativitatis, in diem nempe, in quo ſacerdos ille celebrans de feſto ſemiduplici officium ageret, & ſic in feſto, ſi quod eſſet coloris violacei. Quapropter dicimus, quod adhuc ſub colore violaceo miſſæ de Requiem dici non poſſunt, nedum quia has Sanctio abſolute depellit, ſed adhuc, & potiſſimum quia tale diſcrimen eſt miſſas vivorum inter & mortuorum, quod illæ, ſi ſerventur color, vix a populo deprehenduntur diſſimiles, ubi cum miſſæ Defunctorum adeo in plurimis, quæ ſub oculos manifeſta cadunt, & præſertim in omiſſione benedictionis ſuper populum, diſcrepent ab illis vivorum, etiamſi in colore feſti celebrarentur, poſſibile non eſt, quod non ſecernantur ab illis feſti, & ab his agnoſcantur diſcordes. Patens autem eſt, quod externa ſaltem intenditur conformitas, & remotio offenſionis populi, cum utique non aliam ob cauſam uniformis color exquiratur.

III. *In qua recitatum eſt ab ipſis Regularibus eadem die officium duplex.* Equidem inhibitio lata eſt ſuper ſacerdote ſæculari celebrante in Eccleſia Regularium, ſed rationis identitas inhibitionem non minus extendit ad ſacerdotes Regulares celebrantes in Eccleſia Sæcularium, aut aliorum Regularium, & licet Sanctio diſponat ſolum de caſu occurrentis *officii duplicis de non præcepto*, cujuſmodi ex alibi dictis ſunt officia per terminos facultativos conceſſa, eadem de cauſa traducenda eſt item ad feſta duplicia rigoroſe de præcepto, quinimmo etiam ad duplicia ad libitum, illa enim indubie potius jus habent, & hæc ſuppoſita eorumdem celebratione integrum jus ſervant ad miſſam, perinde ac ſi de præcepto forent. Denique ſatis conſtans eſt, quod protendi debet itidem ad dies omnes, in quibus prohibentur miſſæ votivæ, & Defunctorum, id ſuadente identitate rationis, & multo magis laudato Decreto 11. Junii 1701.

IV. Si vero quis habens officium duplex, celebret in Eccleſia, in qua agitur de ſemiduplici, cum poſſit ſe conformare Eccleſiæ, in qua celebrat, non tenebitur miſſam facere de ſuo officio, & quatenus eam facere velit, non ritu votivo, nec ſub colore Eccleſiæ, ſed ritu feſtivo, & ſub colore congruenti officio debebit illam agere, cum enim miſſa illa ſit conformis officio, inter votivas rejicienda non eſt, & cum color Eccleſiæ tunc non ſit in præcepto, ſed etiam a ſacerdotibus illius Eccleſiæ in alium poſſit, & debeat immutari juxta qualitatem miſſæ, quam celebrant, ita quoque erit de extero ſacerdote in eadem Eccleſia celebrante, qui conſequenter etiam poterit miſſam de requiem, & quamcumque aliam facere; ſi tamen eam celebret de feſto Eccleſiæ, non votivo more illam faciet, ſed feſtivo, ut eruitur ex Decretis plurimis, in quibus cautum eſt, quod obligatus miſſam votivam de B. Maria celebrare, debet feſtivam de occurrenti octava facere, ſi celebret infra octavam aliquam ejuſdem B. Virginis.

V. Ex his uberem intellectum habes Rubricæ 4. *num.* 3., quæ votivas nuncupat miſſas illas, quæ non ſunt *conformes officio*, & exoptat, ut quoad fieri poteſt, *miſſa cum officio conveniat*; id enim accipi debet non de ſolo officio ſacerdotis celebrantis, ſed de officio vel ſacerdotis celebrantis, vel Eccleſiæ, in qua celebratur, licet non deſint miſſæ nec officio ſacerdotis, nec Eccleſiæ conformes, quæ tamen votivæ non ſunt, ſed juxta Rubricas tamquam occurrentes, & ordinariæ celebrandæ. Rubrica itidem 18. *de coloribus*, dum miſſis Sanctorum juxta eorum qualitatem aſſignat diverſos colores, intelligenda eſt, dummodo non celebrentur miſſæ in Eccleſiis, in quibus ratione officii duplicis inibi occurrentis alius color in præcepto non ſit conſtitutus.

VI. Æquum eſt, nunc demus Decretum (& ſit cap., in ord. 81.) quod præſentis uberem expoſitionem nobis adminiſtravit, eamque una ipſum accepit; *Sacerdotes, etiam Regulares, diebus, quibus propria officia recitant ſub ritu duplici, celebrantes in alienis Eccleſiis, quando peragitur feſtum cum ſolemnitate, & concurſu populi, debent celebrare miſſam conformando ſe ritui, & colori earumdem Eccleſiarum. In aliis vero diebus poſſunt, ſed quando prohibentur miſſæ votivæ, vel Defunctorum, debent ſe uniformare, ſaltem quoad colorem.* S. R. C. 11. Junii 1701. *in una tertii Ordinis S. Franciſci.*

VII. Conſimile prodiit Decretum aliud (erit 4. cap., in ord. 82.) videlicet: *Sacerdotes exteri confluentes ad Eccleſias, etiam Regularium, & celebrantes de Sanctis, etiam Ordinis, quando feſtum celebratur cum ſolemnitate, & concurſu populi, debent in miſſis ſe uniformare cum ſacerdotibus illius Eccleſiæ, etiam Regularibus, quoad* credo, *& numerum orationum non duplicium; in aliis vero diebus poſſunt.* S. R. C. 11. Junii 1701. *in una Tertii Ordinis S. Franciſci.* Quando feſtum Eccleſiæ, in qua exteri celebrant, agitur cum ſolemnitate, & concurſu populi, iiſdem ut ſupra demandatur uniformitas miſſæ cum ſacerdotibus Eccleſiæ; & nota to *etiam Ordinis*, ut hinc ediſcas talem conformitatem tenendam eſſe, ſive idem feſtum ſit proprium, & indigenum Ordinis, qui Eccleſiam incolit, ſive quodcumque aliud. Quæ uniformitas ſervanda nedum eſt quoad miſſam de feſto, ſed etiam *quoad credo, & numerum orationum*, ut hinc habeatur undequaque conformitas, qualis utique congruit feſto, quod in Eccleſia illa ſpecialem ſibi vindicat ſolemnitatem. *In aliis vero diebus poſſunt*, addit Decretum, quia cum liberum ipſis ſit, aliam miſſam ſub colore Eccleſiæ facere, nec tenentur in iiſdem *Credo* dicere, nec eumdem ſervare orationum numerum, ſed magis quoad hæc, quæ ſub oculis populi minus cadunt, & vix a populo rituum ignaro deprehenduntur, ſe conformare miſſæ, quam celebrant. Huc ſpectat *poſſunt* Decreti; quia ſi ſacerdos ſe conformat in miſſa feſto Eccleſiæ, æquum etiam eſt, ſe conformet ritui, quo Eccleſia tale feſtum celebrat; hoc enim ipſo ſacerdos renunciat arbitrio, quod habet ſuper aliam miſſam, & illico integrum jus intrat, quod in ea Eccleſia feſtum habet.

DECRETUM V, CAPIT. IN ORDINE. LXXXIII.

In Eccleſiis Regularium diebus Dominicis, quibus tam Regulares, quam exteri celebrant de Dominica, poſſunt exteri uti coloribus paramentorum, quibus utuntur Regulares ratione alicujus octavæ; & Regulares celebrantes in alienis Eccleſiis, uti coloribus juxta ritum eorumdem, & tam exteri in Eccleſiis Regularium, quam Regulares in alienis poſſunt apponere commemorationem octavæ ut ſupra occurrentis, ſervata Rubrica de duplici oratione in Dominicis infra octavam. S. R. C. 11. Junii 1701. *in una Tertii Ordinis S. Franciſci.*

I. UBi in ſuperioribus Decretis ſermo eſt de ſacerdote ſæculari, aut Regulari celebrante in Eccleſia, in qua agitur officium diverſum ab eo, quod ille recitat, nunc inſtituitur de eodem ſacerdote, qui celebrat in Eccleſia, in qua idem cum ſuo dicitur officium, ſed miſſa alium colorem expoſcit ob octavam occurrentem in Eccleſia, in qua celebrat, cum tamen ipſe eidem octavæ minime incumbat. Caſus evenit in Dominicis non privilegiatis, occurrentibus infra octavam, in quibus quando officium agitur de eadem Dominica, juxta Rubricam adhibendus eſt color octavæ, quantumvis ipſa alium colorem expoſcat. Volo, ut adnotes, quod præſens Decretum eſt reſponſio ad tertium dubium *in eadem Tertii Ordinis S. Franciſci* propoſitum, & reſolutum, ut hinc ediſcas, quod to *poſſunt uti coloribus &c.* invectum dumtaxat extitit in reſolutionem ratione petitionis; ſed non dicit arbitrium, ita ut poſſint uti, & non uti, ſed talem iiſdem declarat utendi facultatem, ut ſimul juncta ſit cum neceſſitate, ſeu præcepto. Cum enim dies Dominicæ ſint ex diebus, quibus prohibentur miſſæ votivæ, & Defunctorum, locum habet reſponſio ad primum dubium, quæ diſerte firmat, quod *debet ſe conformare, ſaltem quoad colorem*, niſi dicere velimus, quod Congregatio ſimul contraria ſtatuerit, quod & excogitare nefas eſt.

II. Quod vero poſſint ſe conformare in commemoratione octavæ, & orationum numero, jam deciſum fuerat in reſponſione ad ſecundum dubium de feſtis, quæ ſine ſolemnitate in aliena Eccleſia celebrantur. Reliquum igitur ſolum eſt, videamus, an etiam hic to *poſſunt apponere* ſtet pro arbitrio, vel præcepto? Ex ſuperius tradita præceptum importare videntur; diximus enim, quod quando quis ſe conformat in miſſa cum feſto Eccleſiæ, debet etiam ſe conformare quoad ritum, & numerum orationum. At ſatis diſpar eſt ratio, quia ibi ſe conformat Eccleſiæ in feſto, hic vero dici non poteſt, quod ſe conformet Eccleſiæ in officio, cum ipſe jam ſupponatur idem officium cum Eccleſia facere, ſeu tam a ſacerdote, quam in Eccleſia de eadem Dominica officium fieri. Cum

itaque

Digitized by Google

itaque juxta reſponſionem ad ſecundum dubium non teneatur, ſed ſolum poſſe, qui celebrat in aliena Eccleſia, ſe huic conformare quoad orationum numerum, idcirco cum in præſenti caſu definiri non poſſit, quod ſacerdos ſe conformet Eccleſiæ in miſſa de Dominica, quæ jam currit etiam juxta ſuum Kalendarium, *poſſum* non neceſſitatem dicet, ſed arbitrium.

DECRETUM VI. CAPIT. IN ORDINE LXXXIV.

Prohibitio facta 9. Junii 1668. ſacerdotibus ſæcularibus, etiam Capellanis, qui licet recitaverint officium ſemiduplex, vel ſimplex, vel feriale, ne celebrent miſſam de requiem in Eccleſiis Regularium, in quibus recitatum ſit officium duplex de non præcepto, vel de aliquo Sancto eorumdem ſui Ordinis, intelligi etiam debet pro Eccleſiis Monialium. S. R. C. 11. Febr. 1702. *in Tarviſina*.

I. INhibitio in Decreto 2. abunde fuit expoſita, ſed cum facta fuerit in favorem Eccleſiarum *Regularium*, factum eſt dubium, num in eadem comprehenſæ manerent itidem Eccleſiæ Monialium? Puſillum ſane dubium, quaſi *Regularium* appellatione Moniales minime venirent, & eadem æque de utriſque non militaret ratio. Rite igitur affirmative Congregatio reſpondit, cujus deciſio procedit, ſive Moniales pareant Ordinariis locorum, vel Prælatis Regularibus; non ſemel enim vidimus, quod quoad ea, quæ ad ſacros ritus, divinaque ſpectant officia, ſemper quæ deciſa ſunt pro Regularibus viris, declarata fuere itidem procedere de Regularibus fœminis quibuſcumque, licet Ordinariis locorum ſubjectis. Locorum Ordinariis quoad directionem Monialium occupant locum Prælatorum Regularium, circa Eccleſiaſticos ritus, miſſaſve nihil diſponere valent, & ipſæ integram uniformitatem ſervare tenentur cum Ordine, cujus regulam profitentur; unde igitur unquam rite dubitari potuit, quod præfata inhibitio non extenderetur etiam ad earumdem Eccleſias, quando adhuc illa Eccleſiis ſæcularibus minime competeret? Nedum itaque prædicta prohibitio æque militat de Eccleſiis Monialium, ſed etiam omnia ea, quæ in tribus aliis Decretis expoſitis ſtatuta ſunt, atque in eorumdem expoſitione firmata.

II. Potius nos dubium volumus excitare, an nempe uſquemodo producta Decreta militent dumtaxat de ſacerdote ad celebrandum accedente ad Eccleſiam, in qua eſt uſus chori, an vero etiam de accedente ad oratoria, aliaſque Eccleſias, in quibus uſus chori non eſt? Et certum eſt, quod præſens, uti & illud, quod explicat, reapſe diſponunt de Eccleſiis choralibus, nempe *Regularium, & Monialium in quibus recitatum eſt officium duplex*. Et quidem de hujuſmodi Eccleſiis utique validior procedit ratio, ſunt namque præcipuæ, & in iiſdem Sanctus habuit officium, unde jus etiam habet ad miſſam, ſin minus, ſaltem ad colorem ſuo officio convenientem, ubi illæ, in quibus uſus chori non eſt, vix a Rubricis attenduntur, nec in iiſdem Sanctus habuit officium, ut inde argui valeat ad conformem miſſam, aut colorem. Hinc rite nos inferre poſſe credimus in Eccleſiis, in quibus uſus chori non eſt, ſacerdoti eſſe liberum, vel ſe conformare Eccleſiæ in miſſa, vel hanc dicere de ſuo officio, & ſi hoc ita patiatur, adhuc miſſam de requiem, etſi Kalendarium, quo Eccleſia utitur, vel ſacerdos ejuſdem curæ deſtinatus, officium duplex adnotet, exceptis dumtaxat feſtis illis, quæ in tali Eccleſia ſolemniter celebrarentur, in quibus undique decens eſt uniformitatem ſervari. Quod adhuc limites, volumus, pro iis Eccleſiis, in quibus etſi uſus chori non ſit, plures quotidie ſacerdotes celebrant; in iſtis enim etiam ab exteris ut ſupra decet uniformitatem teneri in qualitate miſſæ, vel ſaltem in colore.

DECRETUM VII. CAPITIS IN ORDINE LXXXV.

Non poſſunt celebrari miſſæ, etiam pro animabus purgatorii, una hora poſt meridiem. S. R. C. 24. Nov. 1661. *in Neapolitana*.

PErparam Meratus *par.* 1. *tit.* 5. *n.* 2. Decretum legit ſine dictione *etiam*, quam in eodem rite inſerit in Decretorum indice n. 415., deſignat enim nullam diſpenſationem fieri in favorem animarum purgatorii, reprobatque antiquum uſum ſacrificandi ad morientium tranſitum, agoniam, atque exequias, quacumque hora hæc eveniſſent, de quo uſu jam egimus in cap. 4. vidimuſque haud convenire quidem, quod exequiæ ſacrificio deſtituantur, ſed quod ſolis precibus ſunt peragendæ, *ſi hora*, ut ait Rituale, *non fuerit congruens*, quantumvis celebraturi jejuni forent.

II. Tridentinum *ſeſſ.* 22. diſtricte præcipit, *ne ſacerdotes aliis, quam debitis horis celebrent*; quænam autem ſint horæ debitæ, diſerte notat Rubrica XV. *miſſa privata poſt matutinum, & laudes, quacumque hora ab aurora uſque ad meridiem dici poteſt*, quare utile celebrandi ſpatium ab aurora incipit, & in meridie deſinit. *Miſſam privatam* rubrica nominat, non quia aliter fieri poſſit in cantata, vel ſolemni, ſed quia hanc ſtatim infra adnectit horis officii, quæ ceteroquin correſpondent horis diei intra idem ſpatium. Miſſa Conventualis, & ſolemnis in feſtis duplicibus, & ſemiduplicibus, & infra octavas dici mandatur poſt horam tertiam; in feſtis ſimplicibus, & feriis per annum poſt horam ſextam; & in adventu, quadrageſima, quatuor temporibus, etiam infra octavam Pentecoſtes, & vigiliis, quæ jejunantur, quamvis ſint dies ſolemnes, poſt horam Nonam. Recolenda nunc ſunt, quæ late fuerunt tradita in tomo 1. cap. 38. circa horas, quibus prædictæ horæ canonicæ dicendæ ſunt, & circa variationem plurimam, quam temporis tractu paſſæ ſunt, & præſertim horæ Nonæ, poſt quam indicitur miſſa jejuniorum, & adventus, ut hinc eruatur, qua hora diei præfatæ miſſæ dici debeant. Juvat nunc ſolum hic reminiſci, quod modo jejuniorum miſſa non amplius, ut olim, differri poteſt poſt meridiem, ſed ſimul cum ipſa hora Nonæ ante meridiem eſt anticipanda, ſaltem quatenus poſt ipſam miſſa jejuniorum ſit dicenda.

III. Hinc noſcitur etiam hora, in qua miſſæ cantatæ Defunctorum dici debent, illa nempe commemorationis omnium Defunctorum, aliæque ſolemnes poſt horam Nonæ inſtar miſſarum de jejunio vel præſcriptæ ſunt haberi, vel indultæ, earumdem vero minus ſolemnes poſt horam Primæ, aut poſt Defunctorum vigilias, quatenus hæ dicantur in mane, unde compertum eſt, quod quæcumque Defunctorum miſſæ ſolemnes, ſive cantatæ nunquam præmitti poſſunt auroræ, nec meridiei poſtponi. Bononiæ abuſus irrepſerat occaſione cujuſdam feſtivitatis in honorem Deiparæ dictæ de S. Luca legendi miſſam ante auroram, & canendi alteram poſt meridiem. Cum abuſus ejuſmodi devenisſet ad aures Clementis XII., per Sacram Concilii Congregationem die 20. Martii 1737. ſcribi fecit ad Eminent. Cardinalem tunc Archiepiſcopum Bononienſem, nunc univerſalis Eccleſiæ Pontificem Summum Benedictum XIV., ut edicto, & pœnis propoſitis caveret, ne ſacerdotes tam Sæculares, quam Regulares *aliis, quam debitis horis celebrent juxta Eccleſiæ præceptum, ejuſque rubricas*, ultra ordinariam, qua pollebat, etiam interpoſita auctoritate delegata. Cum itaque per Rubricas tempus celebrandi ab aurora protrahatur ad meridiem, indubie caſſatum manet Decretum Teleſphori Papæ relatum *cap.* 48. *Nocte ſancta de conſecr. diſt.* 1., ubi præter noctem Nativitatis mandantur non celebrendæ miſſæ ante horam diei tertiam, perſtat tamen adhuc indultum pro miſſa Noctis Nativitatis Domini, ſuper quam loci hujus non eſt ſermonem facere.

IV. Reliqua, quæ ad tempus celebrandi pertinent, in ſequenti Decreto expectet Lector, dum nos digredimur perveſtigare, num matutinum cum laudibus ita miſſæ præmitti debeat, ut ſecus facere peccatum ſit, & quale? Dubium non eſt, quod matutinum cum laudibus præmitti debet, cum id aperte laudata Rubrica præſcribat, & hæc ratio ſuadeat, quia matutinum ad officia nocturna ſpectat, miſſa ad diurna, unde debitus inverteretur ordo, ſi matutino præponeretur miſſa. Dum Rubrica indicit præviam recitationem matutini cum laudibus, dictionem *ſaltem* adhibet, & per eam laudabile fore deſignat, ſi præmittantur itidem omnes horæ illæ, quæ attento tempore, in quo quis celebrat, juxta ritum Eccleſiaſticum dictæ eſſe deberent, licet poſtea contenta ſit prævia recitatione matutini cum laudibus, quia aliàs hinc ſequeretur inverſio notabilis, præmitteretur namque officium diurnum nocturno, ubi in caſu altero dumtaxat haberetur inverſio aliqua inter ipſa officia diurna.

V. Matutinum miſſæ non præmittere, ſi rationabilis adſit cauſa, nullo peccato notant communiter Auctores; ſi cauſa deſit, nonnulli lethali culpa, alii veniali, & alii penitus excuſant. Prima opinio rigidior eſt, poſtrema laxior, quare adoptamus ſecundam; ad ſummum enim intervenit inverſio aliqua officii divini, unde ſicuti recitare tertiam non perſoluta prima, vel adhuc matutino, eſt quidem culpa, ſed venialis, ita etiam miſſam dicere non recitato matutino, nonniſi ad ſummum veniale peccatum erit. Quinimmo cum inter officium, & miſſam tanta non adſit connexio, & ſubordinatio, quanta eſt inter officii partes, teſte rubrica ipſa, quæ permittit miſſam dici non perſolutis iis horis diurnis, quæ attento recitationis tempore dictæ eſſe deberent, aut quibus eadem rubrica conventualem miſſam poſtponit, quælibet vel levis cauſa potis eſt ab omni excuſare culpa celebrationem miſſæ matutino non præmiſſo.

VI. Conſuetudinem, atque rubricam prima ſententia allegat, ſed vix conſtat de conſuetudine, & adhuc non animo ſe obligandi, ſed majoris devotionis, & decentiæ gratia creditur invecta. Rubrica vero, etſi a Gavanto *par.* 2. *tit.* 1. *lit. b.* inter præceptivas cenſeatur, *ibidem n.* 5. dumtaxat *prope præceptiva* dicitur, a Merato autem *par.* 3. *tit.* 12. *n.* 7. magiſtri ſui opinionem temperante inter directivas, & doctrinales rite connumeratur; ſi enim rubricæ ejuſmodi præceptivæ cenſendæ forent, etiam grave peccatum eſſet, celebrare non lotis manibus immediate ante miſſam, quod quis diceret?

VII. Quoniam vero rubrica horas canonicas inſuper ſignat, poſt quas conventuales, ſeu ſolemnes miſſæ haberi debent; his nedum neceſſarium erit præmittere matutinum cum laudibus, ſed etiam reſpectivas horas canonicas? an autem ſub peccato? Auctores communius ſub gravi culpa cenſent, verum quæ ſuperius produximus, ſi deſit ſcandalum, gravis culpæ periculum profecto removent, & fere idem judicium, ac de privata miſſa, habendum eſſe denotant, licet poſtea nos arbitremur, quod fortior debeat adeſſe cauſa, ut valida ſit prædictam publicam inverſionem ab omni culpa vindicare.

DECRETUM VIII. CAPITIS, IN ORDINE LXXXVI.

Ubi non eſt aurora phyſice, pro licita miſſarum celebratione attendetur ee moraliter, & politice, quando ſcilicet terminari ſolet hominum quies, & inchoari labor, juxta probatam regionum conſuetudinem. S. R. C. 18. Septembris; & 2. Novembris 1654. *in una miſſalis Romani*.

I. IN medium prodeat D. Thomas, qui 3. *par. quaſt.* 83. *art.* 2. *ad* 4. fere quidquid habet, quod nos ſtatim daturi ſumus. *Regulariter miſſa debet celebrari in die, & non in nocte, quia ipſe Chriſtus eſt præſens in hoc ſacramento, qui dicit Jo. 9. Me oportet operari opera ejus, qui miſit me, donec dies eſt: veniet nox, quando nemo poteſt operari, quamdiu in mundo ſum, lux ſum mundi: ita tamen, quod principium diei accipiatur non a media nocte, nec etiam ab ortu ſolis, ideſt quando ſubſtantia ſolis apparet ſuper terram, ſed quando incipit apparere aurora; tunc enim quodammodo dicitur ſol ortus, in quantum claritas radiorum ejus apparet, unde & Marci 16. dicitur, quod mulieres venerunt ad monumentum orto jam ſole, cum tamen venerint, cum adhuc tenebræ eſſent ad monumentum, ut dicitur Joan.* 20. Jam in præcedenti Decreto diximus, quod miſſa in die, non in nocte dici debet; non aliter quippe expoſcit hæc ſacra functio, quæ ſumma vigilantia, & circumſpectione agi debet. Diſpoſitionis nec deeſt ratio altera, quia nempe ex nocturnis utriuſque ſexus conventiculis facile exoriri ſolent abuſus plurimi, ad quos eliminandos, cavendoſque etiam nocturnas vigilias alibi obſervavimus fuiſſe ſublatas.

II. Verum ne ſimul fidelibus, qui variis curis, laboribuſque diſtinentur, communia commoda ſurriperet, Eccleſia diei initium ad effectum ſacrificandi non ab ortu ſolis, ſed ab aurora petendum eſſe cenſuit. Sol tunc vere oriri dicitur, quando corpus ipſum ſolare, ejuſve radii noſtris apparent oculis, aurora vero incipit, quando non radii ſolares, ſed horum claritas, ſeu prima lux per terram diffundi incipit. Hoc lucis initium dicitur crepuſculum, quaſi lux dubia, ſeu media inter noctem, & diem, & præcedit ortum ſolis plus minuſve juxta temporum, locorumque varietatem, ad quod dignoſcendum apte inſervire poterunt reſpectivæ Eccleſiarum tabulæ. An hocce auroræ initium accipiendum ſit mathematice, & indiviſibiliter, an vero moraliter, & cum aliqua latitudine, Auctores diſputant, & quia æquitas, & recta ratio dictat, in rebus moralibus morali menſura, non metaphyſico rigore utendum eſſe, communius illud moraliter accipiunt, & cum aliqua latitudine, quam diverſimode extendunt, alii nempe ad ſemihoram, alii ad quadrantem, alii ad tertiam horæ partem, & horum opinioni cum ſuffragetur Romana praxis, atque accedat Benedictus XIV. *to.* 1. *notif.* 13., *& to.* 4. *notif.* 1., etiam tota Fidelium turba ſe tuto conformare poterit, & coincidit cum ea, quam ex Auctoribus nos probaremus magis, ut videlicet tanto tempore miſſa inchoari valeat ante auroram, quantum ſufficit ad conjungendum finem miſſæ cum principio auroræ.

III. At quid, ſi quis per breve ſpatium auroram anticipet? Peccatum veniale fore nonnulli cenſent ex levitate materiæ, quæ ſi datur in aliis præceptis, quidni & in hoc? Vel nullum, vel lethale peccatum eſſe probabilius putant alii, quia in præceptis ſimilibus non datur parvitas materiæ ex parte temporis lege præfiniti, unde v. g. qui in die jejunii paululum ante vel poſt mediam noctem, in qua expirat, vel incipit, carnem comedit, peccat mortaliter. Et quidem vel ut ſupra anticipans dici poteſt, quod moraliter celebret in aurora, & ſic nullum peccatum committit, vel non verificatur, eum celebrare in aurora, etiam moraliter accepta, ac conſequenter mortaliter peccat, tanquam abſolute, & ſimpliciter tranſgreſſor præcepti, cujus etiam moralem latitudinem prægreditur.

IV. Factum eſt dubium, quid agendum iis in regionibus ſeptemtrionalibus prope polum, in quibus cum per ſex menſas habeatur perpetuus dies, & per alios ſex perpetua nox, nempe ab uno æquinoctio ad alterum, phyſice aurora nunquam habetur, & Congregatio ita reſpondit inibi moraliter, & politice eſſe attendendum, quando ſcilicet ibi terminari ſolet hominum quies, & inchoari labor, ut etiam uſuvenit, ubi habetur aurora phyſice. *Juxta probatam regionum conſuetudinem* eddit Decretum, videlicet communiter receptam, non autem aliquorum duntaxat. Quod ſi præfatum tempus, quo quies ceſſat, labor incipit, ſtat inibi loco auroræ, miſſa anticipari adhuc poterit eodem prorſus pacto, quo ut ſupra anticipari poſſe diximus, ubi habetur aurora phyſice.

V. Meridies eſt terminus alter, ultra quem conſtitutum eſt miſſam non poſſe differri ob reverentiam ſacrificii, quia & celebrans debet eſſe jejunus, & qui aſſiſtunt, decentius & devotius id præſtant ante prandium, quod communiter ultra meridiem differri non ſolet. Meridies ſi mathematice ſumatur, conſiſtit in puncto indiviſibili medietatis diei inter ortum, & occaſum ſolis, licet quæ ſuperius dedimus, in caſu noſtro non mathematice, ſed moraliter, & cum conſimili latitudine accipiendam eſſe ſatis oſtendant. Hæc quidem ita ſunt, ſed attenta varietate perſonarum, & curarum, quibus in humanis rebus premuntur, & ne iis ſubtrahatur commodum audiendi Sacrum, conſuetudo majorem expanſionem moralem meridiei, quam auroræ feciſſe videtur, licet poſtea inter ſe Auctores diſcrepent quoad tempus, ad quod uſque poſt punctum meridiei mathematicum differri poſſit miſſa, ſeu ejuſdem miſſæ initium. Sunt, qui dictum initium extendunt ad tertiam partem horæ, qui ad tres quadrantes, & qui ad horam integram, & Benedictus XIV. *to.* 4. *notif.* 1. hanc dat regulam, ut miſſæ finis ultra tertiam horæ partem poſt meridiem mathematicum communiter non differatur; interveniente vero aliqua ſolemnitate non ultra unam horam, etſi fortaſſe, quia hæc mathematice metiri nequeunt, ſufficiens ſit, quod majori miſſæ pars præfatis temporibus ſit abſoluta, & relate ad varia loca, circumſtantias, atque perſonas temperamentum leve aliquod pati ſint apta.

VI. Quæ uſquemodo dedimus, aliquas limitationes ſubeunt. Prima *a neceſſitate*, quando neceſſarium foret celebrare ad dandum viaticum infirmo, alioquin fortaſſe morituro ſine viatico; quo in caſu ſtatim poſt mediam noctem celebrari poſſe ſentiunt nonnulli, alii vero per duas, vel tres horas ante auroram, vel poſt meridiem a Sacerdote jejuno. Huc pro diebus ſaltem feſtivis ſpectat caſus illarum Eccleſiarum, quæ habent populum valde diſſitum, qui cum ob varias cauſas, curaſque non poſſit ſimul totus ad miſſam convenire, ſed per vices, haud ambigerem miſſam aliquam anticipari poſſe ante auroram, & aliquam meridie poſtponi pro eo tempore, quod ſufficit ad præſtandum commodum populo, alias miſſam non audituro. Diximus *pro diebus ſaltem feſtivis*, quia pro ferialibus, in quibus populus non tenetur audire ſacrum, neceſſitas minime cogit, licet & in iiſdem idipſum præſtari poſſe putemus ex alio titulo, ſcilicet juſtæ, & rationabilis cauſæ, de qua ſtatim.

VII. Secundo *a rationabili, & juſta cauſa*, qualis intervenit iis in ſeptemtrionalibus regionibus, in quibus noctes hyamali tempore adeo protrahuntur, ut auroram pariter tardet, & dies ſint breviſſimi, & modicum mediet temporis ſpatium inter auroram, & meridiem; in hujuſmodi enim regionibus miſſa anticipari poterit ante auroram, ut famulis, & operariis detur commodum audiendi ſacrum, antequam ad opus ſe accingant, & poſtponi meridiei, ut idem congruum præſtetur commodum conditioni aliarum perſonarum. Poſtponendi item ut ſupra miſſam juſta poteſt eſſe cauſa hyemis rigor, aeris inclementia, aliæque honeſtæ rationes, quæ prudentis viri judicio, præſertim Epiſcopi, ſufficere videntur; nonniſi enim juſta interveniente cauſa ab Epiſcopo diſpenſari poſſe credimus.

VIII. Tertio *a privilegio*, & in hoc caſu, ut ſcite advertit Suarez *to.* 3. *in* 3. *par. diſp.* 86. *ſect.* 3. *except.* 3., tempus anticipationis, vel poſtpoſitionis in privilegio conceſſum, peti non debet a puncto mathematico auroræ, vel meridiei, ſed ab aurora, vel meridie moraliter ſumpta, adeoque ultra tempus, quo juxta ſuperius tradita jam licitum eſt miſſam reſpective anticipare, vel poſtponere ex jure communi, & abſque privilegio. Crederemus autem, quod privilegia, ut ſuffragentur, edita eſſe debeant poſt Tridentinum, nam antiquiora per hæc verba *ſeſſ.* 22. ab eodem caſſantur, *Ne Sacerdotes aliis, quam debitis horis celebrent non obſtantibus privilegiis, &c.*

IX. Iis vero in regionibus, in quibus phyſice meridies non eſt, accipietur moraliter, & politice, quando ſcilicet ad prandium ſolet procedi juxta probatam conſuetudinem, & adhuc cum morali latitudine, quam fecimus meridiei, ubi phyſice habetur. Mediam noctem, a qua celebraturus, vel communicaturus debet eſſe jejunus, inibi deſumendam eſſe a momento medio inter initium ceſſationis laboris præcedentis diei, & inchoationis, quæ ſit inſequenti die, cenſet Merati *par.* 3. *tit.* 9. *n.* 1., ſed in hac re ſtandum erit eorumdem locorum conſuetudini, nihil quippe certi ſtatui poteſt, & quando inſtar uſus noſtrorum regionum res decidenda foret, magis a momento medio inter ceſſationem laboris, quæ ſtat loco occaſus ſolis, & horam circiter & dimidiam poſt initium ejuſdem laboris, quo tempore apud nos oriri ſolet Sol, peti deberent, cum a momento medio inter occaſum, & ortum ſolis apud nos petatur, & non ab inſtanti mediante inter occaſum ſolis, & auroram, cujus loco in memoratis regionibus ſtat initium laboris.

DECRETUM IX. CAP. IN ORD. LXXXVII.

Nemini licet facere octavam pro defunctis ſine ſpeciali indulto Sedis Apoſtolicæ. S. R. C. 13. Aug. 1667. *in Romana*.

I. DUrus ſecundum faciem eſt ſermo iſte; diminuit namque defunctorum ſuffragia, vivorum pietatem coarctat, hiſque conſolationem tollit tam ſalutari remedio adjuvandi ſuos, & denique obſiſtit maxime conſueto Eccleſiæ mori, quæ defunctorum ſuffragiis eſt continuo intenta. Pignatellus *to.* 3. *conſult.* 52. *n.* 6. nos monet in Decreti exaratione hæc deſiderari verba: *Præſertim intra octavam omnium ſanctorum*; ſed hæc non reſtringunt Decreti ſenſum, ſed ſolum denotant, quod fortior adeſt ratio inhibitionis in caſu poſito, ceterum quod idem juris reperitur & in aliis caſibus.

II. Nonnulli putant Decretum inniti Bullæ Pii V., quæ diſtricte vetat additionem aliquam fieri Breviario. At Bulla Pii V. ſolum afficit officium canonicum, adeoque impertinens eſt ad octavas defunctorum, quæ ultra officium canonicum ex teſtatorum mente celebrarentur; aut ſi prælatas enim Defunctorum octavas afficeret, utique ſolum, quatenus in Breviarium Romanum inducerentur, non quatenus ſeorſim celebratæ venirent.

III. In-

Digitized by Google

III. Inhibitionis rationem petunt alii a Rubrica IV.; quæ miſſas ab officio diſcordes paſſim haberi non laudat, ſed eas, quoad fieri poteſt, probat officio eſſe conformes. Verum ſi in octavis hujuſmodi ſolum dicerentur miſſæ de requiem diebus, quibus ſecundum rubricas non manent inhibitæ, quis unquam crederet ad eaſdem octavas faciendas Apoſtolicum expoſci indultum? Ponderant alii, quod octavæ conventualem etiam expoſcunt miſſam, quæ hoc ipſo, quod dicitur de requiem, abripitur officio, cujus pars eſt, cuique juxta rubricas debet eſſe conformis etiam iis diebus, quæ miſſas de requiem non reſpuunt. Hæc tamen ratio unice tangit cathedrales, & collegiatas Eccleſias, quæ conventualium miſſarum lege tenentur, & adhuc in his defunctorum octavæ redderentur licitæ, ſtatim ac ultra ſolemnem de requiem decantaretur alia de officio, praxis inſtar quæ in commemoratione omnium defunctorum ſervanda mandatur.

IV. Octavæ, quæ ſine licentia Sedis Apoſtolicæ declarantur illicitæ, indubie ſunt illæ, in quibus quotidie dicantur miſſæ de requiem, non ſtat quippe octiduum ſine aliquo ſeſto duplici, aut ſaltem die dominico, quibus in diebus rubricæ luctuoſas miſſas inhibent; ſavor autem, qui commemorationi omnium defunctorum factus fuit ſuper miſſis de requiem, etiam in duplici ſeſto, ad ejuſdem octavam traduci non poteſt, & multo minus ad octavas ceteras, quæ ex devotione inſtituuntur, & quando etiam traduci poſſet, non ſuffragaretur pro die dominico, pro quo nec ſuffragatur eidem commemorationi. Octavæ itidem, quæ apud aliquas Eccleſias pro officio canonico deſerviren, manent vetitæ, uti etiam illæ, in quibus apud Eccleſias Cathedrales, & Collegiatas non haberetur miſſa conventualis de officio. Ceterum octavæ quæcumque aliæ, in quibus ſolum dicitur miſſa de requiem diebus per rubricas permiſſis, nec deſerviunt pro officio canonico, nec infra eas apud cathedrales, & collegiatas Eccleſias omittitur miſſa conventualis de officio, videre non eſt, unde poſſint inhiberi, aut vetitæ excogitari.

V. Haud tamen deſunt rationes myſticæ, per quas defunctorum octavæ univerſim videntur imperi. Primum octavæ myſterium ſitum eſt in expreſſione perfectionis omnimodæ, & completæ illius Sancti, de quo celebratur octava, unde in Evangelio hujuſce ſignificationis exemplum ponitur in octo beatitudinibus, quibus chriſtianæ vitæ perfectio exprimitur, & continetur, de quibus Auguſtinus *lib.* 1. *de ſerm. Dom. cap.* 3. inquit: *Octava tamquam ad caput redit, quia conſummatum perfectumque oſtendit, ac probat.* Secundo octava ſignificat æternitatem gloriæ, qua ſancti perfruuntur; per ſeptem enim dies hebdomadæ notatur ſpatium vitæ præſentis, quod in Sanctis fuit plenum virtutibus, & donis Spiritus Sancti, additur vero dies octavæ in præmium virtutum, & laborum, ideſt, dies æternitatis, quare cum de Sanctis octavam agimus, per ſeptem dies recolimus eorumdem virtutes, & opus ſeptiformis ſpiritus, & octava die conſummationem, & glorificationem earumdem virtutum, & operis. Quæ rationes, aliæque, quas hujus loci non eſt in medium adducere, minus congruere videntur animabus purgatorii, quæ levibus culpis coinquinatæ deceſſere, per quas retardantur a conſecutione gloriæ. At facile rationes illas accommodas, ſi pro mortuis affectas octavas inſtitui, ut noſtris ſuffragiis adjuti, & a nævis juſtitiæ, & animæ maculis expurgati, conſequi tandem poſſint perfectionem omnimodam, & completam, ac gloriæ æternitatem, quæ per octavam deſignantur; per ſeptem enim dies, per quos ſignificatur ſpatium præſentis vitæ, orationibus tantum Deo placere ſtudemus, quantum defuncti, dum vivarent, eidem diſplicuere, ut die octava ipſo Deo perfrui valeant.

V. Idipſum fore dignoſcet facile de quibuſcumque rationibus myſticis, quibus quatenus inſiſtendum eſſet, haud ambigo, quod cuique numero, qui de mortuis habeatur ſacer, æqualiter eædem, aliæve erunt adaptabiles, unde qui v. g. novemdiale ſervarent, in rationem producere poſſent, ut per hocce officium mortuorum animæ a pœnis ereptæ, novem Angelorum ordinibus aſſocientur. Quemadmodum itaque D. P. Auguſtinus *quæſt. in Gen. ſub fine* prohibendos eſſe aſſerit, ſi qui chriſtianorum nonum in mortuis ſuis numerum ſervant, qui in ſcripturis ſacris nulli Sanctorum legitur adhibitus, & magis eſt in Gentilium conſuetudine, & tamen quia Auguſtinus non intendebat, niſi ſubmovere ſuperſtitionis periculum, ſublato ejuſmodi periculo non minus laudabilis communiter cenſetur noni diei religio, quam aliorum, ſicut nec horum probanda magis, quam noni, ſi adſit tale periculum, ita ſublato ſuperſtitionis periculo quæcumque pia locorum conſuetudo tridui, octidui, aliorumque dierum continuorum in defunctorum ſuffragiis ſervari poteſit, & quilibet in ſenſu ſuo abundare.

DECRETUM X. CAP. IN ORD. LXXXVIII.

In miſſa conventuali dierum ſolemnium, quæ abſque cantu, & miniſtris celebratur, non eſt facienda thurificatio. S.R.C. 22. Jan. 1701. *in una Camaldul. Montis Coronæ.*

I. NUlla eſt eccleſiaſtica cæremonia, cujus crebrior mentio fiat in antiquis, & recentibus omnium gentium liturgiis, quam thuris, & thymiamatis, quod ſæpe inter ſacrificandum adoletur. Solemne hoc fuit omni nationi, quantumvis barbaræ, & veræ religionis experti, ut nullum ſacrificium rite peragi crediderint ſine incenſo, vel aliquo ſaltem odorifero ſuffimento, unde Virgilius *lib.* 4. *Æneid.* de thuris uſu in Gentilium Sacrificiis.

Vidit, thuricremis cum dona imponeret aris,
(Horrendum dictu) latices nigreſcere ſacros,
Fuſaque in obſcœnum ſe vertere vina cruorem.

Et Ovidius lib. 13. metamorph.

Thure dato flammis, vinoque in thura profuſo,
Cæſorumque boum fibris de more crematis.

II. Sane a Gentilibus adigebantur Chriſtiani in deteſtationem fidei ad thus adolendum Idolis, & quaſi a divinitatis proteſtatione oblatio thuris inſeparabilis eſſet, idolis ſacrificaſſe cenſebantur, qui ſummis digitis aliquot thuris grana in ignem injeciſſent; hinc Ovidius *lib.* 14. *metamorph.* in divinitatis proteſtationem, & ſigna inter alia recenſet thuris honorem:

Templa tibi ſtatuam, reddam tibi thuris honorem.

III. Thuris uſus in Sacrificiis veteris legis itidem præceptus legitur *Levit. Cap.* 2., thymiama, quale deſcribitur *Exodi* 30. 34., adeo ſibi reſervavit Deus, ut nefas eſſet, cuicumque creaturæ illud adhiberi. A veteri Teſtamento in novum profluxit, & quidem ab Apoſtolicis uſque temporibus, ſicuti oſtendit Bona *lib.* 1. *rer. liturg. cap.* 25. *n.* 9. & meminit Dionyſius *cap.* 3., & Ambroſius *ad cap.* 1. *Lucæ* his verbis: *Atque utinam nobis quoque adolentibus altaria, Sacrificium deferentibus aſſiſtat Angelus.* Haud nos latet, quod nonnulli tradunt, priſcis Eccleſiæ temporibus caviſſe fideles a thure adolendo, thurificatoreſque inter apoſtatas, & deſertores fuiſſe rejectos, ſed nec nos præterit, quod pleraque ex teſtimoniis, quibus illi innituntur, dumtaxat reprehendunt thuris accenſionem, quæ Diis fiebat, aut Deo tamquam indigenti, vel ſine interno cultu, unde Tertullianus ipſe, quem in ſui favorem producunt illi, ad rem *lib. de corona cap.* 10. ſcribit: *Thus quidem incendimus, ſed non eodem ritu, nec eodem habitu, nec eodem apparatu, quo agitur apud idola.*

IV. Vero abſimile nec eſt per aliquod temporis ſpatium, ſaltem alicubi, a thure publice offerendo Chriſtianos caviſſe, ut abſtinerent ab iis omnibus ritibus, quibus utebantur Gentiles, & horum ſuperſtitione quammaxime averterentur, atque putarentur eadem teneri, qua idololatræ, religione. Cum enim ea ætate Diis thus palam offerri mos eſſet, & in deteſtationem fidei Chriſtiani a Gentilibus ad id cogerentur, idem videri fortaſſe poterat, thus palam adolere, atque avitam ſuperſtitionem profiteri. At cum data Eccleſiæ pace, periculum hujuſce ſuſpicionis ſubmotum fuerit, & thuris accenſio inter avitæ ſuperſtitionis ſigna non amplius referri poſſet, chriſtianis Eccleſiis thus palam reſtitutum fuit, atque in ſacrificiis adoletum. Lex autem 12. Codicis Theodoſiani, quæ ſeveris pœnis caſtigat thuris accenſionem, ad paganos pertinet, quorum contumaciam ea lege repreſſerunt Imperatores.

V. Quoniam vero thurificatio, quatenus cultus eſt, & honor, ſpecificatur ab objecto, ſeu ab iis, quibus exhibetur, ſi adhibeatur Deo, eſt cultus latriæ, ſi ſanctis, duliæ, & ſi hominibus, eſt cultus civilis, & ad virtutem obſervantiæ pertinet. Actus enim exterior indifferens eſt ad omnes præfatos cultus, & diſcrimen eſt penes actum internum, quare ſicuti genuflexio, & totius corporis in terram proſtratio, quæ ſummæ videntur adorationes, nedum Deo, ſed etiam Sanctis, quinimmo, & profanis hominibus leguntur exhibitæ *Gen.* 43. *&* 50., *&* 3. *Reg.* 1., ita Eccleſia nedum in uſum habet thus adolere Deo, & Sanctis, horumque reliquiis, & imaginibus, ſed adhuc inter miſſarum ſolemnia illud adolet Eccleſiæ miniſtris, & profanis hominibus. Quæ ex ſcriptura proferuntur, incenſum Deo non reſervant, ſed ſolum interdicunt, quo minus idolis illud offeratur, unde Ezechias 4. *Reg.* 18. confregit quidem ſerpentem æneum, *quia filii Iſrael adolebant ei incenſum*, ſed ut omnem impii, & idololatrici cultus occaſionem ab Hebræis auferret; ea enim ætate Hebræi conſueverant divinum cultum deferre ſerpenti ipſi æneo, & quando hunc adorabant, non reſpiciebant ad rem ſacram, ſcilicet Chriſtum, cujus erat imago, ſed ſiſtebant in eodem ſerpente. Thymiama vero, quale deſcribitur *Exo.* 30. 34., viſus eſt quidem ſibi Deus reſervaſſe, qui thimiamata, quæ ex aromatibus aliis fieri poterant, ſibi non reſervaverat; at cum tale præceptum fuerit cæremoniale, deſiit deſinente Judaica ipſa lege, quare nec thymiama prædictum nunc tantum Deo offerre cogimur.

VI. Supereſt modo videamus, quid ſacri habeat thurificatio, quæ inter eccleſiaſtica officia adhibetur. Fit primo in honorem, & cultum Dei, ac reverentiam ſacramenti, tum quia ſuaves cuipiam apponere, vel ſuffumigare odores ad ejus honorem pertinent; tum quia per bonum thuris odorem depellitur ſi quid pravi odoris in loco fuerit. Secundo ſpectat ad repræſentandum effectum gratiæ, qua ſicut bono odore Chriſtus repletus fuit, & a Chriſto derivatur in fideles; per altare enim ſignificatur Chriſtus, & adhuc expreſſius per oblata in Chriſti corpus, & ſanguinem convertenda; quare his omnibus thurificatis, thurificantur ceteri, ut per talem odorem denotetur uberrimus fructus gratiæ, qui a Chriſto, & per ſacrificium in nos derivat. Tertio monentur fideles ad fundendas Deo preces, & denotantur ad Cælum dirigi earumdem orationes, quæ per incenſum ſignificantur juxta illud Pſalmi 140. *Dirigatur, Domine, oratio mea, ſicuti incenſum in conſpectu tuo.* Quarto denique deſervit admodum ad expellendos Dæmones, ut notat Innoc. III. *lib.* 2. *myſt. miſſæ cap.* 17.

VII. Ex his habes facile, cur incenſo thure etiam honorentur defuncti; his enim adhibetur incenſatio ad pellendos Dæmones, & malum odorem cadaverum, & loci; ad oſtendendum, quod defunctus Deo obtulit ſeipſum in odorem bo-

norum opertim, ſeu quod defunctis proſunt orationes noſtræ, & ſicut incenſum in conſpectu Dei deferuntur; & denique per thurificationem honorem deferimus iis qui nos præceſſerunt in ſigno fidei, inſimulque Deo in defunctis reverentiam exhibemus, quorum membra credimus fuiſſe templa Spiritus Sancti. Priſci autem fideles Tertulliano teſte *cap.* 52. *Apol.* liberaliter admodum thus impendebant in cadaveribus ſepeliendis, illudque prætermitti, piaculum grande exiſtimabant, unde in actis Synodi Calcedonenſis recitatus fuit libellus accuſationis adverſus Dioſcorum, oblatus ab Iſchyrione Diacono, quo inter alia datur crimini, quod ejus avaritia factum eſſet, ut in funere Periſteriæ piiſſimæ fœminæ, quæ ſua legaverat ſanctis locis, oblatio incenſi (quantum ad ipſum pertinuit) fuerit prætermiſſa, ut refert Baronius *an.* 34. *num.* 312. Cur vero in Defunctorum miſſis thus non adhibeatur omnibus iis vicibus, quibus adhibetur in ſanctorum miſſis, jam dedimus alibi, & inibi dictis addi poteſt, quod putaverunt aliqui, quod poſt incenſationem altaris, oblatorum, & ſacerdotis omittitur incenſatio aliorum, ut hinc deſignetur, mortuos poſt hujus vitæ curſum nihil propriis precibus promereri poſſe, qua de re alibi itidem non ſemel ſermo incidit.

VIII. Hora eſt, perſcrutemur Decretum, & dubium non eſt, quod in miſſa ſolemni feſtorum habenda eſt thurificatio ad introitum, Evangelium, elevationem SS. Sacramenti, & offertorium, ad quod thurificatis oblatis, altari, & ſacerdote, incenſatio pertranſit ad chorum, miniſtros, & populum; in miſſa vero ſolemni de Requiem fit dumtaxat thurificatio ad elevationem SS. Sacramenti, & ad offertorium, & adhuc ad hoc incenſatio ſiſtit ſuper altari, oblatis, & ſacerdote, quin ad alios extendatur. Hæc nulli dubitationi manent obnoxia, cum in rubricis dilucide ſint expreſſa, ſed non ſic eſt de miſſis, quæ cum cantentur ſine miniſtris ſacris, ſolemnes vere non ſunt, unde de his diſquiſitio inſtituitur, num in iiſdem thurificatio fieri debeat, prout fit, quoties cantantur cum miniſtris ſacris, & præſertim ſi ſint miſſæ dierum ſolemnium, cujuſmodi pro Defunctis ſunt dies commemorationis omnium Defunctorum, dies depoſitionis, aliique, qui de mortuis alicubi cum ſolemnitate celebrantur.

IX. Qua in re in eo communiter conveniunt Auctores, ut ad introitum omittenda ſit thurificatio, quam tamen Caſtaldus *lib.* 2. *ſect.* 9. *cap.* 2. *num.* 5. Polaccus *aphoriſm. par.* 2. *tit.* 3., Corſettus *par.* 2. *cap.* 13. *num.* 5., A porta *cap.* 2. *tit.* 6. *rubr.* 8. *num.* 3. *annot.*, Benedictus XIII. *de miſſa cantanda ſine Miniſtris ſacris cap.* 4. §. 2., aliique plures adhiberi poſſe ſentiunt ad Evangelium, Offertorium, & Elevationem SS. Sacramenti, ſi miſſa cantetur cum duobus acolythis; quinimmo Ramerius *in ſuo Rituali Monaſtico lib.* 3. *cap.* 2., licet cum uno dumtaxat acolytho, in majoribus tamen ſolummodo ſolemnitatibus. Equidem rubricæ dum incenſationem indicunt, de *miſſa ſolemni* aperte diſponunt, unde ex iiſdem quæſtio directe decidi non poteſt, non leve tamen eruitur argumentum ex Rubrica vi. *numer.* 8., quæ cum notet mutanda in miſſis, quæ ſine Diacono, & Subdiacono cantantur, quin mentionem aliquam agat de incenſatione, non incongrue fieri poſſe indicare videtur.

X. Crederem ego itaque, quod ubi commoda cum Miniſtris ſacris miſſa haberi non poteſt, in miſſis cantatis dierum ſolemnium incenſatio haberi valeat ad Evangelium, Offertorium, & Elevationem, ſi duo aſſiſtant acolythi. Acolythorum pluralitas, ubi commode Miniſtri ſacri haberi non valent, quodammodo miſſam ſolemnem efficit, & veluti ſupplet ſolemnitatem Miniſtrorum ſacrorum, quæ deſideratur in miſſa. Quod ſi nonniſi cum ingenti incommodo plures acolythi haberi valeant, adhuc non dubitarem incenſationem prout ſupra admittere in miſſa dierum ſolemnium, horum ſolemnitate ſic exigente, & ſupplente Miniſtrorum defectum. Ut diſcrimen tamen aliquod ſervetur Miſſam ſolemnem inter & non vere ſolemnem, abſtinere conſulerem a thurificatione ad introitum.

XI. Ita eſt de miſſis cantatis vivorum, & pariformiter loquendum eſt de miſſis cantatis mortuorum in diebus ſolemnibus, in quibus conſequenter incenſari poterit ad Offertorium, & Elevationem SS. Sacramenti, perinde ac fit in miſſis eorumdem ſolemnibus. Iis autem, quæ dedimus, præſens non officit Decretum, quod quidem inhibet thurificationem in miſſa Conventuali dierum ſolemnium, ſed non univerſim, & ſolum in ea, quæ celebratur *abſque cantu*, & *Miniſtris*, ubi miſſæ, quas nos incenſatione decoravimus, etſi fortaſſe Miniſtris ſacris deſtituantur, numquam tamen cantu. Hinc erui volumus, quod miſſa Conventualis, aut Parochialis, licet dierum ſolemnium, quæ in Eccleſiis Clero deſtitutis, aut alias abſque cantu habetur, ahoris honore gaudere non valet. Luculentior quippe apparatus altaris, Celebrantis, & Miniſtrorum, prolixior campanarum omnium ſonus, plurium cereorum accenſio, concurſus populi, inſtrumentorum ſtrepitus, & adhuc muſicorum chorus moteta cantantium, non quæ ad miſſam pertinent, aliaque ejuſmodi, ut prædicatio &c., & dierum ipſorum celebritas, extrinſecam quidem quamdam ſolemnitatem ingerunt, ſed ſi deſit ſacerdotis cantus, & chori ſacerdoti reſpondentis, & ea, quæ ad miſſam ſpectant, conſinentis, haud valida ſunt ſolemnitatem intrinſecam ingenerare, miſſamque extrahere a privatarum numero, ut poſt Gavantum *par.* 1. *tit.* 15. *n.* 2. rite ponderat Guyetus *lib.* 4. *cap.* 21 *quæſt.* 5.

XII. In uſum nonnullæ habent Eccleſiæ, in quibus quotidie cum ſacris Miniſtris miſſa cantatur, in profeſtis, ſeu diebus minus ſolemnibus ad diſtinctionem ſolemnium incenſationem omittere, & quæritur, an rite? Equidem refragari videntur Rubricæ, quæ indiſcriminatim attribuunt thurificationem miſſis ſolemnibus, quales ſunt omnes, quæ cum ſacris Miniſtris decantantur, ſed propterea damnanda non eſt communis Eccleſiarum praxis, quæ Auctorum ſuffragio munita, non omnia, quæ miſſis ſolemnibus Rubricæ concedunt, prædictis adhibet miſſis, Uti ergo, etſi rubricæ ſuper altare collocent Miſſale apertum, & calicem, aliaque neceſſaria præcedenter præparent ſuper credentiam, & Diaconum, & Subdiaconum manibus junctis ante pectus procedere faciant, adhuc praxis prædicta licitum reddidit in præfatis miſſis Subdiaconum portare calicem, & Diaconum Miſſale de Sacriſtia ad altare, ita & licitum erit in iiſdem thurificationem omittere, ut in iiſdem Eccleſiis diſcrimen aliquod habeatur inter miſſam dierum ſolemnium, & non ſolemnium, nec profeſta cum ſolemnitatibus confundantur.

A D C A P U T XLVI.

De Miſſis Defunctorum.

A P P E N D I X.

DECRETUM PRIMUM Cap. In Ord. 471.

Feria ſecunda poſt Dominicam infra octavam omnium ſanctorum, feſto duplici minori occupata, in qua pro animabus confratrum cantatur officium Defunctorum cum ſolemnitate, debet cantari miſſa de Requiem: Quod ſi anniverſarium prædictum contingat in feſto altioris ritus, debet illud præcedenti die celebrari. S. R. C. 8. Martii 1738. *in Ulixb. Occident. pro Eccleſia Regii Noſocomii.*

JAM hoc Decretum dedimus, & expoſuimus in tom. 3. & dubium non eſt, quod in eo ſermo procedit de officio ſolemni, quod ſtatæ diei manet affixum, quæ ſi fuerit impedita per feſtum duplex minus, non propterea transferendum eſt officium prædictum Defunctorum, ſed celebrandum cum Miſſa cantata de Requiem, ſecus vero, ſi impedita ſit feſto altioris ritus, quo in caſu Decretum quidem dicit, quod *debet illud præcedenti die celebrari*, ſed tu lege *ſequenti*, quia præcedens dies in Decreti caſu eſt Dominica, quæ Miſſas cantatas de Requiem reſpuit, niſi ad præſentiam cadaveris. Quæ in ejuſdem Decreti expoſitione dedimus, adhuc perſtant integra, ſed quoniam Decreti verba, ex quibus poſtmodum Decretum, ut ſupra compactum novimus, etiam ad officium ſolemne, quod pluribus Eccleſiis commune non eſt, favorem videntur extendere, haud refragabor admodum, ſi id privilegii eidem quoque contendas fieri, dummodo non indulgeas ultra Decreti verba, quæ ſiſtunt in conceſſione ſolius Miſſæ cantatæ, non autem privatarum, cum quibus conſociari indulgentur ſolemnes commemorationis Regularium Ordinum.

DECRETUM SECUNDUM Cap. in Ord. 472.

An in diebus infra octavam Corporis Chriſti duplicia non excludentibus, cantari poſſit Miſſa de Requiem de die obitus, tertio, & ſeptimo, & trigeſimo in dicto octavario incidentibus? Reſponſum fuit negative, & ſerventur Decreta vulgata in Nuſcana 12. Septem. 1671. & in Collenſi 5. Junii 1697. S. R. C. 8. Martii 1638. *in Ulixb. occident.*

REcole dicta tom. 2. ubi exponuntur Decreta, quæ ſervari mandantur.

DECRETUM TERTIUM Cap. In Ord. 473.

An diebus, quibus juxta ritum Eccleſiæ Ambroſianæ prohibetur fieri de duplici, ſive de ſolemni, prohibeantur etiam Miſſæ de Requiem. Et reſponſum fuit affirmative. S. R. C. 7. Decembris 1743. *in Mediolanen.*

OFficium, quod juxta ritum Ambroſianum dicitur *ſolemne*, juxta Romanum nuncupatur *duplex*, unde vide, quæ traduntur tom. 2.

DECRETUM QUARTUM Cap. In Ord. 474.

Prima die menſis impedita duplici, aut ſemiduplici, cum ex præſcripto Rubricarum officium Defunctorum, & Miſſa Conventualis de Requiem non ſit celebranda, officium, & Miſſa hujuſmodi differenda ſunt ad aliam diem non impeditam juxta Rubricas. S. R. C. 23. Martii 1745. *in Eporegien.*

QUoad officium recole fuſe dicta tom. 2. & quoad Miſſam ea, quæ dedimus in cit. tom.

DECRETUM QUINTUM Cap. in Ord. 475.

Utrum in Dominicis primæ claſſis, & aliis diebus, in quibus abſolute quæcumque alia feſta, etiam primæ claſſis, excluduntur, licitum ſit cantare Miſſam de Requiem præſente cadavere? Et reſponſum fuit: Servetur Decretum latum die 5. Julii 1698., videlicet: In duplicibus primæ claſſis, etiam præſente cadavere, non poteſt cantari Miſſa Defunctorum. S. R. C. 21. Martii 1744. *in Bergomenſi*.

DEcretum, quod ſervari mandatur, a nobis datum, & expoſitum tom. 2. intelligendum autem eſt juxta expoſitionem, quæ a nobis traditur ibidem.

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

De Miſſis Sancti Gregorii.

I. JUſtus Monachus, quod tres aureos occultatos haberet, ad vitæ extremum a Copioſo detectus, accuſatus fuit apud D. Gregorium, qui ad illius reſipiſcentiam, & confratrum terrorem, communionem Fratrum, qui conſolationis verba facerent, eumdem morientem privavit, & jam mortuum communi reliquis ſepultura, ac in foſſa in ſterquilinio facta, cum terra cooperiri voluit, jactatis ſuper eum aureis, interim clamantibus omnibus: *Pecunia tua tecum ſit in perditione*. Res arriſit votis, & reſipuit quippe moriens, & confratres in medium protulere quæque, etiam apud ſe retineri licita. A Juſti morte triginta diebus elapſis, Gregorius Pretioſo dixit Monaſterii Præpoſito: *Vade itaque ab hodierna die diebus triginta continuis offerre pro eo ſacrificium, vide, ut nullus omnino prætermittatur dies, quo pro abſolutione illius hoſtia ſalutaris non offeratur*. Pretioſus dictis paruit, & nocte quadam defunctus Copioſo apparens, eumdem monuit de ereptione ſua e purgatorii pœnis. *Fratres vero*, ſubdit idem Gregorius lib. 4. *Dial.* 55., *ſollicite computaverunt dies, & ipſe dies extiterat, quo pro eo trigeſima hoſtia fuerat expleta*.

II. Hinc laudabilis ritus triginta miſſarum S. Gregorii, quæ ex communi fidelium ſenſu creditæ ſunt peculiarem vim habere ad liberandas purgatorii animas. In quo vis hujuſmodi ſita ſit, obvium haud eſt dicere; ſi enim ponatur in numero, ſuperſtitioni aperitur locus, & inſpectu ſecundum ſe valore miſſæ, citius liberarentur animæ, ſi paucioribus diebus, vel una die omnes triginta celebrarentur, & adhuc fructus triginta miſſarum poteſt non eſſe æquivalens animarum debito. Quarti *part.* 1. *tit.* 5. *dub.* 16. duos prædictæ efficaciæ excogitavit modos, vel quod ſcilicet D. Gregorius hanc a Deo gratiam impetraverit, vel quod ipſe, ſi tunc erat Summus Pontifex, conceſſerit indulgentiam plenariam, aut eam obtinuerit a ſuo Prædeceſſore ſub injuncto opere ſacrificii per triginta dies continuos.

DECRETUM I. CAPITIS, IN ORDINE LXXXIX.

Miſſæ S. Gregorii pro vivis, & Defunctis impreſſæ, XV. Auxiliatorum, & de Patre Æterno prohibitæ ſunt. S. R. C. 8. Aprilis 1628. *in una Urbis*.

I. RAdices imas per Eccleſiam egerat devotio triginta miſſarum S. Gregorii, quando, neſcio unde, prodiit imprudens, & incautus homo, qui ut eam magis adaugeret, & accederet, quaſi penitus extinxit, & ſuffocavit. In alienam meſſem temere manum mittens, triginta miſſas edidit, impreſſit, evulgavitque, tamquam quæ dici deberent, quando eæ D. Gregorii celebrantur. Temerarium hunc auſum, facilemque earumdem uſum, qui in Clerum novitatis avidum irrepſerat, ut Congregatio retunderet, præſens Decretum edidit, quo eaſdem proſcripſit miſſas, uti & alias, quarum Sanctio meminit, privata auctoritate ſimiliter efformatas, & impreſſas. Defectus ſolius Apoſtolicæ approbationis omnino neceſſariæ in iis omnibus, quæ in divinis officiis legi debent, uber eſt reprobationis ratio, quando etiam in iiſdem miſſis Thyers *Tract. de ſuperſt. tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 4. non recognoſceret puerilia plurima, inſulſa, & inopportuna.

II. *Miſſæ impreſſæ* quidem ait Decretum, & hinc facile erat dignoſcere, inhibitionem ſiſtere in miſſis ut ſupra impreſſis, nec ad earumdem extendi ritum, ſed quia perſæpe Decreta non ponderantur exacte, miſſarum ejuſmodi, quæ cum numero, tempori, aliiſque circumſtantiis maneant alligatæ, ſuperſtitionem ſapere videntur, ſolus inhibitionis rumor etiam ritum validus fuit nedum compeſcere, ſed quaſi profligare, quin ad priſtinum ſtatum revocari potuerit per ſequens Decretum, in quo Sacra Congregatio ſuam mentem aperiens, declaravit, *triginta miſſas Sancti Gregorii non eſſe prohibitas*, ſcilicet quæ, & prout a D. Gregorio fuerunt inſtitutæ, ſed ſolum illæ, quæ ut ſupra fuerunt impreſſæ. Una hæc vox eſt Auctorum omnium, inter quos profecto eminent noviſſimi duo Summi Pontifices, Benedictus XIII. *ſerm.* 20. *in Purg.*, & Benedictus XIV. *tom.* 2. *notif.* 24.

III. Lohner *part.* 4. *tit.* 2. §. 2. *num.* 3. idem pronunciat judicium de miſſa XV. Auxiliatorum, ita ut de iiſdem quidem dici nequeat, quæ ut ſupra impreſſa fuit, bene vero de communi plurimorum martyrum, de quorum numero major eſt eorumdem pars, quorum & recenſet nomina, ſcilicet SS. Gregorii, Viti, Blaſii, Dioniſii, Pantaleonis, Eraſmi, Cyriaci, Chriſtophori, Acatii, Euſtachii, Ægidii, Catharinæ, Margaritæ, & Barbaræ. Hi tantum quatuordecim ſunt non quindecim, quot eſſe ex Decreto diſcimus, Gavanto *part.* 4. *tit.* 17. *n.* 14. atque Merato *part.* 1. *tit.* 4. *n.* 26., licet hic poſtea, quaſi ſolum quatuordecim forent, eorumdem nomina ex Lohner ut ſupra traducat. An reapſe quatuordecim ſint, vel quindecim, & in caſu quidam ſit quintuſdecimus, nos curioſius perveſtigare nolumus, ſed magis adnotare, etiam de Patre Æterno dici poſſet miſſa, quatenus aliqua adeſſet ex approbatis, quæ eidem facile accommodari poſſet.

DECRETUM I. CAPITIS, IN ORDINE XC.

Triginta miſſæ S. Gregorii pro Defunctis non prohibentur S. R. C. 28. Octob. 1628. *in una Urbis*.

I. TExtus alteriori expoſitione non eget, unde examinare ſummus conditiones, & circumſtantias earumdem miſſarum, quæ ex Gregorii libro ſupra laudato eruuntur. Hæc verba *Ab hodierna die* deſignant primam, quod nempe inchoentur diebus triginta elapſis ab obitu illius, pro quo offeruntur, & hanc nec neceſſariam, nec laudabilem eſſe credimus; etſi enim id præſtitum fuerit in Juſti morte, factum tamen fuit ad viventium terrorem, & in oſtenſionem atrocitatis delicti, ob quod tunc ſolum textus deſignat nobis Gregorium defuncto compati cœpiſſe, ejuſque tormenta penſare, ceterum illico cum ſollicitudine, ut denotant verba *ab hodierna die*, defuncti ſuffragiis conſuluiſſe. Nos itaque citius compatimus confratribus noſtris, eorumque ſupplicia penſemus, ac illico a defuncti morte per prædictas miſſas ejuſdem ereptioni conſulere ſtudeamus, non attento Gregorii facto, quod nimis protrahit animarum liberationem.

II. *Diebus triginta* ſecundam indicant, & eſt, quod non una die, aut paucioribus, ſed triginta dicantur, & in *continuis*, & *ut nullus omnino prætermittatur dies*, addit tertiam, quod ſcilicet dicantur per triginta dies ſine interpolatione, & nullo prætermiſſo die. Garzias *diſſ.* 11. *dub.* 4. *num.* 18. paucioribus diebus, immo una die a triginta ſacerdotibus dici poſſe autumat, ſed in hoc nos diſſentire cogunt ea verba textus *diebus triginta*, cum alias a Gregorio, qui jam defuncto acriter compatiebatur, paucioribus diebus a pluribus dicendæ mandari potuiſſent. Non eſt itaque dubium, quod dici debeat per triginta dies, *& ſine interpolatione*, quidquid ſcripſerit Diana *tom.* 2. *tr.* 1. *reſ.* 78., quid enim aliud innuunt verba illa *continuis*, & *ut nullus omnino prætermittatur dies*?

III. *Vade offerre* ſunt verba dicta Pretioſo Abbati, & quartam circumſtantiam denotant, ut nempe miſſæ ab eodem ſacerdote dicantur, ut reapſe a Pretioſo factum fuit. Gavantus *par.* 1. *tit.* 5. *lit. d.*, ex eo quod in textu deficit particula *per te*, a pluribus ſacerdotibus eaſdem miſſas dici facit liberum, ſed violenter admodum, & inconſonanter legit Gregorii textum, idiplum quippe eſt dicere alicui *Vade offerre*, & idem celebrationem præcipere. Non putarem tamen continuationem tolli in triduo mortis Chriſti, quinimmo nec ſi ob ægritudinem una, vel altera die ſacerdos a celebrando prohiberetur. In illo, quia juxta Eccleſiæ mandata abſolute celebrari non poteſt; in hoc autem, quia præcepta, & onera, quæ hominibus imponuntur, moraliter accipienda ſunt, & adeo humanis ſubjacent infirmitatibus, ut rite adimpleri cenſeantur, quando iiſdem ſatisfit, prout humana conditio patitur. Opportune textus adhibet verbum *Vade*, quod conatum quidem dicit ad faciendum id, quod injungitur, ſed temperamentum patitur, ſi quod impoſitum eſt, abſolute fieri non poſſit, aut nonniſi cum graviſſimo incommodo.

IV. Hæc non obſcura inferunt, ægrotante, vel demortuo ſacerdote, qui inchoavit miſſas, locum eſſe ſubſtitutioni alterius ſacerdotis, qui eaſdem proſequatur, quin jam celebratas repetere teneatur, aut reinchoare miſſas. Jura omnia clamant, beneficia benigne eſſe interpretanda, & præſertim conceſſa in refrigerium animarum, quæ in purgatorii igne detinentur, quare prædictæ miſſæ jura nunquam ita alligatæ cenſeri queunt uni ſacerdoti, ut ſi hic moriatur, vel infirmetur, alter ſubrogari non valeat, qui eaſdem continuet, quin jam celebratæ repetantur. Et præſertim tum ita eſſe videtur nobis, quia quid ſimile evenire poſſet ſacerdoti ipſi ſubſtituto, unde nimis in longum alias protrahi poſſet liberatio animarum. Huc fortaſſe ſpectat animadverſio Gavanti, quod in textu quidem dicitur, *ſtude, ut nullus prætermittatur dies, quo pro abſolutione illius hoſtia ſalutaris non offeratur*, ſed omittitur *per te*, ne ſi forte ipſe, cui per anteriora verba *Vade offerre* commiſſa fuerat celebratio, abſolute celebrare non valeat, aut nonniſi ægre queat, ſubſtitutio interdicta cenſeretur.

V. Quintam ſuppeditant nobis ea verba *Offerre pro eo*, & *pro abſolutione illius*, quæ juxta Doctores omnes nedum important adimpletionem, ſed etiam applicationem injuncti operis, quare nedum triginta miſſæ ut ſupra dici debebunt, ſed etiam pro defuncto applicari. An miſſæ ejuſmodi omnes dici debeant de Requiem, eſt quæſtio altera, ſed cum textus taceat, id oneris non videtur imponendum. Nihilominus tamen de Requiem eſſe dicendas diebus omnibus, quibus juxta rubricas non maneant vetitæ, evincit paritas altarium privilegiatorum, quorum gratia non ſuffragatur, ſi diebus non impeditis miſſæ non dicantur de Requiem, etſi nihil ejuſmodi in indulto præſcribatur, ut magis dicetur in ſequenti capite.

CA-

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

De Altari privilegiato, & indulgentiis pro Defunctis.

I. BEllarminus *de indulg. lib. 1. cap. 14.* altarium privilegiatorum uſum ad Paſchalis I. refert uſque tempora, ſed Bordonus adhuc antiquiorem agnoſcit, dum *lib. opera varia cap. 7. num. 2.* altare majus Eccleſiæ SS. Coſmæ, & Damiani Romæ a S. Gregorio privilegiatum fuiſſe aſſerit. Ut dicendis planior ſternatur via, lubet transcribere verba, quibus anno 1579. a Gregorio XIII. privilegiatum fuit altare S. Nicolai de Tolentino in Eccleſia S. Auguſtini Bergomi: *Auctoritate nobis a Domino tradita concedimus, ut quoties miſſa Defunctorum ad prædictum altare celebrabitur pro anima cujuſcumque fidelis, quæ Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ipſa de theſauro Eccleſiæ indulgentiam conſequatur, quatenus D. N. J. C., & B. V. Mariæ, BB. Apoſtolorum Petri, & Pauli, aliorumque Sanctorum omnium meritis ſuffragantibus a purgatorii pœnis liberetur.* Conſimilibus, vel fere conſimilibus terminis conſtant indulta alia, ſunt tamen aliqua, quæ qualitatem miſſæ Defunctorum non exprimunt, aut habent clauſulam reſtrictivam gratiæ ad plures miſſas, aut certum expoſcunt miſſarum numerum in Eccleſia altaris privilegiati quotidie celebrandarum &c., de quibus infra inſtituetur ſermo.

II. Altare itaque privilegiatum eſt illud, in quo Papa concedit indulgentiam plenariam pro mortuis liberandis per modum ſuffragii, mediante celebratione miſſæ in eodem altari. *Papa*, hic quippe ſolus habet clavem ætarii ſatisfactionum Chriſti, & Sanctorum ejus, ut ex illo ſacrum pretium extrahere valeat pro ſolutione Deo facienda ad extinguenda animarum debita. *Indulgentiam plenariam*, nam vis altaris privilegiati in eo ſiſtit, ut poſita celebratione liberetur anima, pro qua ſacrificium offertur; ſi autem indulgentia plenaria non concederetur, relinquere poſſet portionem debiti, nec liberare animam ab omnibus pœnis, ſed ſolum ab aliquibus. *Per modum ſuffragii*, quia ubi Pontifex a peccatorum pœnis immediate, & auctoritative viventes per indulgentias abſolvit, non ſic mortuos, ſuper quibus nullam auctoritatem habet, nec juriſdictionem, ſed magis per modum ſuffragii, & auxilii, quatenus medio Eccleſiæ theſauro Defunctis exhibet pretium ſufficiens, & ſuperabundantius ad ſolvenda debita, quibus tenentur erga divinam juſtitiam, ſeu ipſamet Deo ſolvit inſtar ejus, qui amicum e carcere liberat ob debita retentum, quatenus pro hoc ille ſolvit creditoribus tantum pecuniæ, quantum iiſdem debetur. *Mediante celebratione miſſa*, non ſimpliciter, ſed *in eodem altari*, & hoc complexum ita neceſſarium eſt, ut ſine eo anima Defuncti non conſequeretur liberationis effectum, unde Gregorius qui ſupra: *Ut quoties miſſa Defunctorum ad prædictum altare celebrabitur pro anima &c.* Quæ poſtrema verba *Pro anima* diſerte denotant, quod nec ſufficit celebratio miſſæ in eodem altari, niſi inſuper applicetur miſſa in ſuffragium illius, qui liberari intenditur. An autem applicatio miſſæ ſit itidem neceſſaria, quando in indulto deeſt to *Pro anima &c.*, dicemus infra.

III. Quæſtionem Auctores excitant, num privilegium altaris ſit magis proprium, vel ſacrificii, & Paſqualigus *de ſacrif. quæſt.* 728. propendit pro ſacrificio in tali altari celebrato, quia alias locale foret, ſemperque permanere quibuſcumque in eo celebrantibus; cum tamen dentur ex privilegiis, quæ ad certos dies, certaſque perſonas ſunt coarctata. Plerique ſentiunt pro altari, quia ſacrificium in alio altari factum, non operatur effectum, haud officientibus, quæ pro ſacrificio adducebantur, quia Princeps privilegia, licet localia, pro ſuo arbitrio limitare poteſt tempori atque perſonis. Inanis prorſus eſt iſta quæſtio, quia ſi privilegium eſt ſacrificii, nonniſi tamen in eo altari celebrati, & ſi eſt altaris, nonniſi ſub conditione ſacrificii in eo celebrandi, re tamen vera privilegium eſt magis altaris, quod propterea communis uſus *privilegiatum* nuncupat, & ſacrificium eſt dumtaxat opus injunctum, ſeu conditio, ſine qua altare quoad indulgentiam Defunctis minime prodeſt. Adſunt & privilegia, quæ ſacrificii latius propria dixeris, quæ ſcilicet conceſſa ſunt alicui perſonæ, in quocumque altari celebraverit, niſi eadem mavis perſonalia dicere, quatenus perſonam ſequuntur, ubicumque ſacrificet.

DECRETUM I. CAPITIS, IN ORDINE XCI.

Miſſa pro Defunctis celebrata in altari privilegiato non ſuffragatur, nec indulto ſatisfit, niſi ſit de requiem, licet in indulto non exprimatur. S. R. C. 1. Junii 1601. *in Piſtorien.*, & 13. Julii ejuſdem anni *in Toletana*.

I. NUM indulgentia altaris privilegiati alligata ſit miſſæ de requiem, an adaptabilis cuicumque miſſæ, diſſident Doctores, & pro certo habent quod ſi indultum expreſſe cautet pro qualibet miſſa, aut pro ſola de requiem, reſpective qualibet ſufficit, aut determinate de requiem exigitur, ſaltem quando hæc juxta Rubricas haberi poteſt; in hoc enim caſu non adimpleretur alias conditio privilegii, & illo privilegium plus æquo reſtringeretur, cum pro *quocumque* diſerte favorem faciat. Contendunt vero pro caſu, in quo indultum non exprimit miſſarum genus, & ex iiſdem ſunt, qui celebrantis arbitrio committunt miſſæ qualitatem, qui adhuc expoſcunt miſſam de requiem, & qui diſtinguentes aſſerunt, quod ſi miſſa nedum celebranda, ſed etiam applicanda eſt juxta indultum pro Defuncto, determinate de Requiem fieri debet, eſt vero in arbitrio miſſæ qualitas, ſi pro Defuncto applicanda non eſt. Nituntur primi, quia obligatio non præſumitur, niſi verbis exprimatur *ex l. quidquid 99. ff. de verb. ſignif.*, & privilegia Principum ſunt ample explicanda, ut cuncta jura clamant. Secundi, quia mens Pontificis præſumitur conformis ritui Eccleſiæ, quæ pro Defunctis miſſas de requiem inſtituit; & hæc item eſt ratio, cui innititur tertia opinio, quatenus miſſas pro Defuncto applicandas, expoſcit de requiem; quatenus vero pro libertate pronunciat, prioris ſententiæ fundamentis utitur.

II. Sacra Congregatio indultorum hujuſmodi nunc mentem aperit, & ſecundam ſententiam approbans, ſtatuit, quod miſſa de requiem dici debet, etſi id in indulto expreſſum non maneat. An autem itidem, ſi miſſa pro Defuncto applicanda non ſit, Decretum ſatis non exprimit, & fortaſſe, quia vix eſt reperire privilegium, quod implicite, vel explicite etiam miſſæ applicationem in præcepto non conſtituat. Paſqualigus tamen *quæſt.* 731. *num.* 6. quod hunc caſum ſanctionem limitat, & huic nolmetipſos credimus, quia tunc nec Eccleſiæ ritus miſſas de requiem expoſtulat, ſed magis de officio, cui Rubrica tv. *num.* 3. optat miſſas eſſe conformes, nec locum habet potentius, quod ingerunt miſſæ de requiem, Defuncti ſuffragium, cum pro eo miſſa non ſit applicanda; qua utique de cauſa & concidit argumentum, quod congruenter ex conformitate miſſæ cum eo, pro quo eſt offerenda, erui poterat; ſunt autem hæ rationes potiſſimæ, quibus fulcitur Sanctio, cui quæ ſtatim dabimus, Decreta aliam limitationem adhibent, pro omnibus nempe diebus, in quibus juxta Rubricas miſſæ de Requiem fieri non valent.

III. Nos, qui nonniſi authentica dare profitemur Decreta, æquum eſt, moneamus Lectorem, quod præſens in Congregationis regeſtis minime reperitur, illud tamen referunt Barboſa *collect.* 480., Nicolius *in floſc. verb. Altare*, aliique communiter, a quibus tamen ejuſdem authenticiam emendicare non cogimur, ſorte quippe idipſum edocet Decretum 4. hujus capitis, dum recenſito altari privilegiato hanc conſequentiam infert, *In quo proinde etiam in duplicibus ſint celebrandæ miſſæ de Requiem ex obligatione*, quod minime eſſet conſequens, ſi altare privilegiatum miſſas de Requiem non expoſceret. Quod autem in Congregationis regeſtis non reperiatur, ejuſdem authenticiam non infringit, quia ſolum de anno 1602. Decreta in regeſtis deſcribi cœperunt.

DECRETUM II. CAPITIS, IN ORDINE XCII.

In altari pro certis diebus privilegiato non poteſt dici miſſa de requiem in feſto duplici de præcepto, neque in die Dominico, S. R. C. 24. Apr. 1627. *in una Galliæ*.

I. PAſqualigus *q.* 740., aliique Doctores a præcedenti Decreto edocti, miſſas altarium privilegiatorum non ſuffragari, niſi fiant de requiem, has intulere licitas quacumque die, licet feſtiva, pro qua privilegium procedit. Dum enim Papa abſolute concedit altare privilegiatum quotidianum, aut pro ſtatis feriis, dies reſpective omnes indulget utiles pro acquiſitione privilegii, quare cum probe ſciat in duplicibus, aliiſque anni diebus miſſas de Requiem eſſe interdictas, fas eſt, in favorem altaris privilegiati diſpenſet ſuper Rubricis eaſdem inhibentibus, alias quippe dies plurimos concederet ut utiles, quos fecit inutiles, quod eſt abſurdum.

II. Nunc Congregatio in oppoſitum cenſuit pro feſtis præceptivis, & diebus Dominicis, ſuper quibus fuit conſulta, ſed ad dies omnes, quibus miſſæ de Requiem ſunt inhibitæ, identitatis ratio diſpoſitionem protendit. Papæ enim mens talis eſſe præſumitur, qualis de jure eſſe debet. *Bald. in l. ex facto, ff. de vulgar. & pupill.* Nec cenſetur velle præjudicare Rubricis, niſi ſe explicet, quia revocatio, utpote odioſa, nunquam præſumitur *ex cap. 1. de conſtit. in 6.* quinimmo quantum fieri poteſt, vitandæ ſunt correctiones legum *ex l. præcipimus 32. C. de appell.*, & adeo, ut in dubio non ſit aſſerenda, neque facienda correctio *l. ſi quando 35. C. de inoffic. teſtam.*, ex conceſſione itaque ut ſupra privilegii ſuper Rubricis inhibentibus minime diſpenſare cenſetur. An autem, & quomodo prælati dies queant eſſe utiles, ſequentia dabunt Decreta.

DECRETUM III. CAPITIS, IN ORDINE XCIII.

Non licet in altari privilegiato dicere miſſam de requiem in diebus, quibus occurrit feſtum primæ, vel ſecundæ claſſis, non obſtante conſuetudine immemorabili, S. R. C. 25. Sept. 1649. *in Tornacen.*

I. COnſuetudo, cui propemodum infinitæ, & identidem iteratæ reſiſtunt leges, digna haud eſt, quæ cujuſcumque temporis tractu firmetur, & ideo etſi ſit immemorabilis, quæ adducitur pro tuenda miſſa de requiem in propoſito caſu, jure reprobatur, & idipſum conſequenter erit de quibuſvis aliis diebus, quæ juxta Rubricas, Decretave miſſas Defunctorum reſpuunt.

DECRETUM IV. CAPITIS, IN ORDINE XCIV.

Miſſæ de feſto duplici celebratæ in altari pro animabus in perpetuum privilegiato, & in quo proinde etiam in duplicibus ſunt celebrandæ miſſæ de requiem ex obligatione, ſuffragantur, ac ſi celebratæ fuiſſent pro Defunctis juxta formam privilegiorum, ut declaravit Alexander VII. in ſuo Brevi, quod incipit *Credita nobis* 22. Januarii 1667.

I. UT *declaravit*. Declaratio jus novum non facit, ſed antiquum exponit, quare etiam in præteritum licitum erat in altari privilegiato dicere miſſas de feſto duplici, ac per eaſdem æque ſuffragari Defunctos, ac ſi de Requiem celebratæ fuiſſent, quemadmodum jam ſentiebant Diana, & Doctores plurimi. Ubertim hinc habes, quod privilegium altaris non diſpenſat ſuper miſſis de Requiem diebus, quibus ſunt interdictæ, & quomodo tales dies adhuc poſſint eſſe utiles, mediante ſcilicet celebratione miſſarum de feſto.

DECRETUM V. CAPITIS, IN ORDINE XCV.

Privilegium Alexandri VII. die 22. Janu. 1667. circa miſſas de feſto duplici in altaribus perpetuo privilegiatis celebratas, extenditur etiam ad altaria, non in perpetuum, ſed ad ſeptennium, ſeu aliud brevius, vel longius tempus, ac non omnibus, ſed aliquo, vel aliquibus tantum hebdomadæ diebus privilegiata; ac proinde miſſæ, quæ ibidem de feſto currenti, in quo miſſæ Defunctorum celebrari non poſſunt, ſive ex obligatione, ſive ex ſola Fidelium devotione celebrabuntur, ſuffragantur, ita ut animæ, pro quibus celebratæ fuerint, indulgentias per privilegia hujuſmodi conceſſas, conſequantur in omnibus, & per omnia, perinde ac ſi miſſæ Defunctorum ad formam eorumdem privilegiorum celebratæ fuiſſent. S. R. C. 20. Julii annuente. Clem. IX. 13. Auguſti 1669.; & in ſuo Brevi, quod incipit *Cum felic. record.* 23. Sept. ejuſdem anni confirmatur.

I. BRevi expoſitione Decretum complectimur. Alexander VII. declarat miſſas *ex obligatione* in altari *in perpetuum* privilegiato dicendas, Defunctis ſuffragari quoad privilegium, licet dicantur de officio, quando occurrit feſtum duplex, nunc vero extenditur hujuſmodi privilegium, ſeu magis declaratur, idipſum fore de miſſis *ſive ex obligatione, ſive ex ſola fidelium devotione*, quæ celebrantur in altaribus, non in perpetuum, *ſed ad ſeptennium, ſeu aliud brevius, vel longius tempus, ac non in omnibus, ſed aliquo, vel aliquibus tantum diebus hebdomadæ privilegiatis*. Par enim ratio parem exigit diſpoſitionem.

II. Quod ponderemus, nobis ſe offert Decretum aliud, & ſit 6. cap., in ord. 96. *Declarationis Alexandri VII. 22. Janu. 1667., & Clementis IX. 23. Septemb. 1669. circa miſſas Defunctorum in altari pro animabus purgatorii privilegiato non celebrandas, licet loquantur tantum de feſtis duplicibus, tamen intelligendæ ſunt etiam de diebus Dominicis, & infra octavas Paſchatis Reſurrectionis, Pentecoſtes, Corporis Chriſti, aliiſque anni diebus, quibus licet a feſto duplici non impediantur, adhuc tamen miſſæ Defunctorum juxta Ritum Eccleſiæ celebrari nequeunt, quatenus nimirum Miſſæ, quas iiſdem diebus celebrare licitum eſt, ſervata ceteroquin privilegiorum forma, ad altaria privilegiata celebrentur*. S. R. C. 3. Aprilis 1668. confirmante Innoc. XI. in Brevi *Alias poſtquam* 4. Maji 1668.

III. Alexander VII., & Clemens IX. in ſuperius recenſitis Bullis dumtaxat declarant miſſas *de feſto duplici* in altari privilegiato celebratas, æque Defunctis ſuffragari, ac ſi dictæ fuiſſent de requiem, modo Innocentius XI. definit illorum Bullas, licet ſolum loquantur de feſtis duplicibus, accipiendas eſſe de omnibus anni diebus, in quibus licitum non eſt celebrare de Requiem, dummodo tamen miſſæ eorumdem dierum celebrentur ad altare privilegiatum, ad quod juxta formam indulti jam miſſæ de Requiem celebrari deberent. In feſtis duplicibus, quorum laudatæ meminerant Bullæ, prædicti dies omnes virtualiter inerant, nec aliter expoſcit fieri, & ratio earumdem, unde impræſentiarum non quid novi firmatur, ſed ſolum exponitur, quod jam fuerat ſtatutum. Quæ autem ſtatuunt, atque declarant poſtrema tria data Decreta, ample confirmata fuerunt per Sacram Rituum Congregationem 15. ſept. 1714. annuente Clemente XI. 29. ejuſdem.

IV. Expoſitionem triplex claudat admonitio. Prima eſt, quod miſſæ ſolemnes, cantatæ, aliæve, quæ ex privilegio haberi poſſunt in iis diebus, in quibus privatæ manent inhibitæ, haud proderunt quoad indulgentiam, ſi de Requiem non celebrentur, non ſubrogant quippe indulta miſſam de die, niſi quatenus de requiem haberi non valeat. Secunda eſt, quod recitans officium duplex, ſi celebret in Eccleſia, in qua agitur de ſemiduplici, itidem de Requiem celebrare tenetur, ſecus vero, qui recitavit officium ſemiduplex, ſi celebret in Eccleſia, in qua agitur de duplici. Ratio eſt, quia ille in aliena Eccleſia poteſt dicere miſſam de Requiem, non hic, quemadmodum alibi traditur. Tertia eſt, quod etſi occurrat officium admittens miſſas de Requiem, utiliter dici poteſt miſſa de die, ſi ratione Sacramenti expoſiti, aut alia de cauſa in Eccleſia, in qua celebratur, miſſæ Defunctorum maneant inhibitæ; nimis enim diſerte ſe exprimunt Decreta, dum in altari, in cujus Eccleſia miſſa de Requiem dici non poteſt, ad effectum conſequendi privilegii ſubrogant, miſſam de die, ut nos adſtringere minime valeamus Sacerdotes ad adeundas Eccleſias, in quibus de Requiem valeat celebrari, quando etiam id commode facere poſſent.

DECRETUM VI. CAP. IN ORDINE XCVII.

An privilegium in altari privilegiato perpetuo *ad dies non impeditos* ante declarationem Alexandri VII. conceſſum, ſuffragetur univerſim etiam diebus impeditis feſto poſt illam declarationem? Reſp. *negative*. Sacra Indulg. Congreg. 26. Julii 1725.

I. ALtaria ante declarationem Alexandri VII. non abſolute ſed ſolum *pro diebus non impeditis* privilegiata, non ſunt ſimpliciter, & pro omnibus diebus, ſed limitate, & pro ſolis diebus non excludentibus miſſas de Requiem, privilegiata, & ideo bene ſtatuitur univerſim eadem, etiam in diebus impeditis, non ſuffragari poſt dictam declarationem, quæ altarium privilegiatorum indulta extendere, & ampliare minime intendit, ſed tantum eorumdem vim patefacere, & efficaciam. Quinimmo declaratio Alexandri VII. nec favorabilis eſſe poteſt pro iis diebus, qui poſt emanationem reſpectivi Indulti, aut præfatæ declarationis per feſta duplicia fuiſſent impediti; indulta enim, quæ dies impeditos e favore excludunt, in ſinu ſuo nedum comprehendunt dies præcedenter impeditos, ſed etiam, quos ſubſequenter impediri contingit. Uti dubium, ita reſponſio procedunt dumtaxat de privilegio altaris *perpetuo*, ſed diſpoſitionis ratio afficit etiam altaria ad tempus nondum elapſum privilegiata, immo etiam ea, quæ poſt memoratam declarationem cum prædicta clauſula forent conceſſa.

DECRETUM VIII. CAPITIS, IN ORDINE XCVIII.

Diſcuſſo dubio, an attentis verbis, quæ in Brevibus indulgentiarum apponi ſolent, *præſentibus ad ſeptennium tantum valituris*, ſeptennii initium e die publicationis Brevis deſumendum ſit? Sacra Congreg. indulg. die 18. Maii 1711. *non a die publicationis Brevis, ſed a die Data Brevis ſeptennii tempus incipere*, reſpondit annuente Clem. XI. die 20. ejuſdem menſis.

I. DOctores diffident, unde petendum ſit initium ſeptennii, vel brevioris, aut longioris temporis, ad quod nonnunquam indulgentiæ conceduntur, ſeu altaria privilegiata, ut inde eruatur, quandonam expirent. Paſqualigus *quæſt.* 751. *num.* 4., Rodriq. *tom.* 2. *quæſt.* 98. *art.* 3., Bordonus, aliique illud petunt a prima die, qua celebratur in altari, ut totum ſit utile, cujuſmodi non foret, ſi inciperet a die Datæ privilegii, quæ Romæ fit, aut a die recognitionis Ordinarii, cum vix ſtatim in locis diſſitis ejuſdem uſus haberi valeat. Puteobonellus *de ſacrif. miſſæ quæſt.* 4. *num.* 9. a die recognitionis Ordinarii petendum eſſe putat, quia tunc incipit utilitas aptitudinalis proxima, in qua conſiſtit privilegium, non in utilitate exercita, ſeu in uſu, hic namque jam ſupponit in altari privilegium, cum uſus rei rem ſupponat.

II. Hos dicendi modos ſanctio præſens enecat, dum ſeptennium petit *a Die Data Brevis*, cujus utique verba illa *Præſentibus ad ſeptennium valituris* afficiunt litteras ipſas, & ſic earumdem ſimul durationem menſurant; expiratis autem litteris, quibus innituntur indulgentiæ, & altaria privilegiata, quis crederet, non hæc ſimul corruere? Hinc ſequitur conſequentia altera, nempe quod cum ſeptennium non per utilitatem privilegii, ſed per Datam Brevis menſuretur, privilegium expiraret, tametſi ejuſdem utilitas per ſeptennium haberi non poſſet, puta quia corruerit altare, aut ſit reficiendum, vel contingeret ceſſatio a divinis, incurſio militum, aut quæcumque alia cauſa, ob quam in eo altari celebrari non poſſet.

III. Dices, quod ſi ita foret, haberi non poſſet renovatio privilegii, niſi priori ſeptennio expirato; in diplomate enim ſolet apponi hæc clauſula, *ſimili ad præſens privilegio minime decorata*, quæ verificari non valet, niſi antiquo ſeptennio expirato; hoc autem eſt contra communem Eccleſiarum uſum, quæ ſemper petunt renovationem, nondum expirato priori privilegio, ut novum privilegium unire queant cum antiquo, & habere continuationem cultus, & decoris altaris. Verum quando hujuſmodi clauſula habeatur in litteris renovantibus privilegium, dicito, quod excludit quidem aliud ſimile privilegium in eadem Eccleſia in alio altari, & cum coexiſtentia, adeo ut ſint duo altaria ad ſeptennium privilegiata, at non excludit ſucceſſionem ſeptennii ad ſeptennium, privilegii ad privilegium, cum hæc per renovationem a Papa ſcienter concedatur.

IV. An ſicuti ſeptennium primæ conceſſionis privilegii menſurandum eſſe diximus a Data litterarum, ita cenſendum ſit de ſeptennio conceſſo in renovationem ejuſdem privilegii, an magis petendum ſit e die, quo expirat antiquum privilegium, deciſio pendet ex verbis indulti, ita ut ſi hoc iiſdem verbis ſit expreſſum, quibus primum indultum exprimi ſolet, perinde ac ſi privilegium primo concederetur, tunc a Data litterarum initium peti debet, quantumvis antiquum privilegium nondum ſit expiratum, in hoc quippe caſu æque militat diſpoſitio, & ratio præſentis Decreti. Si vero in indulto habeantur verba, quibus ſignificetur privilegium renovari, vel

con-

confirmari ad aliud ſeptennium, initium petendum erit a die, quo expirat antiquum privilegium, non a die Datæ Brevis, licet in hoc habeatur clauſula *Præſentibus ad ſeptennium tantum valituris*; tunc enim non attenditur Data Brevis, quod renovat, vel confirmat privilegium, ſed dies, qua expirat antiquum privilegium, quod ſi a Data præfati Brevis petendum foret, non amplius perduraret per aliud ſeptennium, ad quod renovatur, & confirmatur. At quid, ſi expediretur Breve, priori privilegio jam expirato? Tunc enim initium ſeptennii deſumendum eſt a die expirationis privilegii, quod confirmatur, an magis a Data Brevis, quod illud renovat? Quæ ſuperius data ſunt, a die expirationis priſci privilegii, quod propterea confirmari & innovari aſſeritur, peti debere ſuadent facile, ſed quoniam nunc verſamur in favorabilibus, in quibus ampliandum eſſe jura clamant, & ſatis patens eſt mens Brevis, ut per integrum aliud ſeptennium perduret antiquum privilegium, nec dubitamus initium deſumendum eſſe a Data Brevis; quem ad intellectum confert maxime clauſula *Præſentibus ad ſeptennium valituris*, qua non minus affectum ſupponitur Breve, quod privilegium renovat. Pari ratione loquere de Brevi, quod ad tempus brevius, vel longius renovat antiquum privilegium, aut hoc primo concedit.

DECRETUM IX. CAPITIS, IN ORDINE XCIX.

Clauſula poſita in Brevibus indulgentiarum, ſcilicet; *Volumus autem, ut ſi alias chriſtifidelibus dictam Eccleſiam qualibet anni die viſitantibus, aliqua alia indulgentia perpetua, vel ad tempus nondum elapſum duratura, conceſſa fuerit, præſentes litteræ nullæ ſint*, non comprehendit altaria privilegiata pro Defunctis, neque indulgentias certo perſonarum generi conceſſas, ut Confraternitatibus, Regularibus, & Capitulo; aut certum pium opus in Eccleſia peragentibus, ut litanias, aliaſque hujuſmodi orationes recitantibus, nec iis, qui chriſtiana doctrina erudiuntur, vel qui SS. Euchariſtiæ Sacramenti expoſitioni cum oratione 40. horarum interſunt; neque ſtationum Urbis, & ſeptem altarium indulgentias inſtar ſeptem altarium Baſilicæ Vaticanæ conceſſas, neque demum, quæ pro unica vice conceduntur. Ceterum ſi alia indulgentia, ſeu plenaria, ſeu non plenaria in perpetuum, vel ad tempus tum ab eodem, tum ab alio Romano Pontifice generatim Chriſtifidelibus Eccleſiam, vel aliquod ejus altare, vel cappellam viſitantibus eodem anni die, vel diverſo conceſſa fuerit, de qua non fiat in litteris Apoſtolicis mentio, has litteras ob adjectam clauſulam eſſe prorſus irritas ac nullas declaravit Sacra Congreg. Indulg. 23. Junii 1676. approbante Innoc. XI. die 18. Martii 1677.

I. SImplex lectio clauſulæ, quæ afficit *indulgentiam quemlibet*, ſive perpetuam, ſive ad tempus nondum elapſum *Chriſtifidelibus* univerſim conceſſam, non abſolute, ſed *Eccleſiam*, cui nova indulgentia conceditur, *viſitantibus*, abunde inſtruit, comprehendi quidem indulgentiam quamlibet aliam, ſeu plenariam, vel non plenariam, cujus utile tempus nondum expiravit, ſed non quæ conceſſa eſt determinato alicui perſonarum generi, quinimmo nec Chriſtifidelibus univerſim pium opus aliquod in eadem Eccleſia peragentibus, ſed ſolum prædictam Eccleſiam viſitantibus, ut ſcite declarat Sanctio. Hinc abunde habes, haud comprehenſa eſſe altaria privilegiata, quorum indulgentia non viſitationi Eccleſiæ, ſed miſſæ ſacrificio eſt alligata, quinimmo ſimul coire poſſe plura altaria privilegiata, & indulgentias pro diverſo mortuorum genere conceſſas, & ex indulgentiis etiam quæ conceſſæ forent pro viſitantibus Eccleſiam, ſimul ſtare poſſe pro pium opus aliud agentibus, tametſi ambæ pro iiſdem Defunctis eſſent conceſſæ. Stabunt itidem indulgentiæ in ſuffragium Defunctorum tantum, etſi alligatæ viſitationi, aut operi alicui, cum indulgentiis conceſſis pro vivis ſub conditione reſpectivæ ejuſdem viſitationis, aut operis, quia hoc ipſo ſunt pro diverſo perſonarum genere, inter quas, vivos ſcilicet & mortuos, magnum chaos firmatum eſt. Quod verum ſit, quamvis indulgentiæ pro vivis conceſſæ, eſſent pro Defunctis applicabiles; adhuc enim immediatum earum ſubjectum, a quo diſcrimen depromunt, idem non eſt, ſed diverſum.

II. Declarat inſuper Decretum, indulgentiam cum prædicta clauſula conceſſam, haud nutare ob indulgentias ſtationum, aut ſeptem altarium, vel quæ pro unica vice eſſent conceſſæ, & quidem etſi forent pro omnibus Chriſtifidelibus ut ſupra viſitantibus. Quas extra indulgentias vult quamcumque aliam in perpetuum, vel ad tempus nondum expiratum, licet jam jam expiraturum, tum ab eodem, tum ab alio Romano Pontifice conceſſam generatim Chriſtifidelibus Eccleſiam, vel aliquod ejus altare, vel cappellam viſitantibus eodem anni die, vel diverſo, nullas reddere, ac irritas litteras Apoſtolicas, quæ de novo concedunt prædictam indulgentiam, ac conſequenter nullam etiam indulgentiam ipſam conceſſam, niſi in litteris ipſis mentio fiat de præcedenti indulgentia. Verba enim illa clauſulæ *Dictam Eccleſiam qualibet anni die viſitantibus* utique comprehendunt indulgentiam conceſſam viſitantibus altare, vel cappellam eodem anni die, aut diverſo, quia qui altare, vel cappellam viſitat, *Eccleſiam* ipſam viſitat, & idem, & diverſus dies clauditur in *quolibet anni die*. De indulgentia per Epiſcopum conceſſa, & nondum expirata dubitatio eſſe poſſet ob Sanctionis verba illa tum ab *eodem*, *tum ab alio Romano Pontifice*, ſed quia Epiſcopi nonniſi auctoritate per Summum Pontificem habita, indulgentiam concedunt, & aliunde clauſula ea minime tenet reſtrictiva verba, nec expoſcit aliter paritatis ratio, idcirco & eadem non minus videtur officere.

III. Hinc facile eſt eruere ſenſum alterius clauſulæ in Diplomate altaris privilegiati apponi conſuetæ, videlicet *ſimili ad præſens privilegio minime decorata*; non enim univerſim excludit ab eadem Eccleſia privilegium aliud, ſed ſolum privilegium *ſimile*, hoc eſt ejuſdem, non diverſæ rationis, unde privilegium pro Defunctis alicujus confraternitatis pugnat quidem cum alio privilegio pro Defunctis ejuſdem confraternitatis, ſecus pro Defunctis alterius confraternitatis, aut pro omnibus fidelibus Defunctis. Altaria autem privilegiata cenſentur ejuſdem rationis, quoties ſunt pro iiſdem Defunctis, licet unum ſit latius alio, puta unum quotidianum, & aliud pro una dumtaxat feria. Quod ſi in renovatione privilegii prædicta habeatur clauſula, haud credimus priſcum privilegium obeſſe ſuæ innovationi, dummodo in petitione fuerit expreſſum; tunc enim cum litteræ antetrahantur ad diem, in quo expirat antiquum privilegium, & a Papa ſciente expediantur, antiquum privilegium novo minime obeſſe poteſt. Secus foret, ſi antiquum privilegium in petitione taceretur, quia novum a Papa antiqui conſcio minime concederetur, & cum antiquum nondum ſit elapſum, duo ſimul haberentur privilegia ejuſdem rationis, quod diſerte pugnat cum eo, quod præſens Sanctio ſtatuit de indulgentiis.

DECRETUM X. CAPITIS, IN ORDINE C.

Sub generali indulgentiarum ſuſpenſione, quæ fit anno Sancto, non comprehenduntur altaria privilegiata, nec aliæ indulgentiæ pro ſolis Defunctis conceſſæ. Benedictus XIII. die 10. Janu. 1725.

I. INdulgentiarum ſuſpenſio in finem habet viventium acceſſum ad urbem pro lucrando Jubilæo, & ſolemnizando anno Sancto cum majori pompa, & devotionis apparatu; per altaria autem privilegiata, aut indulgentias pro ſolis Defunctis conceſſas, vix fideles retardare queunt ad prædictum acceſſum, & aliunde nec Defuncti tales ſunt, qui ad urbem accedere valeant. *Pro ſolis Defunctis conceſſæ*, rite ait Decretum, quia indulgentiæ pro vivis conceſſæ cum facultate eaſdem applicandi pro Defunctis, æquum fit, etiam in horum beneficium ceſſent, utpote quæ ceſſat pro vivis, quibus immediate, & principaliter ſunt indultæ. Idem eſto judicium de Bulla Cruciatæ.

DECRETUM XI. CAPITIS, IN ORDINE CI.

Intuito alicujus altaris privilegiati in aliqua Eccleſia non licet exponere tabellam ſuper januam Eccleſiæ *Indulgenza per li morti*, ſed tantum ſuper ipſo altari privilegiato conſuetis verbis *Altare privilegiatum pro Defunctis*. S. R. C. 13. Aug. 1667. *in Romana*.

I. EX indulgentiis pro Defunctis aliæ affixæ manent viſitationi Eccleſiæ; & has uſus communis indicat per tabellam ad Eccleſiæ valvas; *Indulgenza per li morti*; aliæ vero, quæ Defunctis ſunt tantum applicabiles medio Sacrificio, & hæ promulgari aſſolent per tabellam *Altare privilegiatum pro Defunctis*, appenſam altari ipſi, in quo eſt ſacrificandum. Ad vitandum itaque deceptionis periculum merito proſcripta fuit tabella ad Eccleſiæ fores, *Indulgenza per li morti*, & ſuper altari apponi mandata conſueta verba *Altare privilegiatum*, quæ indulgentiam quidem denotant pro Defunctis aſſequibilem, ſed nonniſi media celebratione Sacrificii in eodem altari.

II. Perſcrutari lubet, num ſacrificium, & indulgentia queant dividi, ita uni applicari valeat ſacrificium, indulgentia alteri? Deciſio pendet ex verbis indulti; ſi enim cantat; *Qui pro Defuncto miſſam in tali altari dixerit, liberat animam ejus &c.* ſacrificium, & indulgentia non poſſunt dividi, ſed utrumque pro eodem Defuncto eſt applicandum: ſi autem to *Pro defuncto* in indulto deſit, applicatio ſolius indulgentiæ ſufficit ad liberandam animam, & ſacrificium cuilibet poterit applicari. Scite advertit Suarez *tom. 4. diſp. 53. ſect. 4. num. 3.*, & nos ipſi docuimus in libro de Sacro Cingulo *par. 2. num. 474.*, quod quando injungitur opus aliquod ad acquirendam pro Defunctis, neceſſario quidem fieri debet, tamquam conditio fundamentalis indulgentiæ, ſed poſtea neceſſe non eſt, quod applicetur illi, cui applicatur indulgentia, niſi conſtet de onere hujuſmodi applicationis, quia indulgentia ex ſe eſt adæquata pœnæ, nec indiget ſuperadditione alterius operis. Si tamen Fundator, aut ſtipem erogans, imponat onus celebrandi in altari privilegiato, tunc prædicta diviſibilitas locum non habet, per impoſitionem quippe talis oneris cenſetur etiam voluiſſe applicationem indulgentiæ. Secus eſt, ſi Sacerdos onus habeat ſacrificandi, ſed non in altari privilegiato, tunc ſiquidem adimplet obligationem ſuam per applicationem ſacrificii, & liber eſt quoad applicationem indulgentiæ, dummodo tamen celebret in altari, cujus privilegium non exquirat etiam applicationem Miſſæ.

III. Succedit dubium aliud, num ſacerdos ut ſupra dividens, duo ſtipendia recipere valeat? Negat Bordonus *de legatis cap. 7. num. 43.*, Puteobonellus *de ſacrif. quæſt. 4. art 2. nu. 14*, aliique plures, tum ob Decreta, quæ pro eadem miſſa diſtricte inhibent duo ſtipendia recipi, tum quia cum indulgentia res ſpiritualis ſit, nonniſi ſimoniace exigi poteſt, ſtipendium pro ejuſdem applicatione. Nos in oppoſitam verſamur partem; Congregationis enim Decreta dumtaxat inhibent duo ſtipendia recipi pro applicatione ejuſdem ſacrificii,

& licet pro applicatione indulgentiæ nonniſi ſimoniace quid poſ-ſit exigi, ſecus tamen eſt ratione oneris, quod ſacerdos aſſumit celebrandi in altari privilegiato, obligatio quippe iſta eſt pretio æſtimabilis, ob quam conſequenter excipi, & exquiri poteſt ſtipendium. Sic edocent Doctores non ſpernendæ notæ, qui Capellanum quemlibet pinguius ſtipendium exigere poſſe ſentiunt ob obligationem celebrandi in determinato loco, & altari, ſicuti & per pinguius ſtipendium conduci ſolent ſacerdotes, qui ſummo mane, aut prope meridiem, vel determinata hora celebrent.

IV. Liceat & aliud nunc excitare dubium, videlicet ad quid teneatur obligatus celebrare in altari privilegiato, ſi in non privilegiato celebret? Lethalis culpæ eum Doctores communiter damnant, quinimmo eorum plures & reſtitutionis ſtipendii, aut iterationis ſacrificii in altari privilegiato. Nos mitius procedimus, eumque ſolum adſtringimus ad reſtitutionem exceſſus, quatenus pinguius conſueto ſtipendium acceperit, ſecus ſi ſolum conſuetum, quia cum huic correſpondeat applicatio ſacrificii, quo Defunctus non defraudatur, non violatur juſtitia, ex qua dumtaxat oritur obligatio reſtitutionis, ſed ſolum fidelitas, per cujus læſionem culpa quidem lethalis, ſi ſit in re gravi, uti evenit in caſu, numquam tamen obligatio reſtitutionis incurri poteſt. Verum etſi ad reſtitutionem non obligetur, quia tamen Defunctum in re gravi, ſcilicet indulgentiæ fructu defraudat, dubium non eſt, quod damnum compenſare tenetur per alia opera ſatisfactoria, inter quæ caſui valde erit appoſita indulgentia alia plenaria ex iis, quæ pro Defunctis lucrari queunt.

DECRETUM XII. CAPITIS, IN ORDINE CII.

Cum in indultis altarium privilegiatorum hæc adjici ſoleat clauſula: *Dummodo in dicta Eccleſia tot miſſæ quotidie celebrentur*: quæritur, an attenta dicta clauſula, neceſſaria omnino ſit ſingulis diebus celebratio miſſarum in indultis hujuſmodi præfinitarum, vel potius ſufficiat aliquibus, licet non omnibus, diebus cujoslibet hebdomadæ? Sacra autem Congr. Concilii reſpondit *affirmative quoad primam partem, negative quoad ſecundam, ac proinde celebrationem miſſarum in indultis præfatis, ut præfertur, præfinitarum, omnino neceſſariam eſſe ſingulis diebus in eadem Eccleſia*. Ita die 5. Junii 1694. approbante Innoc. XII. die 11. Sept.

I. NOn deſunt altaria tam ex antiquis, quam ex modernis, quorum privilegium nullo miſſarum numero eſt alligatum, & præſertim quæ in ſuffragium particularium perſonarum, puta Confratrum alicujus congregationis, conceſſa fuere, vel ſi in ſuffragium omnium Defunctorum, quæ lata fuere pro Eccleſiis ſitis in partibus Infidelium, vel Hæreticorum. Sub Paulo V. cautum fuit, altare privilegiatum pro omnibus Defunctis concedendum non eſſe, niſi in Eccleſiis inſignibus, & has cenſendas tales, in quibus quotidie plures celebrantur miſſæ, & ſub Clemente IX., & XI. præfinitus fuit miſſarum numerus, ſcilicet ſaltem quinque quotidianarum pro privilegio unius diei per hebdomadam, decem pro duarum feriarum, quindecim pro trium, & quadraginta pro quotidiano. Qui tamen numerus non adeo ſevere ſervatus fuit, ut quandoque Pontifices etiam minori contenti non fuerint, quare hac in re nihil certi ſtatui poteſt, ſed reſpectivum indultum opus eſt excogitari.

II. Decretum dumtaxat afficit altaria, quæ præfinitum habeat miſſarum numerum, circa quæ Bordonus *num.* 124. putavit ſufficere, quod ab initio, dum acquiritur poſſeſſio privilegii, in Eccleſia exter numerus præfixus, nec privilegium ſuſpendi, ſi tractu temporis numerus ille minuatur. Gobat *Theol. exp. tract.* 3. *num.* 641., Paſqualigus *quæſt.* 748., aliique plurimi docent privilegium non ſuſpendi, ſi poſt acquiſitionem ejuſdem *caſu* deficiat numerus, & to *quotidie* intelligi debere, non in rigore grammaticali, ſed moraliter pro *ut plurimum*, *& frequentius*. In oppoſitum nunc cenſuit Congregatio, quæ cum expoſcat præfinitum miſſarum numerum ſingulis diebus cum additione particulæ *omnino*, videtur comprehendere indiſtincte caſus omnes ſine diminutione, & diſpenſatione. Temperamentum tamen aliquod adhuc patitur, quod eidem auctoritative exporrigit ſequens Sanctio.

DECRETUM XIII. CAPITIS, IN ORDINE CIII.

Quæritur 1., an abſentibus Religioſis ex cauſa prædicationis tempore Quadrageſimæ, & Adventus, vel quando occaſio feſtivitatum, vel funerum, aut ſimilium, a ſuperioribus ad celebrandum alibi tranſmittuntur, indulgentiæ conceſſæ cum certo numero miſſarum, qui ob dictas cauſas adimpleri non poteſt, prorſus ceſſent, vel pro eo tempore, quo numerus non fuerit adimpletus, ſint ſuſpenſæ, vel potius remaneant in ſuo robore? 2. an idem ſit ſtatuendum, deficiente dicto numero miſſarum ob infirmitatem ſacerdotum tam Regularium, quam Sæcularium? 3. an pariter ſit ſtatuendum deficiente dicto numero miſſarum ob abſentiam ab Eccleſiis Sæcularibus Canonicorum, & ſacerdotum per aliquot dies, vel menſes? Sacra autem Congreg. Concilii ad primum reſpondit, *quoad primam partem pro tempore Adventus, & Quadrageſimæ remanere ſuſpenſas, non autem in reliquis, dummodo raro contingat*. Ad ſecundum, *non remanere ſuſpenſas*. Ad tertium, *proviſum in primo*. Ita die 30. Julii 1706.

I. TEmperamentum, quod præcedens patitur, præſens Sanctio exhibet. *Pro tempore Adventus, & Quadrageſimæ remanere ſuſpenſas*. Non caſſantur itaque ſed ſolum pro eo tempore ceſſant, integrum robur recuperaturæ, cum primum numerus implebitur, quare ruit ſententia Bordoni, qui præfinitum numerum dumtaxat excogitavit neceſſarium tempore, quo Eccleſia poſſeſſionem privilegii acquirit. *Non autem in reliquis*, nimirum non remanere ſuſpenſas, quando occaſione feſtivitatum, funerum, aut ſimilium ſacerdotes alibi celebrant; *dummodo id raro contingat*. To itaque *quotidie* non quidem in rigore grammaticali, ſed morali modo accipiendum eſt, non tamen juxta expoſitionem Gobat, & Paſqualigi, qui pro *ut plurimum*, *& frequentius* illud accipiunt, ut infra ad tertium reſervamus dicere.

II. *Ad ſecundum non remanere ſuſpenſas*, quando ſcilicet deficit numerus ob infirmitatem ſacerdotum, & cum Decretum non diſtinguat, accipiendum eſt pro quocumque tempore perduret infirmitas: tunc enim per ipſos non ſtat, quin miſſarum numerus adimpleatur. *Infirmorum* nomine ſenes itidem veniunt, qui *in cap. quod de his de ſent. excom.*, *& cap.* 51. *quis teſtium de Teſtibus* æquiparantur infirmis, quibus convaleſcentes adjungimus, dummodo utrique, & pro tempore, quo ſine detrimento ſalutis celebrare non poſſunt. Par judicium facimus de iis, qui ad tempus inſaniunt, vel adeo anguntur ſcrupulis, vel mentis perturbatione tenentur, ut indiſpoſitionem ſuam non ſuperare valentes, a celebrando arceantur; ſunt enim hujuſmodi ſi minus corpore, certe mente infirmi, & hæc ex infirmitatibus eſt potior. De illis, qui permanenter ſunt mente capti, aut aliqua ex allegatis indiſpoſitionibus, vel ſimilibus tenentur, ita ut vix aliqua ſpes ſalutis, vel nulla affulgeat, ſuccedit quæſtio, quam reſolvimus, ut ſupra fecimus de iis, qui cum corporali infirmitate detinentur, inſperata eſt eorumdem ſalus. Cum enim Monaſteria, aliæque Eccleſiæ Canonicales infirmos hujuſmodi alere teneantur, ultra vires, vel cum gravi incommodo cogendæ non ſunt accire alios, qui præfinitum ſuppleant numerum, ut privilegio perfruantur. In hoc caſu limita in conductis per ſtipendium, qui æque bene, & ſine incommodo alii conduci queunt, quorum tamen ſubſtitutione haud opus eſſe credimus, quando illi regulari infirmitate detinentur, aut ſi earumdem eſt inſperata ſalus, per mortem ſunt brevi conſumendi, vel pro brevi tempore, quo aliis conducuntur.

III. *Ad tertium proviſum in primo*, nempe deficiente numero miſſarum ob abſentiam Sacerdotum Sæcularium (idem eſt de Regularibus) per aliquot dies, & menſes, idem judicium habendum eſſe, ac habitum fuit deficiente numero ob prædicationem Adventus, vel Quadrageſimæ, aut aliis de cauſis in primo quæſito recenſitis. Quapropter cum etiam per Adventus prædicationem ſuſpendatur favor, & ſolum ſubſiſtat, quando *raro* numerus miſſarum deficiat, idipſum ſentiri debet deficiente numero ob abſentiam ſacerdotum, ita ut ſpatium unius menſis, per quem ad ſummum perdurat prædicatio Adventus, favorem ſuſpendat. Verum ſi hujuſmodi anguſtiæ minus arrident, probabiliter dici poteſt, quod ſpatium unius menſis continuatum ſuſpendit quidem indulgentiam, ſecus, ſi interpolate intra annum ſumatur. Quadrat expoſitioni dictio *raro*, videtur namque interpolationem dicere, & comparatione habita ad annum integrum, bene importare poſſe ſpatium unius menſis, præſertim quia alias vix alicubi integrum privilegium ſubſiſteret, & reſtrictum admodum foret conceſſum commodum celebrandi alibi ratione feſtivitatum, funerum, aliarumque cauſarum. Ad rem confert apprime, quod cauſæ, quæ privilegium minime ſuſpendunt, & a Decreto aperte approbantur, ſunt quidem, quæ in quæſito exprimuntur, ſcilicet *quando ſacerdotes occaſione feſtivitatum, vel funerum, aut ſimilium, a ſuperioribus ad celebrandum alibi tranſmittuntur*, ſed id eſt ratione petitionis, quæ ſolum earumdem meminit, unde nec dubitamus idipſum fore, & implicite approbari quaſcumque alias legitimas cauſas, ob quas ſacerdotes pergerent ad celebrandum alibi, vel a celebrando abſtinerent, puta ratione itineris, abſentiæ, concionis, alicujus urgentis ſtudii, negotiorum propriæ Eccleſiæ, vel adhuc propriarum curarum, quibus quandoque clerus, præſertim ſæcularis, jure diſtinetur, aut propriæ ſpiritualis indiſpoſitionis, quam humana nonnunquam patitur infirmitas, & vix illico per actus virtutis ſuperari poteſt, ut taceam honeſtatem, ob quam etiam Capellanum quotidie celebrare obſtrictum, aliquando vacare poſſe Alexander III. declaraſſe refertur. Legitimis hiſce cauſis, quarum aliquibus vix ullus ex pluribus ſacerdotibus liber eſt, qui præfinitum numerum ſupplere tenentur, jam quiſque videt ægre fore conſultum, ſi dictio *raro* unius ſaltem menſis ſpatium interpolatum non importaret.

DECRETUM XIV. CAPITIS, IN ORDINE CIV.

In Collegiata S. Caroli Civitatis Mutinenſis datur altare privilegiatum pro omni feria hebdomadæ, ea lege, ut ſingulis diebus in Eccleſia legantur triginta Miſſæ; ſed contingit, quod tempore æſtivo per quatuor menſes vix legantur decem, aut duodecim, e contra aliis octo menſibus numerus ita excreſcit ultra triginta, ut ſi divideretur in omnes dies anni æqualiter, haberentur ſingulis diebus triginta quatuor miſſæ. Quæritur, an, & pro quo tempore conceſſum privilegium ſuffragetur? Reſp. *ſuffragari pro tempore, quo triginta miſſæ in Eccleſia celebrantur*. Sacra Congreg. Indulg. 20. Junii 1720.

I. EXcreſcens miſſarum numerus, qui aliquibus menſibus habetur, etſi per annum diſtributus, æquet, vel excedat nume-

Digitized by Google

numerum pro ſingulis diebus præfinitum, haud facit, quod præfinitæ miſſæ celebrentur diebus ſingulis, ſicuti privilegium expoſcit, & ideo ruat, neceſſe eſt, privilegium pro eo tempore, quo ejuſdem conditio minime impletur. At quid, ſi menſibus, quibus præfinitus numerus habetur, quandoque deficiat? Reſponſionem ſuggerit Sanctio præcedens, quæ privilegium ſuffragari ſtatuit, dummodo omiſſio raro contingat; ſi enim omnibus omnino diebus præfinitus numerus adimpleri deberet, res dubiis, & ſcrupulis plena foret, & nonniſi poſt expletionem præfinitarum miſſarum tuto adimpleri poſſent onera miſſarum privilegiatarum, cum ſemper ob aliquam ex accidentariis cauſis poſſet eo die deficere præfixus numerus. Eccleſiæ itaque, quæ in numero ſæpe deficiunt, attente videant, ne defunctos privilegio defraudent, his quippe Eccleſiis nullatenus favent Decreta, quæ ſolum pro raro defectu indulgentiam faciunt; ſed non minus pervigiles ſint Eccleſiæ, in quibus numerus præfinitus haberi ſolet, ne deficiant ultra conceſſionis terminos, quos ſi excedunt, non amplius privilegii ſunt participes diebus illis, quibus deficiunt. Verum quid juris circa miſſas celebratas diebus, quibus miſſarum numerus habitus non fuit? Eccleſias, in quibus numerus juxta Decreta haberi ſolet, ad compenſationem non putamus adſtringi, proceſſerunt namque bona fide, unde ex Eccleſiæ benignitate privilegium facile ſuffragari poterit. Secus eſt de Eccleſiis, quæ ſæpe deficiunt, hæ quippe quem unquam favorem a bona fide valent expoſcere?

II. Brevia ſuper altaribus privilegiatis miſſas, quas præfiniunt, *quotidie*, aut *ſingulis diebus* imponunt eſſe dicendas, & ejuſmodi profecto eſt & privilegium, ſuper quod præſens emanata fuit Sanctio; erat enim pro omni feria hebdomadæ, ſed *ea lege, ut ſingulis diebus in Eccleſia legantur triginta miſſæ*. Dum autem impræſentiarum ſtatuitur *privilegium ſuffragari pro tempore, quo triginta miſſæ in Eccleſia celebrantur*, licet juxta Brevis præſcriptum *ſingulis diebus* non dicerentur, abunde inſtruimur ſuper expoſitione *quotidie*, vel *ſingulis diebus*, quibus præfinitæ miſſæ in Brevibus dici mandantur, ita ut ſolum neceſſario dicendæ eæ ſint ſingulis diebus illis, quibus privilegium intenditur participari, non autem omnibus omnino diebus. Idipſum edocet præcedens Decretum, dum ſolum indulgentias declaret ſuſpendi pro illis temporibus, quibus præfinitæ miſſæ minime dicuntur.

DECRETUM XV. CAPITIS IN ORDINE CV.

Altare majus Fratrum Minorum Conventualium Montis Fuſculi Diœceſis Beneventanæ habet perpetuum privilegium cum reſtrictiva ad ſacerdotes ejuſdem Eccleſiæ, conceſſum a Gregorio XIII. Cum autem in Brevi habeantur hæc verba, *In Eccleſia duodecim ſacerdotibus ornata*, & nunc tantum exiſtant ſex ſacerdotes; quæritur, an privilegiatum adhuc ſubſiſtat? Reſp. *negative*. Sacra Congr. Indulg. 16. Julii 1725.

I. PRivilegium habet reſtrictivam *ad ſacerdotes Eccleſiæ*, ut nempe ſoli ſacerdotes ejuſdem Eccleſiæ inibi celebrantes privilegii favorem conſequi valeant. De privilegio ejuſmodi Eccleſiæ ſæculari conceſſo in ſequenti Decreto dicemus, nunc de facto Eccleſiæ Regulari, & ſicuti ob adnexam conditionem indubium eſt, ſacerdotes inibi de familia commorantes privilegii eſſe participes, ita eodem non gaudere ſacerdotes ſæculares, aut quorumcumque aliorum Ordinum, qui in prædicta Eccleſia miſſam facerent.

II. Dubium eſt de Religioſis hoſpitibus ejuſdem Ordinis, & hos, quia in capitulo vocem non habent, & vere de familia non ſunt, a privilegio repellunt Zipeus, & Sylvius apud Bordonum *num.* 133., qui tamen eoſdem cum communiori ſententia rite facit participes, quia pro tempore, quo ibi morantur, ſunt plene ſubjecti Superiori loci, vivunt expenſis Monaſterii, & huic inſervire tenentur; quod ſatis eſſe, ut veniant nomine *familiæ*, & *familiarum*, ubertim evincunt tradita per Barboſam *appell.* 95., & 96., quidquid ſit de voce in Capitulo, in quo nec eam omnes habent, qui ſtrictim ſunt de familia. Et quidem cum Monaſterio quoad ſpiritualia plene incorporati ſint, unde nunquam depelli queunt a favore privilegii, quod ad ſpiritualia ſpectat? a fortiori idipſum dicendum eſt de Generali in tota Religione, & de Provinciali intra fines ſuæ Provinciæ, cum reſpective in quolibet Monaſterio juriſdictionem inſuper habeant, & ſuum poſſint figere domicilium, ſeſeque tamquam de familia, ſeu in familia conſtituere. Socii vero, qui iiſdem inſerviunt, conditionem Generalis, vel Provincialis reſpective ſequuntur.

III. Potius urget dubium de ſacerdotibus ſæcularibus, vel alterius Ordinis, qui una in Monaſterio conviverent, quos nos tamen tamquam commenſales, & ſervitiis Eccleſiæ addictos, pro tempore, quo ibi degunt, reliquo aggregamus corpori, & fere par judicium facimus de iis, qui extra Monaſterium quidem degunt, ſed in ſervitium Eccleſiæ conducti ſunt, ob ea, quæ in ſequenti ſanctione tradentur. Quæ dicta ſint, dummodo indultum talia non teneat verba, quæ eorumdem aliquos a favore aperte depellant. Ex his abunde ſolutum remanet dubium aliud, cum nempe præſcriptus foret miſſarum numerus, *per ſacerdotes Eccleſiæ* implendus; tunc enim nonniſi per ſacerdotes, quos & prout diximus, talis numerus utiliter impleri poſſet.

IV. Verba illa Brevis, *In Eccleſia duodecim ſacerdotibus ornata*, deſignant nobis, in privilegio, de quo agit Decretum, diſerte præſcriptum non fuiſſe miſſarum numerum, ſed magis reſpectum eſſe ad inſignitatem Eccleſiæ, quæ duodecim ſacerdotibus aſſerebatur ornata; in caſu autem Decreti, in quo ſacerdotum numerus per mediatatem erat imminutus, bene deciditur privilegium deficere, quia illico deficit inſignitas Eccleſiæ, quæ in eſſe tali per pluralitatem ſacerdotum juxta Pauli V. declarationem conſtituitur. An autem privilegium depereat, ſi unus ſolum, vel alter de numero deficiat? Non crederem, quia vix excogitari poteſt, quod per hunc minimum defectum corruat Eccleſiæ inſignitas, cui Sanctio innititur; aliter enim judicari debet, quando præſcriptus eſt numerus miſſarum, qui in indiviſibili conſiſtit, ac quando attenta eſt Eccleſiæ inſignitas, quæ latitudinem quamdam patitur.

V. Quoniam vero ſuperiora Decreta, adhuc quando præfinitus eſt miſſarum numerus, ſi hujus defectus per paucos eveniat dies, & rationabili de cauſa, aut ſi per plures, ob ſacerdotum infirmitatem, hujuſmodi defectum ad ſuſpendendum privilegium putant invalidum; quinimmo & quando defectus per plures dies, & non ob infirmitatem accidit, talem defectum non plectunt extinctione, ſed ſola privilegii ſuſpenſione, duo nobis liceat inferre, quorum primum eſt, quod quando reſpectum eſt ad inſignitatem Eccleſiæ, non ſuſpenditur privilegium, ſi ſacerdotum numerus per paucos deſideretur dies, & rationabili de cauſa, puta eo quod ſint in itinere ſacerdotes, qui inibi de familia ſunt conſtituti, aut ſi per plures, quod iidem ſacerdotes infirmitate detineantur. Et quidem Decretum ipſum dumtaxat plectit inſubſiſtentiæ privilegii defectum permanentem, & *nunc tantum exiſtant ſex ſacerdotes*, non vero tranſeuntem, & qui ex productis, aliiſque ſimilibus cauſis evenit, quem haud ambigo nec privilegium ſuſpendere, quando præfinitus eſt ipſe miſſarum numerus.

VI. Alterum eſt, quod ſi deficiat ſacerdotum numerus per multum temporis, & adhuc non ob aliquam ex approbatis cauſis, privilegium quidem ſuſpenſum manet, ſed non extinctum, integrum ſuum robur recuperaturum, ſtatim ac prædicti ſacerdotes inibi de familia conſtituentur, aut eamdem Eccleſiam ornabunt.

DECRETUM XVI. CAPITIS, IN ORDINE CVI.

In Eccleſia B. V. Terræ Forigii Sanctiſſimus conceſſit altare privilegiatum pro duabus feriis hebdomadæ ad ſeptennium ſub duabus conditionibus. 1. Ut in ea Eccleſia quotidie legantur quatuordecim miſſæ. 2. Ut ſoli ſacerdotes præfatæ Eccleſiæ illo privilegio uti poſſint. Sed Epiſcopus has indulgentias non publicavit. Interrogatus a Sacra Congregatione reſpondit, ſe crediſiſſe, conditiones non verificari, quia miſſæ ibi fundatæ, & Confratrum, & Montium vix aſcendunt ad numerum 3400. ut proin in diem vix referantur decem. Aliæ miſſæ adventitiæ ſacerdotum adventantium ſunt quidem plures, quam quatuordecim, ſe tamen crediſiſſe, Pontificem noluiſſe alligare indulgentias eventui accidentali, non ſtabili. Secundo, illa Eccleſia non eſt Collegialis, nec Parochialis, nec receptitia, adeoque non videtur habere ſacerdotes proprios, prout in Brevi exprimitur. Quæritur, an nihilominus Epiſcopo injungenda publicatio Indulgentiarum? Reſp. *affirmative*. Sacra Congreg. Indulg. 25. Septembris 1713.

I. CAſus eſt ſatis expreſſus, & diſerte nos edocet, quod præfinitæ miſſæ pro altari privilegiato, non ſunt neceſſario legendæ per ſacerdotes Eccleſiæ, ſed æque bene per extraneos, & adventantes queunt ſuppleri; injungitur enim Epiſcopo publicatio indulgentiarum, tametſi numerus miſſarum in Brevi præfixus, haberetur computatis miſſis mere adventitiis. Ita jam plurium ferebat opinio, & ad rem facit commune proloquium, quod onera, utpote odioſa, ſupponenda non ſunt, ſed probanda. Limita, ſi Breve exprimat perſonas, a quibus præfinitus numerus debet expleri.

II. Eſt & aliud, quod ex Decreto eruitur, nempe quod quando privilegium eſt reſervatum *ſacerdotibus alicujus Eccleſiæ*, per hos ſacerdotes non veniunt tantum Canonici, aut Parochi illius Eccleſiæ, vel convictores, ſeu reſidentes, etſi nemque Breve præſens privilegii favorem reſervet ſacerdotibus præfatæ Eccleſiæ, & hæc nec Collegialis, nec Parochialis, nec ſit receptitia, adhuc injungitur publicatio indulgentiarum, quare opus eſt, adſint alii, qui favoris poſſint eſſe participes. Sed qui erunt? Utique ſacerdotes ad inibi celebrandum per Cappellaniam conducti, aut qui ad Eccleſiæ onera fixa, vel adventitia adimplenda ſunt ſtate, & permanenter acciti. Beneficiati itidem, habentes commendationem, vel vicariam Eccleſiæ, coadjutores etiam ſine futura ſucceſſione, aut ſupplentes vicem alterius eidem Eccleſiæ jam addicti. Sunt & qui cantores, organædos, alioſque, qui in Eccleſia cooperaturam aliquam habent, privilegii faciunt participes, ſed nos de iſtis, cum nec Eccleſiæ gubernium commiſſum habeant, & ad ſervitia a celebratione miſſarum extranea ſint conducti, dubitamus admodum, & eos, qui adhuc frequentes ad inibi celebrandum ex devotione libere pergunt, a favore putamus excluſos, quorum claſſi adjungimus, qui una, vel altera vice, & non ſtate, ſeu frequenter ad Eccleſiæ adhuc adimplenda onera per ſtipendium vocantur; haud vidimus enim, qua unquam ratione *ſacerdotes proprii* hi eſſe poſſint, quibus Breve dumtaxat favorem facit.

III. An privilegium Eccleſiæ Parochiali conceſſum cum reſtrictio-

Cavalieri Tom. III.

Digitized by Google

ſtrictione *ad ſacerdotes proprios*, participare queant ii de clero, qui intra Parochiæ fines præciſe commorantur, quæſtio eſt, cui, ſi attenderetur reſponſio, de qua in Decreto, Epiſcopi non publicantis indulgentias, affirmative reſpondendum eſſet, cum prædictos Sacerdotes tamquam Eccleſiæ Parochialis proprios videatur agnoſcere. Nos tamen advertentes ea, quæ præterim dedimus in *n. 1. cap. 1. Decr. 14.*, uti ibidem eoſdem excluſimus a facultate celebrandi officia Eccleſiæ Parochialis propria, ita a favore privilegii ut ſupra conceſſi, niſi titulum aliquem ex modo recenſitis habeant, hoc enim dempto ſacerdotes hujuſmodi a Parochiali Eccleſia non dependent, niſi quoad ſacramenta, ac perinde ac ſæculares ipſi.

DECRETUM XVII. CAPITIS, IN ORDINE CVII.

Clemens IX. 1668. 3. Julii per Breve conceſſit Romæ Eccleſiæ S. Andreæ Camaldulenſium indulgentiam plenariam in feſto S. Andreæ, & S. Gregorii, & in Dedicatione, & per octavam Defunctorum in perpetuum, applicandam pro Defunctis. 2. Conceſſum eſt a Clemente VIII. privilegium perpetuum ad altare per Cardinalem Salviati conſtructum. 3. A Paulo V. pro privilegiatis declarantur per Breve altare S. Andreæ, & S. Silviæ. Cum vero Eccleſia renovata, deſtructa fuerint altaria, & nova facta, petitur 1. confirmatio indulgentiæ conceſſæ a Clemente IX. 2. confirmatio privilegii a Clemente VIII. conceſſi. 3. confirmatio privilegii Pauli V. Reſp. ad primum *non indigere confirmatione*. Ad 2. *idem*. Ad 3. *itidem confirmatione non indigere*. Ita Sacra Congreg. Indulg. 13. Septemb. 1723.

I. PEr Eccleſiæ innovationem haudquaquam deperdi indulgentias, vel altaria privilegiata, tametſi veteribus altaribus deſtructis, nova erigantur, præſens nos inſtruit Sanctio, dum in propoſito caſu indulgentias, & altaria privilegiata confirmatione non indigere declarat. Quod verum eſſe, etſi altaria alibi in eadem Eccleſia, ſaltem ſi ſub eodem titulo, extruantur, quod ſubditur, Decretum edocet, & erit 18. cap. in ord. 108. *In Cathedrali Muranæ erat altare privilegiatum perpetuum, conceſſum a Gregorio XIII. Verum cum 1694. ex per terræmotum paſſa fuerit, altare fuit alibi in eadem Eccleſia, & ſub eodem titulo B. V. noviter extructum. Quæritur, an nihilominus gaudeat privilegio? Reſp. affirmative. Sacra Congreg. Indulg. 13. Septembris 1723.*

II. Diſputant Canoniſtæ, num, & quando privilegium pereat, diruto, vel reædificato altari, cui manet affixum? Si altare ſit abſolute dirutum, & deſtructum, ſive deinde erigatur in eodem loco, ſive alibi in eadem Eccleſia, privilegium deperdi ſentiunt Navarrus *de indulg. notab. 31. num. 27.*, Puteobonellus *de ſacrif. quæſt. 4. art. 2.*, aliique plures, quia ſubjecto penitus deſtructo, pereat, neceſſe eſt, accidens illi inhærens. Secus putant, ſi altare paulatim, ſive ſenſibiliter, ſive inſenſibiliter reparetur, quia licet tunc patiatur phyſicam alterationem, in prudenti adhuc æſtimatione cenſetur idem moraliter; & hoc extendunt aliqui etiam ad caſum, in quo paulatim altare in totum reficeretur. Arbitrantur alii, quod ſive in eodem loco, vel alibi in eadem Eccleſia altare in totum reædificetur, ſecum indulgentias ferre, & privilegium, & horum opinionem duo producta Decreta aperte approbant, quæ licet procedant in caſu renovationis Eccleſiæ, identitatis expoſcit ratio, idipſum fore, ſi abſque Eccleſiæ innovatione in eadem conſtrueretur altare, in quod ob majorem decorem, honorem, & commodum privilegium transferri intenderetur. Dicendum eſt itaque, quod in conceſſione altaris privilegiati principaliter, & primario inſpicitur Eccleſia, quæ propterea exigitur inſignis, pluribus miſſis, aliiſque titulis exornata, ſed cum connotatione non tam ad materiale altare, quam ad formale, adeoque quocumque intra eamdem Eccleſiam transferatur formale altare, ſeu titulus altaris, cui privilegium eſt addictum, una & transfertur privilegium ipſum. Secus foret, ſi altare ſub diverſo erigeretur titulo, aut jam conſtructum, quoad titulum variaretur, quia in utroque caſu deperit altare formale, quod cum minime eſſet, quando manente priori titulo, Sanctus alius adjungitur, ideo in hujuſmodi caſu privilegium minime deperiret.

DECRETUM XIX. CAPITIS IN ORDINE CIX.

Cappuccini in loco Stanz Conſtantienſis Diœceſis diruta quadam Eccleſia, in qua habebatur altare privilegiatum, petunt pro nova Eccleſia ſimilem gratiam. Reſp. *negative*. Sacra Congreg. Indulg. 18. Julii 1712.

I. LIS eſt inter Doctores, num ad novam Eccleſiam transferantur indulgentiæ, & privilegia veteris dirutæ, & in diverſa finduntur placita. In caſu ſolius renovationis indulgentias, & privilegia permanere, præcedens nos Decretum edocuit, quod cum fere communi ſententia non dubitamus extendere ad reparationem, per quam paulatim, & tractu temporis in totum noviter conſtructa veniret Eccleſia, in his quippe caſibus ſemper Eccleſia remanet moraliter eadem. Si vero Eccleſia diruta in totum, vel fere totum, reædificetur in eodem loco, vel diverſo, dummodo ſub eodem titulo, Paſſerinus *de indulg. num. 172.* & Suarez *diſp. 52. ſect. 1. num. 9.* indulgentias veteris adjudicant novæ Eccleſiæ. Penitus negant alii, quando Eccleſia in totum reædificatur, licet in eodem loco, & ſub eodem titulo, & ſunt, qui media via incedentes, translationem ad novam Eccleſiam admittunt, quando extruitur ſub eodem titulo, & in eodem loco, ſecus ſi in diverſo loco, vel ſub diverſo titulo. Dum Decretum novæ Eccleſiæ ſimilem gratiam deneget, indulgentias veteris ad novam quidem non pertranſire declarat; an autem id univerſim procedat, an ſolum, quando in diverſo loco, aut ſub diverſo titulo nova eſt conſtructa, ex Decreto decidi non poteſt, non explicat quippe, an Eccleſia, de qua diſponit, fuerit in eodem loco, & ſub eodem titulo erecta, an in, & ſub diverſo. Recolantur itaque dicenda in ſequenti Decreto.

DECRETUM XX. CAPITIS, IN ORDINE. CX.

Tuderti deſtructo Oratorio Sodalitatis S. Mariæ Gratiarum, illud in alio loco reædificatum eſt. Quæritur 1. an indulgentiæ perſeverent in nova Eccleſia? 2. an, & quæ de novo concedendæ? Reſp. *pro gratia translationis indulgentiarum pro confratribus tantum*. Sacra Congreg. Indulg. 26. Febr. 1732.

I. ORatorium reædificatum fuerat in alio loco, ſed ſub eodem titulo, & reſcribitur *pro gratia translationis indulgentiarum*, ergo abſque gratia minime ad novam Eccleſiam transferuntur indulgentiæ veteris, quando illa conſtruitur in alio loco, licet ſub eodem titulo. Idipſum conſequenter erit, ſi erecta in eodem loco, altero diceretur titulo, quia hoc ipſo locum non amplius habent verba indulti, quæ gratiam faciunt Eccleſiæ, puta S. Andreæ. At quid ſi extruatur in eodem loco, & ſub eodem titulo? Adhuc pereunt indulgentiæ, quæ cum conceſſæ ſint, non Eccleſiæ abſolutæ S. Andreæ, vel Eccleſiæ de eodem conſtruendæ, ſed tali Eccleſiæ S. Andreæ jam conſtructæ, neceſſe eſt pereant, cum talis Eccleſia non amplius remaneat, nec phyſice, nec moraliter; cum in integrum, vel fere in totum ſupponatur de novo erigi. Omnibus his in caſibus Eccleſia noviter conſtructa laudatam ob cauſam nova indiget conſecratione, quidni igitur & nova conceſſione, ut antiquis perfruatur indulgentiis, atque privilegiis?

II. Non idem eſt judicium de altari privilegiato, ac indulgentiis, quæ generatim conceſſæ forent Eccleſiis alicujus Regularis Ordinis, quia cum ſint conceſſæ, non tali Eccleſiæ individuæ, ſed Eccleſiis ſingulis tam erectis, quam erigendis, etiam in nova Eccleſia, licet in diverſo loco, & ſub diverſo titulo ædificata, indulgentiæ, & altaria privilegiata non minus haberentur, non quia de veteri transferantur ad novam Eccleſiam, ſed quia etiam nova Eccleſia, eſt Eccleſia ejuſdem Ordinis. Quæ dicta ſint de indulgentiis ut ſupra generatim conceſſis: de indulgentiis quippe, quæ alicui individuæ Eccleſiæ Regulari ſpeciatim conceduntur, in integrum procedunt ſuperius tradita.

DECRETUM XXI. CAPITIS, IN ORDINE CXI.

Moniales monaſterii S. Baſilii civitatis Juſtinopolitanæ obtinuerunt aggregationem ad Baſilicam Lateranenſem, & conſequentam communicationem privilegiorum. Horum intuitu contendunt, non ſolum ſe lucrari poſſe indulgentias ejuſdem Baſilicæ præter indulgentias ſui Ordinis, ſed etiam ſe frui poſſe perpetuo privilegio altari illius Baſilicæ conceſſo. Petunt declarari, an vi aggregationis ad Baſilicam Lateranenſem conceſſum intelligatur privilegium altaris. Reſp. *negative*. Sacra Congreg. Indulg. 9. Maji 1729.

I. NUM per aggregationem, aut communicationem, licet ampliſſimam, privilegiorum, & indulgentiarum participentur altaria privilegiata, quæſtio eſt, cui jam Doctores univoca negativa reponunt, quia altaria privilegiata ſunt ex privilegiis, quæ cum difficultate conceduntur, & ea adeo præcipuis, ut digna ſint exprimi, nec quæ veniant generali indulgentiarum, privilegiorum, vel gratiarum vocabulo. Abs re non fore putamus producere Decretum aliud (ſit. 22. cap., in ord. 112.) per quod idipſum confirmatur, & eſt tenoris ſequentis.

II. *Patres Oratorii S. Philippi Mantuæ exponunt ſuæ Eccleſiæ a Clemente XI. conceſſas eſſe omnes indulgentias, & gratias, quæ ſunt Romæ in Oratorio S. Philippi in Vallicella. Cum vero ibi ſint duo altaria privilegiata, quæritur 1. an in prædicta generali communicatione indulgentiarum, & gratiarum comprehendatur privilegium perpetuum pro duobus altaribus? 2. an ſaltem unum altare privilegiatum quotidianum abſque expreſſione numeri miſſarum? Reſp. ad primum negative. Ad 2. altare privilegiatum ad ſeptennium juxta numerum miſſarum, quæ in Eccleſia oratorum quotidie celebrantur. Sacra Congreg. Indulg. 25. Martii 1725.* Ex priori reſponſo habes abunde in communicatione generali indulgentiarum, atque gratiarum non comprehendi altaria privilegiata, ſed cur non item in ſecundo? In hoc quidem conceditur altare privilegiatum, ſed ad ſeptennium, non quotidianum, & quoad quantitatem feriarum alligatum numero miſſarum, quæ in Eccleſia Oratorum quotidie celebrantur, adeoque ex gratia, non vi aſſertæ communicationis, per quam ſi extenderetur, deberet eſſe perpetuum, & quotidianum, cujuſmodi eſt privilegium oratorii S. Philippi in Vallicella.

AD

AD CAPUT XIV.

De Altari Privilegiato

APPENDIX.

DECRETUM PRIMUM CAP. In Ord. 478.

An miſſæ pro diebus officium de duplici, ſeu de ſolemni non admittentibus in Kalendario, & Miſſali Ambroſiano præſcriptæ, ad altaria privilegiata celebratæ, animabus in Purgatorio exiſtentibus perinde ſuffragentur, ac ſi celebrarentur Miſſæ de Requiem. Reſponſum fuit affirmative. S. R. C. 31. Auguſti 1743. *in Mediolanen.*

OPUS non eſt, hanc ſuper rem ulteriora verba facere, cum ſupra cap. 14. pro Eccleſia Romana habeantur conſtitutiones Apoſtolicæ, quæ nunc ut erant, ad ritum Ambroſianum declarantur etiam extendi, Miſſas nempe ad altare privilegiatum celebratas, diebus, quibus de duplici fieri prohibetur, æque ſuffragari, ac ſi de Requiem celebrarentur. In Decreto 21. ejuſdem capitis definitum vidimus, per aggregationem, aut communicationem, licet ampliſſimam, privilegiorum, & indulgentiarum haudquaquam participari altaria privilegiata, & id abunde comprobatum extitit a Benedicto XIV. qui die 30. Aprilis 1742. Eccleſiam SS. Trinitatis Bergomi, quæ aggregatione gaudet cum Baſilica Lateranenſi cum ampliſſima indulgentiarum, & privilegiorum communicatione, non propterea participare cenſuit Altarium privilegium, quo fruitur prædicta Lateranenſis Baſilica.

Quæ ut data occaſione magis pateant, & inſimul innoteſcant, quæ ad indulgentiarum ejuſdem Eccleſiæ validitatem faciunt, ægrene ferat lector, ſi rerum ſeriem hic putamus adducere. Eccleſia SS. Trinitatis die 4. Januarii 1592. aggregata fuit Baſilicæ Lateranenſi cum privilegiorum, & indulgentiarum omnium, quæ eidem competunt, ampliſſima communicatione, ſub conditione tamen quod ſingulis quindecim annis renovationem ab eadem Baſilica obtinere teneretur. Anno 1678. die 7. Martii prodiit celebre Decretum, quod inter cetera apocryphas expreſſe recenſet *Indulgentias Eccleſiæ SS. Trinitatis Bergomi*. Baſilica Lateranenſis, ne inde ſuis indulgentiis præjudicium aliquid putaretur inferri, inſtitit apud Sacram Indulgentiarum Congregationem, quæ ſuo Decreto, incipit *Sacra Congregatio*, 11. Julii 1679. expreſſe declaravit, Indulgentias Baſilicæ Lateranenſis in memorato Decreto *Delatæ* minime comprehendi, ſed ratas eſſe, & validas, & hinc eadem Baſilica nunquam deſtitit prædictam ſtatuto tempore renovationem facere, & SS. Trinitatis Eccleſia ſemper ſe tuita eſt in poſſeſſione indulgentiarum, per oſtenſionem documentorum, ſi quam habuit, ſedata moleſtia Ordinarii. Anno 1742. nonnulla exorta difficultate Sacram Congregationem inter, & prædictam Baſilicam, hæc differebat conſuetam renovationem facere Eccleſiæ præfatæ SS. Trinitatis, quæ propterea ne interim privaretur indulgentiarum beneficio, ſupplices preces exhibuit Summo Pontifici Benedicto XIV., qui ſub die 30. Aprilis ejuſdem anni benigne indulſit, quod excluſo altari privilegiato poſſet illa perfrui indulgentiis, ac privilegiis ſibi per aggregationem communicatis, donec per ſacram indulgentiarum Congregationem nova methodus efformata foret cum approbatione Sanctiſſimi. Dubium itaque eſſe non poteſt, quod uti prædicta Sanctiſſimæ Trinitatis Eccleſia particeps non eſt beneficio altaris privilegiati, ita quod perfrui pacifice poteſt etiam ſine nova renovatione de indulgentiis, & privilegiis omnibus, quæ per aggregationem ipſi communicabantur, donec memorata methodus efformata fuerit.

Omnibus, & ſingulis Parochialibus, Metropolitanis, & Cathedralibus totius Orbis Catholici Eccleſiis altare privilegiatum quotidianum perpetuum, ſi jam non habeatur conceſſum, per Patriarchas, Archiepiſcopos, & Epiſcopos reſpective locorum ſemel tantum deſignandum, concedit Benedictus XIII. in Brevi *Omnibus ſaluti* 20. Julii 1724. *Semel tantum deſignandum* habet indultum, quare ſemel facta aſſignatione adeo expirat deſignandi facultas, ut ad aſſignationem alterius iiſdem haudquaquam liceat devenire.

CAPUT DECIMUMQUINTUM.

De Exequiis Adultorum.

I. CIRCA Exequiarum etymon Auctores varie opinati ſunt. A *ſequendo* ipſum derivant aliqui, quod antiquitus funus præcederet, & ſequeretur funerea comitantium proceſſio. Ab *exequendo* illud petunt alii, vel quia executioni mandatur defuncti voluntas, vel quia vox *exequi* Baroffaldo teſte *tit.* 34. *num.* 6. non ſemel pro *funerare* uſitata invenitur. Longius etymologiam deducunt alteri, quorum expoſitiones, cum ſint violentæ nimis, præterire malumus, quam recenſere. Dicuntur & *funus* a funalibus, quibus accenſis cadavera ſemper ſoluerunt efferri. *Juſta* vero, quia id obſequii genus juſte præſtatur iis, qui dum viverent, de nobis benemeriti extiterunt. Plura non deſunt alia nomina, ſed æquum non eſt, nos ulterius immorentur, quos utiliora expectant. Sitæ ſunt itaque Exequiæ in ritibus, cæremoniis, & pompa, quibus cadaver ad ſepulturam defertur; ſed quoniam nihil profecto eſt, in quo magis gentes, atque nationes diſcrepent, quam in funerationis ritibus, nos contenti erimus perveſtigare illos, quos Rituale Romanum in catholicorum funere ubique gentium ſervari demandat.

DECRETUM I. CAPITIS, IN ORDINE CXIII.

Campanæ benedictæ non pulſentur, niſi ad uſus, quos recenſet Gloſſa *Extr. quia cuntios de offic. cuſtod.* Congr. Ep., & Reg. 31. Jan., & 18. Martii 1581., & 29. Junii 1616.

I. PRæambula ad exequias, quæ ſcilicet fiunt agonizantis anima e corpore vix egreſſa, brevi ſermone complexuris, occurrit nobis reſponſorium, *Subvenite Sancti Dei*, quod illico dici Rituale mandat, & in eo invocantur Angeli, ut ſubveniant, & occurrant illi, eamque offerant in conſpectu Altiſſimi. Tale reſponſorium Gavanto teſte *tom.* 2. *ſect.* 9. *cap.* 5. *n.* 6. reperitur in Antiphonario S. Gregorii, unde non caret antiquitatis laude; & licet dicatur iterum ad ingreſſum Eccleſiæ, dum ad hanc pro ſepultura aſportatur cadaver, in eadem tamen functione nec repetitur, nec iidem invocantur Angeli; diverſæ ſunt namque functiones, & ubi in prima invocantur Angeli tutelares loci, in ſecunda cuſtodes Eccleſiæ.

II. *Interim detur Campana ſignum tranſitus defuncti, pro loci conſuetudine*, ait Rituale, & ſtatim cauſam talis pulſationis indicat, *ut audientes pro ejus anima Deum precentur*. To *pro loci conſuetudine* nolo ita intelligas, quaſi campanæ ſonus commiſſus ſit conſuetudini loci, ſed magis ejuſdem pulſationis modus, & qualitas, circa quam conſuetudo quidem loci ſervari debet, ut audientes cognoſcant facile, quid illo ſono ſignificetur; ſonum enim non eſſe omittendum, & quatenus id non ferat conſuetudo loci, hanc eſſe inducendam, ſatis evincit pia producta ratio, quando etiam campanæ ſonus non foret validus juvare defunctorum animas ratione precum in ejuſdem benedictione futurum, de quibus dicemus infra. Reliquum eſt ſolum, nunc videamus uſus, quibus Gloſſa a Decreto laudata deſtinat campanarum benedictarum ſonum; ſunt autem concinne admodum in hoc dyſticho deſcripti:

Laudo Deum verum, plebem voco, congrego clerum,
Defunctos ploro, peſtem fugo, feſta decoro.

III. Hinc noſces facile per *defunctos ploro* probatum iri campanarum benedictarum ſonum in hac circumſtantia editum, qui ceteroqui ad Eccleſiam Parochialem privative non ſpectat, ſed & in aliis Eccleſiis dari poteſt juxta loci conſuetudinem, vel hæredum placitum.

DECRETUM II. CAPITIS, IN ORDINE CXIV.

Campanæ ne pulſentur, ſi non ſint benedictæ, poteſt Epiſcopus prohibere. S. R. C. 5. Jul. 1614. *in Aprantina*.

I. CAmpanarum origo adeo incerta res eſt, & diſcordes inter Auctorum ſententias obvoluta, ut deſperemus, adhuc poſt longum ſtudium, quid certi poſſe ſtatuere; quare earumdem benedictionem arripientes, a Romano Pontificali diſcimus, quod *ſignum, vel campana debet benedici, antequam ponatur in Campanili*, ubi verbum *Debet* neceſſitatem dicere, concordes exponunt Doctores. At licet in neceſſitate benedictionis adſtruenda minime diſſideant, non una tamen earumdem vox eſt in tempore, quo in Eccleſia cœpit uſus ejuſmodi. Baronius *an.* 968. *num.* 95. Joannem Papam XIII. Auctorem facere videtur, ſed cum præfatæ benedictionis meminerint Capitularia Caroli Magni ducentis fere annis antiquiora, nutat undique ejuſdem opinio, cui ſi adjicias verba Alcuini, qui circa annum 770. vivebat, plane ruat, neceſſe eſt: *Neque novum videri debet, campanas benedicere, & ungere, eiſque nomen imponere*.

II. Impoſitio nominis hinc non minus apparet antiqua, ſed finis, & ratio diverſo deſcribitur. Ut non a metalli ſono ad templa cieri videamur, ait Petraſancta *tom.* 2. *Eccl. Rit.*, ut unum vero æs campanum ab alio diſtinguatur, credit Poguet *Inſt. cath. lib.* 2. ſed melius Martinus del Rio *diſq. Magic. lib.* 6. *cap.* 2. *ſect.* 3. *quæſt.* 3., ut impetretur patrocinium Sancti, cujus nomine inſcribitur. Quod fiat impoſitio nominis, & præſtentur nonnulla alia, quæ Sacramento baptiſmi ſunt communia, minus perito vulgo dedere cauſam nuncupandi *baptiſmum* Campanarum benedictionem, ad quam in Hiſpania, & præſertim in Cataloniæ partibus, Rocca teſte *in comm. cap.* 6., etiam compatres admittuntur; quod & olim in Germania obſervatum fuiſſe, ſcribit Binghamus *de orig. ſive Antiq. Eccleſ. tom.* 4. *pag.* 185. Campanis tamen omnibus benedictionem indiſtinctim adhiberi, Eccleſiaſtica conſuetudo non fuit, ſed ſolum iis, quæ in uſus ſacros deſtinabantur; uti namque, quæ deſerviunt ad uſus ſacros, decet eſſe ſacras, ita profanas, quæ in alios profanos. Uſus omnes, ad quos univerſim campanæ aptæ ſunt inſervire, eleganter deſcribit Dyſtichon in campana majori Bergomenſis civitatis inciſum, quod propterea hic recenſere putamus; etſi enim qui fortaſſe minus proprie in eo comprehendi videantur, quiſquis tamen ad aliqua ejuſdem verba facile reducet:

Convoco, ſacro, noto, depello, concino, ploro,
Arma, dies, horas, nubila, læta, rogos.

III. Campanæ benedictæ a profanis in eo diſcrepant, quod ad uſus omnes, quos præſtant profanæ, etiam ſacræ aptæ ſunt inſervire, ut convocare ad arma milites, dare ſignum aliqu-

alicujus jugulandi, vel ſuſpendendi, congregare communitatem ad conſilium &c. Non ſic eſt de profanis, quarum ſonus etſi omnia plurima, quæ præſtant benedictæ, quodammodo ſupplere valeant, ut congregare clerum ad laudes Dei, populum admonere ad precandum &c., non tamen omnia, ea ſcilicet, quæ aiſdem obveniunt ex benedictione, qua illæ carent. Sunt autem, ut diſerte indicant ejuſdem benedictionis preces, fuga Dæmonum, ne fidelium ſacros conventus, & orationes impediant, malignorum terror, & profligatio ſpirituum, ne nobis, & rebus noſtris noceant, diſſipatio grandinum, fulgurum, & tempeſtatum, & ſpiritualium, quos poſcimus, effectuum facilior impetratio, tum ratione interceſſionis Sancti, cujus propterea nomine campanæ inſcribi conſueſcunt; tum cauſa precum nomine Eccleſiæ in earumdem benedictione fuſarum, quæ licet tranſiiſſe videantur, ſemper tamen in divina cognitione manent, ut bene ponderat Suarez *in defenſ. fidei lib. 2. cap. 16. num. 8.*

IV. Dum ab Epiſcopis pulſatio campanarum non benedictarum inhiberi poſſe dicitur, indubie ſermo eſt pro ſacris uſibus, & jam ex dictis ſatis uber elucet ratio, cui nunc addimus, quod præfatæ campanæ ſunt contra Romanum uſum, atque præceptum, non leve momentum, ob quod earumdem ſonus univerſim rite vetari valet, etiam ad eos ſacros uſus, quos utcumque ſupplere poteſt, & ad quos campanarum pulſatio foret indicta, ut in cauſa funerum. Qui enim campanas, quæ in uſus ſacros debent deſervire, non benedictas in turrim ingerunt, uſum, præceptumque Romanæ Eccleſiæ, atque inde derivantes ſpirituales effectus deſpicere, vel parvipendere præſumuntur, unde jure digni cenſiti ſunt, qui nedum privari poſſint earumdem pulſatione ad eos ſacros uſus, ad quos tolerari poſſet, verum etiam cogi ad removendas campanas ipſas a turri; qualis facultas non minus Epiſcopis facta legitur apud Monacelli *tom.* 4. Verum cum quandoque quævis abeſſe queat culpa, atque contemptus, ex conſueta benignitate non abſolute campanas prædictas Congregatio pulſari inhibuit, & removeri mandavit, ſed id commiſit Epiſcoporum prudentiæ, & arbitrio.

V. Quæ dicta ſunto de pulſatione campanarum non benedictarum ad eos ſacros uſus, quos quodammodo ſupplere valent, ſecus vero ad illos, qui cum campanis vi benedictionis unica competant, a non benedictis conſequenter præſtari non valent, cujuſmodi eſt fuga Dæmonum, terror aerearum poteſtatum, & diſſipatio grandinum. Quod enim nonnulli ajunt, motum aeris, quem campanarum ſonus invehit, eſſe validum, aut conferre poſſe ad diſſipandas procellas, & grandines, eſt plane ridiculum, ut praxis ipſa denotat, dum abſtinet ab evacuatione tormentorum bellicorum, quæ cum multo majorem impreſſionem in aerem cauſent, ad id efficaciora indubie aſſent remedia. Quatenus itaque in tali circumſtantia non pulſarentur campanæ ad congregandum in Eccleſia populum, eumve admonendum ad adorandum Deum, ut a nobis avertat flagella; quæ munia ſunt, quæ etiam a campanis non benedictis ſuppleri queunt, credimus non benedictarum pulſationem in tali circumſtantia non eſſe permittendam.

DECRETUM III. CAP. IN ORDINE. CXV.

De conſenſu Epiſcopi campanæ benedictæ pulſari poſſunt ad uſus profanos, ad quos non ſequuntur cauſæ ſanguinis, & præſertim ſi communitatis expenſis conſtructæ fuerint, quantumvis tale jus non ſibi reſervaſſet. Congr. Ep., & Reg. 31. Janu, 1589.

I. NEMO unus erit, qui primum Decretum capitis nunc limitari, ſeu magis exponi non videat; dum enim ad pulſationem campanarum benedictarum pro profanis uſibus conſenſum Epiſcopi præſens Sanctio exigit, memoratum primum Decretum capitis, quod earumdem ſonum reſervat uſibus, quos laudata Gloſſa recenſet, procedere aperte declarat ſecluſo conſenſu Epiſcopi pro profanis etiam uſibus. Non ſemel non eſt commoditas alterius campanæ, & campanæ ipſæ expenſis communitatis reperiuntur conſtructæ, unde Eccleſiæ benignitas indulgendum eſſe credidit ſuper pulſationem campanarum benedictarum pro profanis uſibus, qui juxta circumſtantias communitatibus poſſunt contingere, dummodo, ut par eſt, Epiſcopi, cui divinorum, ſacrorumque cura commiſſa eſt, conſenſum exigant, & aſſequantur. Id autem ex juſtitia, ſi communitas, cujus expenſis campanæ conſtructæ ſunt, id ſibi juris reſervavit; ex gratitudine, ſi earumdem liberam donationem fecerit; ex mera denique liberalitate, quatenus Eccleſiæ ſumptibus fuerint extructæ.

II. In præcedenti Decreto ſimilem indulgentiam factam fuiſſe vidimus pro pulſatione campanarum non benedictarum ad ſacros uſus, & quemadmodum nos ibi eam limitavimus pro caſibus, in quibus non benedictæ ſupplere non valent, ita præſentem Sanctio diſpoſitionem limitat pro cauſis ſanguinis, a quibus per ſe exequendis uti abhorret Eccleſia; ita par non eſt, ut ad eas indicandas Eccleſiaſticæ, ſeu benedictæ adhibeantur campanæ. Sunt autem cauſæ ſanguinis, ad quas ſequitur mors alicujus, ut dare ſignum alicujus jugulandi, vel ſuſpendendi, convocare ad arma, ex quibus conflictus fieri debeat, & aliæ ſimiles. Ad priorem tamen adhuc cauſam tolerari poterit, ſi tale ſignum detur ad monendum populum precari Deum pro noxii anima; ad ſecundam, ſi congreſſus fieri deberet contra Eccleſiæ hoſtes, & ad omnes quaſcumque alias, ſi ſumma cogat neceſſitas, cui cunctæ parent leges. At quid, ſi etiam pro cauſis ſanguinis communitas ſibi jus reſervaſſet? Nihilominus pulſandæ non erunt; hoc enim ipſo, quod benedicuntur, Eccleſiæ legibus redduntur ſubjectæ, quibus cum contraire nequeat, neque Epiſcoporum auctoritas, utique ne quidem horum conſenſus ſuffragari poſſet; ad eas itaque cauſas, quæ ſanguinis non ſunt, & bono publico utilitatem, vel commoditatem conferunt, ut convocare communitatem ad conſilium, populum ad extinguendum ignem, vel ad arcenda damna aliqua, milites ad arma pro militaribus exercitiis &c., cum inconvenientiam fere nullam ad ſacram benedictionem habeant, facile permitti poterit campanarum benedictarum ſonus. Quæ dicta eſſe volumus, quatenus non habeatur campana non benedicta, quæ æque bene, & com mode ad præfatos uſus pulſari valeat.

DECRETUM IV. CAPITIS, IN ORDINE CXVI.

Pro pulſatione Campanarum ad præfatos uſus neceſſe non eſt ab Ordinario licentiam petere toties, quoties pulſandæ ſunt, ſed ſufficit eamdem ſemel petere pro ſemper. Congr. Ep., & Reg. 8. Junii 1592.

I. SAnctio ſimul conſulit communitatum commodis, & Epiſcoporum auctoritati, & honori. Communitatum commodis, valde enim grave foret, & incommodum, & ingruentibus circumſtantiis ferme inutile, ſi Epiſcopi conſenſus ſemper eſſet exquirendus. Epiſcoporum vero auctoritati, & honori, quatenus eorumdem conſenſui, qui ſimul datus pro ſemper, perinde eſt, ac ſi toties quoties daretur, prædictarum campanarum ſonus eſt alligatus. An ſufficiat licentia petita, licet non obtenta, non levis dubitationis cauſam ingerunt ea Decreti verba, *ſufficit eamdem ſemel petere pro ſemper.* Verum quoniam præſens Decretum non eſt, niſi reſolutio cujuſdam dubii ſuper conſenſum, quem expoſcit præcedens Sanctio, idcirco licentia nedum debet eſſe petita, ſed etiam obtenta. Locorum autem conſuetudo etiam conſenſum Epiſcopi dumtaxat tacitum probat ſufficere, quatenus nempe Ordinarius eaſdem pulſari videt, nec tamen inhibet.

II. Quid ſibi velit, licet ſit extra rem, nobis lubet perquirere, mos ille, qui viget in Germania, Gallia, & Anglia, aliiſque Mundi plagis, apponendi ſcilicet effigiem Galli ex metallo in ſummitate turrium campanarum. Equidem uſus hujuſmodi in Italia eſt minus receptus qui tamen ob myſteria, quæ continet, dignus ſit recipi, per hæc verba in ſuo libro *Il Rettore Eccleſiaſtico tit. 17. num. 7.* nos edocet Marcellus Cavalieri Epiſcopus Gravinenſis, cujus ſumus ex fratre Nepotes: *In cima della Cupola del Campanile, ed anche nell' Arco ſuddetto ſarà coſa conveniente, e conforme al miſterioſo ſignificato, che ſi fiſſi ſodamente l' effigie di un Gallo, che ſoſtenti una Croce: ma la ſola Croce fatta di ferro non manchi giammai, eziandio che non vi foſſe il Gallo.* Verum Durantus *de ritib. Eccleſ. lib. 1. cap. 23. num. 8.* ab hoc nos onere vindicat, dum ad Prælatorum, & Curionum alliciendam, atque excitandam vigilantiam apponi cenſet, ut ſui nempe hinc doceantur partes muneris.

DECRETUM V. CAPITIS, IN ORDINE CXVII.

Epiſcopus prohibere non poteſt, ne campanas pro funeribus pulſent ſine licentia ipſius Epiſcopi. Congr. Ep., & Reg. 20. Febr. 1601.

I. NÆ ego cenſeo diſpoſitionem procedere ſuper campanis benedictis, ſonum quippe non benedictarum ad ſacros uſus ab Epiſcopis poſſe univerſim impediri, ſuperius ſtatutum vidimus. Quod ſi benedictæ eæ ſunt, utique earumdem pulſationem Epiſcopi inhibere non poſſunt, vel ſuæ licentiæ alligare; campanarum enim pulſatio occaſione funerum eſt de ritu Romano, & a Rituali ipſo præſcripta, cujus diſpoſitiones Epiſcoporum auctoritati non manent obnoxiæ, ſed ſolum Apoſtolicæ Sedis, a qua ſunt demandatæ. Pro unoquoque fideli per tres vices Rituale campanas pulſari jubet. Prima vice, quando eſt in agone poſitus, ſecunda, ſtatim ac animam exhalavit, in hac ut fideles precibus aſſocient defuncti animam ad tremendum Dei tribunal, in illa, ut Deus morienti felicem donet exitum; tertia vero vice pro convocandis iis, qui funeri intereſſe debent, & orationibus ad Eccleſiam cadaver aſportare, unde Rituale: *Ac datis certis campanæ ſignis eo modo, & ritu, quo in eo loco fieri ſolet,* ubi ut in ſimili ſuperius dicebamus, non ſubſtantia ſoni, ſed ſolum qualitas, modus, & ritus deferuntur conſuetudini loci, ut ſuper pulſationis cauſam illico edoceantur accolæ. Id tamen limita peſtis tempore, aut frequentis mortis, vel in ſimilibus aliis cauſis, in quibus haud dubitamus prudentiæ Ordinariorum commiſſum eſſe, per remedia opportuna ingruenti malo pro circumſtantiis occurrere; quam ad rem conferre nonnunquam item poteſt ceſſatio a campanarum ſono, ne videlicet propinquæ mortis, periculive imminentis terror ceteros, licet fortes, invadat.

DECRETUM VI. CAPITIS, IN ORDINE CXVIII.

Servanda eſt pia conſuetudo pulſandi campanam aliquot ictibus tam de ſero, quam de mane, quando dicendum eſt officium Defunctorum. Congr. Ep., & Reg. 25. Aug. 1607.

I. UT dicebamus, tribus dumtaxat vicibus, pro unoquoque fideli campanas pulſari Rituale mandat, non deſunt

Digitized by Google

ſunt tamen locorum generales aliæ conſuetudines, & aliæ particulares pro Defunctis eaſdem pulſandi aliis vicibus. Ferme generalis eſt, quod Eccleſia tumulans campanas pulſet, quando ad ipſam cadaver pro ſepultura defertur, & quidem eo fine, ut fideles talis ſonus excitet ad exorandum Deum, & fuget Dæmones, ne impediant illorum acceſſum ad Eccleſiam orationis cauſa. Quaſi conſimili eſt mos pulſandi campanam aliquot ictibus tam de ſero, quam de mane, quando dicendum eſt officium Defunctorum, ut hinc moneantur fideles ad eidem intereſſendum. Omnes pulſationes iſtæ congruis, & piis adeo innituntur rationibus, ut nedum ſervandæ ſint, ſed connumerandæ iis, quas præcedens Decretum ab Epiſcopis interdici non poſſe definit.

II. Adſunt pulſationes aliæ, alicubi uſitatæ, ut pulſandi campanas in ſingulis Parochiis, per quas aſportandum eſt cadaver ad Eccleſiam ſepulturæ; quæ aliis laudabilibus ut ſupra rationibus non ſint deſtitutæ, & ſint cuſtodiendæ quatenus in arbitrio hæredum ſit eaſdem demandare, aut præſtentur gratis, ſecus tamen eſt, ſi contendantur neceſſario præſtandæ, & cum exactione ſtipendii. Hoc namque ipſo, cum Rituali ſint incognitæ, nec multa earumdem utilitas, apparent extorſiones quædam, & indubie ſunt quædam onera, quæ hæredibus præjudicium inferunt, & in defunctis quandoque impediunt liberam ſepulturæ electionem, vel ab hac alibi eligenda ſaltem abſterrent; unde etſi campanarum ſacrarum ſint, ab Epiſcopis interdici poſſe, immo perſæpe congruere arbitramur.

DECRETUM VII. CAPITIS, IN ORDINE CXIX.

Quoad mercedem campanæ, quæ pulſatur occaſione funerum, ſervanda eſt conſuetudo. Cong. Ep., & Reg. 5. Maii 1617., & 28. Maii 1638.

I. ACtiones funerum, & exequiarum in duplici ſecernuntur claſſe. Aliæ ſunt mere ſpirituales, & a ſolis Eccleſiæ miniſtris exerceri poſſunt, quales ſunt pſalmodia, & aliæ preces; aliæ vero ſunt, quæ non ſunt ſpirituales, & a laicis fieri poſſunt, cujuſmodi ſunt affodere terram, cadaver deferre, humo tradere, campanas pulſare &c. Pro primis ſine ſimoniæ labe nihil in pretium poteſt exigi, niſi quatenus id fecit licitum laudabilis populorum conſuetudo, de qua infra inſtituetur ſermo. Secundæ vero cum materia ſimoniæ eſſe non poſſit, nihil vetat pro iiſdem aliquid in pretium accipi. Ita ſcite diſtinguunt Reginaldus in *prax. vol. 2. lib. 23. cap. 25. ſect. 1. num.* 208., Bonacina *tom. 1. de ſimonia diſp. 5. q. 4. §. 5. n. 4.* ad 2., Thomaſius *Decad. 4. tract. 7. di ſimonia num.* 158., Pariſius *de confid. benef. quæſt. 5. num.* 128., aliique communiter Auctores, ex quibus conſequenter arguitur, quod pro pulſatione campanæ in funeribus rite merces poteſt exigi.

II. Uti autem indubium eſt, quod qui campanas pulſant, digni ſint mercede ſua, a defuncti hæredibus ſolvenda, ita certum eſt quod hæc pulſantium arbitrio, aut Eccleſiæ, in cujus beneficium cedit, non debet eſſe commiſſa, ne plus æquo hæredes gravari contingat. Vel igitur taxanda erit ad Epiſcopo, qui arbiter eorum eſt, quæ ad ſacra ſpectant, ut rite ſtatuitur a S. Carolo *Act. par. 1. Prov. 2. cap. de funer. & exeq. & Prov. 4. par. 2. verb. campanæ*, vel ſequenda erit Synodorum taxa, quatenus ſuper hanc mercedem diſpoſitionem fecerint, aut ſervanda erit conſuetudo loci, quin ſine licentia Epiſcopi alterari queat.

DECRETUM VIII. CAP. IN ORDINE CXX.

Eſt abuſus non tolerandus, quod campana aliqua pro ſolis nobilibus pulſari reſervetur, ſed pulſari debet pro quibuſcumque petierint: Ead. Congr. 29. Jun. 1583.

I. RIxis, & contentionibus facilem aperit aditum reſervatio iſta, & ideo Eccleſia, quæ indifferenter ſuos filios diligit, quin perſonarum acceptionem habeat, rite eamdem proſcribendam eſſe cenſuit, pro omnibus, qui petierint, indiſcriminatim campanas quaslibet pulſari ſtatuens, dummodo tamen aredetem, perſolvere parati ſint mercedem illam, quæ juxta ſuperius dicta per Epiſcopum, Synodos, vel conſuetudinem reperitur præſcripta, Quod autem in Defunctorum funeribus campanas pulſari laudabile ſit, & Deo ipſi gratum, haberemus plurima, quibus id oſtenſum fieret, ſed brevitatis gratia ſufficiat procedere, quod refert Meyerus *l. hiſt. Fland. ad annum* 1062. Cum anno 1062. fames intolerabilis Flandros premeret, quidam panis quærendi gratia Aldemburgum petiit, & prima luce repertus ibi fuit fame, ut creditur, mortuus ſub dio de nocte. Dum ſepeliretur, eo quod homo eſſet ignotus, prohibuit ſacerdos Codobertus, ne pulſarentur campanæ, ſed ecce ſtupentibus cunctis, prodigio per ſe æra illa perſonuerunt.

DECRETUM IX. CAPITIS, IN ORDINE CXXI.

Domi antequam cadaver efferatur, poſſunt hæredes ſuper eo officia recitare facere, cuicumque libuerit. Ead. Congr. 19. Maii 1579.

I. PRoſequamur Rituale: *Deinde corpus, de more, honeſte compoſitum, loco decenti cum lumine collocatur*, Non eo modo, quo mortuus inventus eſt, eſt relinquendus, ſed de more honeſte componi mandatur. Mos eſt illum lavare, ab Ethnicis ipſis, ac Hæbreis ſervatus, in primitivam Eccleſiam invectus, & laudabiliter ad nos uſque traductus. *Act. 9.* de Tabita mortua ſcribit: *Quam cum laviſſent, poſuerunt eam in cœnaculo*; & apud S. Gregorium *hom. 39. in Evang.* de S. Tarſilla amita legitur. *Cumque corpus ejus ex more mortuorum ad lavandum eſſet nudatum*. Baruffaldus contentus eſt lotione vultus, manuum, & pedum, ſed totum corpus lavari, quo pacto & Chriſtum ipſum lotum fuiſſe cum Auctorum turba fortaſſe dicemus alibi, ſatius eſt juxta antiquam conſuetudinem, & quadrat magis myſterio, ob quod lotio adhibetur, ad ſignificandum nempe, quod mortuus nullam ſecum portat maculam, ſed quod quamlibet in hoc mundo per pœnitentiam abſterſit, & quod ſicut anima jam per confeſſionem a culpa mundata, ita & una corpus ipſum æternam glorificationem, & claritatem in die judicii conſequentur. Honeſtas autem expoſcit, quod fœminis a fœminis, & maribus a maribus id officii præſtetur.

II. Chryſoſtomus *homil. in Job* deſcribit nobis honeſtam cadaveris compoſitionem, dum antiquorum fidelium enarat modum teneri conſuetum: *Jubent parentes officia adhibere: Manus componunt, oculos claudunt, corpus directe ſtatuunt, pedes reducunt, lavant, ſepulcro condigno dignis funeribus condunt*. Dionyſius vero Alex. in epiſt. relata per Euſebium *hiſt. lib. 7. cap.* 17. priſcos fideles repræſentat in componendis Defunctorum corporibus, hoc pacto intentos: *Occludere oculos, ora obturare, cadavera decenter ornare, lavare accurate, geſtare humeris, & linteo funebri involvere non gravati ſunt*. Honeſta itaque compoſitio ultra lotionem exigit, os defuncti obturare, & oculos occludere, de quorum obturatione jampridem Ovidius *lib. 1. Triſt.*, ſed tunc fiebat in agonia.

Nec cum clamore ſuprema
Labentes oculos condet amica manus.

III. Poſt lotionem ungebantur, & aromatibus condiebantur cadavera, & hic honos adhibitus etiam legitur *Joan.* 19. corpori Chriſti a Nicodemo, qui tulit mixturam Myrrhæ, & Aloes quaſi libras centum, cum quibus in linteis ligatum exitit, ſicut mos erat Judæis ſepelire. Inter aromata talis unctionis principalis erat myrrha, de qua Rufinus Aquilejenſis: *Myrrha eſt ſpecies valde amara, de qua ungitur corpus mortui, ut non putreſcat, & pellit vermes*. Sane apud veteres fuerunt varii cadavera condiendi modi, eaque a corruptione præſervandi & adeo validi, ut ſub Pontificatu Sixti IV. compertum fuerit Romæ in via Appia a regione Ciceronis conditorii muliebre cadaver, quod ex ſcriptione creditum eſt, fuiſſe Tulliolæ. Id erat aromatibus ita conditum, ut temporis injuriam non ſentiret. In eo viſebantur capilli aureo impliciti reticulo, & ſumma omnium admiratio fuit, reperiri aliquod, in quod anni mille quingenti fere nihil prorſus valuiſſent. Ceterum cadaver in urbem delatum tridui mora computruit, medicamine amoto, aut vitiato. *Calius lib. 3. cap. 24. Antiq. lect.*

IV. Corpora ut ſupra condita involvendi, & faſciis ligandi mos Hebræorum fuit, & ſudario vinciendi Defuncti faciem, unde *Joan.* 11. de Lazaro reſuſcitato: *Et prodiit, qui fuerat mortuus, ligatus manus, & pedes inſtitis, & facies illius ſudario erat ligata. Dixit eis Jeſus: Solvite eum, & ſinite abire*. Involvebantur etiam non faſciis, ſed magna Syndone, & ſic utroque modo in Cœmeteriis Urbis inventa ſunt corpora ſepulta. Aliquando conſuevere etiam indui propriis ipſorum veſtibus, & aliis pretioſis ornamentis, qualiter noviſſime repertum fuit corpus S. Cæciliæ, & Surio teſte *to. 5. ad diem 19. Oct.* a Cleopatra Matrona indutum extitit Corpus S. Vari Martyris. De qua conſuetudine habet Auguſtinus: *Sed pompa eſt funebris, excipitur ſepulcro pretioſa, involvitur pretioſis veſtibus, ſepelitur unguentis, & aromatibus*.

V. Honeſta, de qua Rituale, corporis compoſitio nihil hujuſmodi fieri vetat, ſed generalis conſuetudo a condiendis cadaveribus abſtinet, faſcias reſervat infantibus, & defunctos induit veſtibus convenientibus ætati, & conditioni eorumdem; qua de re cum non ſemel infra ſermo inſtitui debeat, opus non eſt dicamus plura. Quare curſim ſubdimus, quod diriguntur membra mortuorum, ſi forte, quod plerumque extremo illo tempore fit, partem aliquam contraxiſſent, & id gerendum eſt, cum adhuc calent, ut commodius fieri poſſit. Præſtantur itidem alia, ad quæ Rituale per ea verba *De more* reſpexit.

VI. Corpus ut ſupra compoſitum *loco decenti* collocatur, ita ut ſupinum jaceat facie ad Cælum verſa, quo properare ſe promptum ea poſitione innuit, ut conſors fiat cæleſtis gloriæ, qua inibi ejuſdem animam jam perfundi creditur. *Cum lumine*, non nunquam deferendum eſt cadaver fidelis defuncti ob ſignificationes plurimas, atque myſteria, quæ late exponentur infra. *Ac parva Crux ſuper pectus inter manus defuncti ponatur*; & hoc fit ad denotandum, quod cadaver illud eſt Chriſtifidelis, qui dum viveret, in pectore, ac corde Chriſti crucem tenuit, & geſſit. *Aut ubi Crux deſit, manus in modum Crucis componantur*. Vix excogitabilis eſt locus, in quo deſit Chriſti Crux, aut ſtatim efformari nequeat, cum ex quocumque ligno, aut feſtuca componi valeat; nihilominus Rubrica in caſu deficientiæ Crucis aſſignat aliud, quod Crucis gerat vices, ſtatuitque, quod defuncti manus ſupra pectus ejus componantur in modum Crucis. *Interdumque aſpergatur* (cadaver) *aqua benedicta*; cur autem hæc defunctis adhibeatur, & quos ſalutares effectus eiſdem præſtet, infra reſervamus dicere, dumtaxat contenti modo ea

Caſu-

Caſalio tradere, quod antiquis & mos ſtetit tum Crucem, tum aquam benedictam in ſepulchris ipſis una cum cadaveribus recondere.

VII. *Et interim donec efferatur, qui adſunt, ſive ſacerdotes, ſive alii, orabunt pro defuncto.* Super mortuorum corpora, antequam efferrentur, a priſcis Eccleſiæ fidelibus de nocte oratum, & vigilatum, unde mortuorum vigiliæ, teſte Durant. *de rit. eccl. lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 14. agnoſcunt originem, fuiſſe oſtendunt ea, quæ de S. Severiano tradit Surius *to.* 5. *ad* 9. *Sept.*, de Macrina ſorore ſua Gregorius Niſſenus apud eumdem Surium *to.* 4. *ad* 29. *Jul.*, aliique multi docent idipſum factitatum eſſe, quacumque hora contigiſſet obitus, unde Auguſtinus *lib.* 9. *confeſſ. cap.* 12. de obitu Monicæ Matris ſuæ: *Cohibito ergo a fletu illo puero, pſalterium arripuit Evodius, & cantare cœpit pſalmum, cui reſpondebamus omnis Domus: miſericordiam, & judicium cantabo tibi Domine.* Hæ igitur preces, ac pietatis officia ad Parochum non ſpectare decernuntur, ſed ab hæredibus committi poſſe, quibuſcumque libuerit.

VIII. Vigiliarum, de quibus ſupra, adhuc Reliquia ſupereſt; tota enim nocte, qua cadaver domi detinetur, mos eſt ad illud cuſtodiri vigilia noctis, credunt nonnulli ad arcendos ululatus murium, aliarumque beſtiarum, ne cadaver ab illis lædatur; verum etſi eorum, qui vigilant, id etiam debeat eſſe muneris, Rituale, dum diſerte notat, *interdum aſpergendum eſſe cadaver, & orandum pro defuncto, donec efferatur,* non obſcure eorumdem item facit officii, tale tempus precibus tranſigere, quibus juvetur defuncti anima, interdumque aqua benedicta cadaver aſpergere ad arcendos Dæmones, qui nonnumquam dæſeviunt in corpora mortuorum, quæ dum viverent, vexare non potuerunt.

DECRETUM X. CAP. IN ORDINE CXXII.

An hæredes defunctorum ſint cogendi ad retinendum domi cadavera uſque ad tempus illa ſepeliendi? An vero iiſdem hæredibus liceat pro libito aſportare dicta cadavera e propriis domibus ad quamcumque aliam Eccleſiam per modum depoſiti uſque ad horam illa tumulandi, etiamſi eſſent ſepelienda in Eccleſiis Regularium, non obſtante diſſenſu Parochi, ſeu prohibitione ab eodem facta uti Vicario Foraneo? S. R. C. reſpondit: *Petita, & etiam non obtenta licentia, poſſe cadavera deponi arbitrio hæredum in qualibet Eccleſia uſque ad tempus illa proceſſionaliter deferendi ad Eccleſiam ſepulturæ.* Die 22. Junii, & 13. Julii 1675.

I. QUandoque nequaquam expedit aſſervari cadavera uſque ad ſepulturæ tempus in domo defuncti; plures enim pro circumſtantiis occurrunt cauſæ, ut ſi ob arctitudinem habitationis in eodem cubiculo hæredes cubare deberent, aut ſi præſentia cadaveris foret maximi, ſicuti ſæpe evenit, occaſio luctus, aliæque plurimæ, quas quidem recenſere non vacat, cum a Parocho, aliove approbandæ non ſint, ſed hæredum prudentiæ, & arbitrio commiſſæ, & aa ſe profecto validæ, ob quas e ſua domo aſportetur cadaver. Hinc ita hæredibus fit liberum vel cadaver in propria retinere domo, aut illud deponere in Eccleſia qualibet uſque ad tempus deferendi illud ad Eccleſiam ſepulturæ; & quidem adeo, ut aſportationi ejuſmodi officere neque valeat diſſenſus Parochi, aut prohibitio ab eodem facta uti Vicario Foraneo, a quo quidem venia in honoris ſignum petenda (ſimita, ſi aliter ſe habeat conſuetudo loci) ſed non neceſſario obtinenda decernitur.

II. *Eccleſiam* Decretum nominat petitionis cauſa, quæ ſuper Eccleſiam proceſſit, ceterum modo dicta non minus libertatem faciunt pro quocumque alio commodo, & honeſto loco, quam id reſpiciat ejuſdem Decreti mens. Hinc patet *defuncti domum*, ad quam pro efferendo Cadavere Rituale Parochum facit procedere, non ita ſtricte eſſe accipiendam pro habitatione, quam incolebat defunctus, ut in aliqua Eccleſia, vel alibi arbitrio hæredum exponi non poſſit, ſed domum defuncti Rituale exprimit, quia in ea regulariter exponi ſolet efferendum. Quando autem domi retinetur, adventante elationis hora ſub porta collocari poterit, ut commodius, & facilius elevari valeat, & loco cupreſſus, qua Ethnici fores ornabant, & fidelibus minus convenit, ut dicimus alibi, pannum nigrum nihil eſt, quod vetet apponi. In veſtibulo autem ad limen ædium etiam apud Ethnicos mos erat cadavera collocari, unde Virgilius *lib.* 2. *Æneid.*

Sic ait illacrymans, recipitque ad limina greſſum,
Corpus ubi exanimi poſitum Pallantis Acætes
Servabat ſenior.

III. Quando cadaver ad Eccleſiam pro depoſitione defertur, fieri poteſt ſine præſentia Parochi, id tamen privatim fieri, & de nocte, vel ſummo mane conſultum erit, numquam vero ſine luminibus ſine quibus cum numquam deferendum ſit cadaver, haud dubitamus, quod iiſdem conſociari debet, quocumque aſportetur, etiam ad domus valvas. Hinc habes facile, quod quando ad Eccleſias Regularium cadaver recto tramite deferendum decernitur, quin in arbitrio hæredum ſit, illud prius ad Parochialem aſportari facere, id debet intelligi de caſu, & tempore, quo elevatur ad Eccleſiam ſepulturæ deportandum, non autem pro caſu illud deponendi uſque ad tempus ſepulturæ, ut magis dicemus infra.

DECRETUM XI. CAPITIS IN ORDINE CXXIII.

Epiſcopus impediat cum omni diligentia, ac Paſtorali ſollicitudine abuſum gentilitatis, quod fœminæ in funere ſuorum liberorum, parentum, aut maritorum capillos vellant. Pœnas autem exigendas ipſe non retineat, ſed apud depoſitarium deponat. Congr. Ep., & Reg. 20. Apr. 1587.

I. IN capillorum vulſione immoderati interdicuntur luctus, & immanes quidam geſtus, ſciſſionis capillorum, dilaniationis genarum, brachiorum denudationis, aliique ejuſmodi, ad quos cum fœminæ procliviores ſint, & faciliores labantur, expreſſa quidem ab illis hæc prohibentur, ſed in fœminis viros, quos magis dedecent, dubium non eſt comprehendi. Etſi cujuſque mortem ordine debito, & ſorte conditionis noſtræ accidere neceſſe ſit, ea conſuetudine tamen ſimul vivendi dulciſſima, & chariſſima repente ſimul dirupta, fit recens vulnus quoddam; quod facile ad lacrymas, & luctum pertrahit, unde non quidem lugere prohibemur mortuos, &, ut ait Auguſtinus, conſolabiles lacrymas ſuper eos fundere, ſed imprudenter plorare, & modis chriſtiano homini minus congruis, & ethnico magis propriis. Paulus 1. *Theſſ.* 4. non vult *nos ignorare de dormientibus, ut non contriſtemini, ſicut & cæteri, qui ſpem non habent;* ut enim inordinatam coerceat eorum triſtitiam, qui ſe cruciant propter eos, qui moriuntur, eoſdem edocet, quod *Deus eos, qui dormierunt per Jeſum, adducet cum eo,* ad cæleſtem ſcilicet gloriam, ad quam ipſe a mortuis reſurgens pertranſiit, & *quod nos, qui vivimus, qui relinquimur, ſimul rapiemur cum illis in nubibus obviam Chriſto in aera, & ſic ſemper cum Domino erimus.* Nos itaque, qui illa credimus, atque ſperamus, ne contriſtemur, ſicut ethnici, qui fidem, & ſpem non habent, ſed magis conſolemur invicem in verbis illis, Epiſcoporum curæ, & ſollicitudini committitur, quatenus prælatum gentilitatis abuſum verbis, & exhortationibus impediant, etſi opus eſt, etiam impoſitione pœnarum, quas apud ſe, ne avaritiæ zelo id videantur agere, non retinere, ſed apud depoſitarium jubentur deponere, in pios utique uſus eorumdem arbitrio (crederem facius in ipſorum defunctorum ſuffragium, niſi hinc a tali abuſu non deterreantur fideles) expendendas.

II. *Non tamen imponat* (ſit Decr. 12. cap. in ord. 124.) *pœnam excommunicationis.* Eadem Congr. 6. Dec. 1588. Excommunicationis pœna eſt gravis admodum, ut eadem plecti queat inordinata eorum triſtitia, qui de ſuorum amiſſione dolent; ſunt enim multi, in quorum infirmitate adeo valent hæc humana, ut vel inviti, & inconſiderantes, quandoque ad inordinata trahantur, quin per virtutis actus ab iiſdem ſe valeant cohibere. Auguſtinus ipſe, qui Monicam matrem ſuam & documentis morum ejus, & fide non ficta, rationibuſque certis probe noverat, quod nec miſere moriebatur, nec omnino moriebatur, ut ſe deſertum vidit tam magno ejus ſolatio, *lib.* 9. *confeſſ. cap.* 12. fatetur adeo ſauciatam fuiſſe animam ſuam, & quaſi dilaniatam vitam, quæ una facta fuerat ex ſua & illius, ut licet ſermonibus tempori congruis mitigare ſtuderet cruciatum ſuum, & in Dei auribus increparet molliriem affectus, & per virtutis actus conſtringeret fluxum mœroris, dolore alio deleret dolorem ſuum, rogans Deum, ut ſanaret triſtitiam ejus, aſſequi minime potuerit, quin dolor, qui inter prædicta cedebat paululum, curſus impetu ſuo non ferretur denuo, & quin toto die graviter in occulto mœſtus fuerit. Uſus eſt & balneis, ut ea animo anxietatem pelleret, ſed ab his talis exiit, qualis ingreſſus fuerat. Dormitum ivit, & licet non parva in parte ea ſomno mitigatum ſenſerit dolorem ſuum, ut paulatim reduxit in priſtinum ſenſum matrem ſuam, converſationemque ejus piam in Deo, & ſanctam, in nos blandam, atque morigeram, qua ſubito deſtitutus fuerat, continere non potuit lacrymas, ſed dimiſit eas, ut effluerent, quantum vellent.

III. Hæc enarrata fecimus, ut hinc appareat, quam rite vetitum fuerit, adhuc immoderatas in ſuorum funera ſub gravi excommunicationis pœna plecti lacrymas, in quas animo minus fortes ob nimium dolorem quandoque labi poſſunt. Sed & aliud inde habetur commodum, licitas nempe, dummodo non ultra modum, in tali circumſtantia eſſe parentum lacrymas, quas in Martha, & Maria nedum compeſcuit, aut reprehendit Jeſus, ſed ipſemet illis dignatus eſt Lazarum earumdem fratrem, certis in opinione hominum ceteroquin amoris indiciis, unde *Joan.* 11. de Jeſu dixerunt Judæi: *Ecce quomodo amabat eum.*

IV. Hinc ruit facile deordinatio abuſus alter, a Gentilibus item in Eccleſiam olim profectus, nunc ferme extinctus, ſed in aliquibus Diœceſibus adhuc reliquus, & toto conatu indubie extirpandus, in quo nempe præfati lugentes, & inordinatos geſtus agentes, ad ſepulturam aſſociant cadaver ipſum, ſeu ad id pretio conducunt Aſſratos, ſeu Præficas, vulgo *Piagnoni*. Utique *deordinatior*, Eccleſiaſtica quippe etiam interturbat officia, & exequiales ipſas preces, pſallentium devotionem attenuat, clerum offendit, & quandoque per inordinatos actus, verbaque una cum circumſtantibus ad riſum provocat, ut taceam profanationem, quæ inde obvenit templo Dei. Chryſoſtomus *hom.* 61. *in Joan.* graviter reprehendit abuſum iſtum, & minatur uſque ſe ejuſmodi ab Eccleſia prohibiturum, & Baruffaldus *diſſertatione de Præficis cap.* 13. adeo plurimas SS. Patrum, & Conciliorum interdictiones affert, arcentes hunc peſſimum uſum ab Eccleſia Catholica, ut mirari non deſinam, quomodo ab Epiſcopis alicubi adhuc tolerari valeat.

DE-

DECRETUM XIII. CAPITIS IN ORDINE CXXV.

Convivia, & prandia tolerari poſſunt in Anniverſariis defunctorum, ubi eſt conſuetudo, præſertim ſi ita a defuncto cautum fuiſſet in diſpoſitione teſtamentaria, habita ratione pauperum, qui de illis participant, ſed providendum erit, ut abſit exceſſus ſumptuum, & quidquid poteſt eſſe ſcandali. Ead. Congr. 6. Dec. 1588.

I. POſt funerationem parentabant Ethnici epulis, inferiis, ludis. *Inferiæ* erant ſacrificia, quæ Diis Manibus inferebant, & conſtabant liquoribus potiſſimum, ac victimis. Liquores erant aqua, lac, vinum, ſanguis, & unguentum. Epulæ erant duplices, privatæ, & publicæ. Illæ ſilicernia appellabantur, & iiſdem ut plurimum intererant neceſſarii, & cognati, qui languentes adhortabantur, ut cibum caperent, quod quidem ipſi cunctantes faciebant, ne poſt chariſſimorum mortem, vitam exoptare viderentur, quare & ſæpius cibum recuſat Achilles apud Homerum interfecto Patroclo. Publicæ erant, quæ in funeribus inſignioribus adhibebantur, ac populo inſtruebantur. Ludi funebres non unius erant generis, plerumque tamen in iis adhibiti gladiatores, ut ex Livio erudite docuit *in ſaturnalibus ſuis* Juſtus Lipſius, dummodo funera eſſent Imperatorum, aut Principum; in vulgaribus enim non adhibebantur, niſi per teſtamenti diſpoſitionem ſimiles ludos curaſſent.

II. Epularum feralium, quæ ad præſens inſtitutum attinent, paſſim occurrunt monumenta, & crebra admodum ab Auctoribus fit earumdem mentio; non unus tamen fuit earum uſus, ſed multiplex, & varius quoad diem, nomen, locum, modum, circumſtantias, iterationem, aliaque hujuſmodi, quorum recenſioni impræſentiarum vacandum non eſſe credimus, niſi prout ab ethnicis ad nos fuerunt tranſmiſſæ. Epulæ occaſione funerum a priſcis chriſtianis fuerunt etiam frequentatæ, & dicebantur *Agapæ funerales*. Fiebant in Eccleſia, locisve Deo ſacris, & ut obſervat Origenes *in Job lib.* 10., ad eas præter clericos invitabantur etiam pauperes, amici, & affines. A Tertulliano *cap.* 39. *Apolog.* laudantur admodum, & ita deſcribuntur: *Cœna noſtra de nomine rationem ſui oſtendit. Vocatur* ἀγάπη*; id quod dilectio penes græcos eſt. Quotieſcumque ſumptibus conſtet, lucrum eſt pietatis nomine facere ſumptum. Siquidem inopes quoque refrigerio iſto juvamus. Nihil vilitatis, nihil immodeſtiæ admittit: non prius diſcumbitur, quam oratio ad Deum prægustetur. Editur, quantum eſurientes cupiunt; bibitur, quantum pudicis eſt utile: ita ſaturantur, ut qui meminerint, etiam per noctem adorandum Deum ſibi eſſe: ita fabulantur, ut qui ſciant, Dominum audire. Oratio convivium dirimit.* Agapæ illæ, quæ frequentabantur etiam occaſione nuptiarum, in feſtivitatibus Sanctorum martyrum, in dedicationibus templorum, & poſt communionem divinorum myſteriorum apud cœnam illorum fidelium ſimplicitatem innocentes erant adeo, ut Concilium Gangrenſe *in Gratiani decreto diſt.* 42. *cap.* 1. in earum deſpectores dixerit anathema: *Si quis deſpicit eos, qui fideliter agapes, ideſt convivia pauperum exhibent, & propter honorem Domini convocant fratres, & noluerit communicare hujuſcemodi convocantibus, parvipendens, quod geritur, anathema ſit.*

III. Ex hiſce conviviis in Eccleſiis deinde exortæ ſunt abuſiones plurimæ, quapropter interdicta fuere a SS. Præſulibus, præcipue in concilio Laodicenſi *can.* 28. Mediolani a S. Ambroſio penitus ſuppreſſa fuerunt, & ad hujus exemplum, cum Auguſtinus in Africam profectus eſſet, eodem conſule *Ep.* 64. ab Africana item Eccleſia expulſa a Valerio Epiſcopo, quo promotore Carthaginenſe Concilium III. ſtatuit *can.* 30. & refertur in Decreto Gratiani diſt. 4. cap. 5. *Nulli Epiſcopi, vel clerici in Eccleſia conviventur, niſi forte tranſeuntes hoſpitiorum neceſſitate illic reficiantur. Populi ab hujuſmodi conviviis (quantum fieri poteſt) prohibeantur.* Reapſe inhibitiones ad convivia privata, aut publica extra Eccleſias minime pertranſeunt, ſed præciſe ſiſtunt in prandiis intra Eccleſias, quas a profanationibus, & dedecore præcipue vindicare intendunt; unde non deſunt loca, præſertim in Orientali Eccleſia, ubi uſque ad præſens durant agapes feſtivitatum occaſione, & funerum, non quidem intra Eccleſias, ſed penes ipſas ſub dio, vel in privatis domibus juxta id, quod D. Gregorius *lib.* 9. *Epiſt.* 71. Anglicis noviter ad fidem converſis præſcripſerat, permittendo ſcilicet eis, ut non longe ab Eccleſiis in tuguriis virentibus frondibus fabricatis talia convivia recolerentur.

IV. Hæc ſunt convivia, quæ ubi eſt conſuetudo, in anniverſariis (quidni & in exequiis, aliiſque lugubribus officiis?) defunctorum Decretum tolerari poſſe ſtatuit, potiori quidem jure ad implendam piam eorumdem voluntatem, quatenus illa in teſtamento ordinaverint, ſed non minus, ſi hæc deficiat, cedunt quippe adhuc in refrigerium pauperum, & per illa tamquam per eleemoſynam adjuvantur defunctorum animæ. Quæ ut ſerventur, conditionibus Sanctio tribus alligat, nempe, ut ad ea invitentur pauperes, ac his gratis, & ſine typho, & cum alacritate diſtribuantur epulæ. Secunda, ut *abſit exceſſus ſumptuum*, ne ultra æquum, aut vires graventur hæredes, *& quidquid poteſt eſſe ſcandali*, ebrietas ſcilicet, & immodeſtia quæque. Profecto prætermittenda non ſunt ejuſdem Auguſtini verba, ex cujus laudata epiſtola prædictæ conditiones fuerunt depromptæ: *Sed quoniam iſtæ in cœmeteriis ebrietates, & luxurioſa convivia, non ſolum honores martyrum a carnali, & imperita plebe credi ſolent, ſed etiam ſolatia mortuorum, mihi videtur facilius illis diſſuadere poſſe iſtam fœditatem, ac turpitudinem, ſi & de ſcripturis prohibeantur, & oblationes pro ſpiritibus dormientium, quas vere aliquid adjuvare credendum eſt, ſuper ipſas memorias non ſint ſumptuoſæ, atque omnibus petentibus ſine typho, & cum alacritate præbeantur, neque vendantur. Sed ſi quis pro religione aliquid pecuniæ offerre voluerit, in præſenti pauperibus erogetur. Ita nec deſerere videbuntur memorias ſuorum, quod poteſt gignere non levem cordis dolorem, & id celebrabitur in Eccleſia, quod pie, honeſtique celebratur.*

V. Ejuſmodi hinc moderata convivia etiam intus Eccleſiam facile videbuntur licita, ſed quoniam Auguſtinus ibi agit de iiſdem conviviis moderandis quatenus ab Eccleſiis arceri non poſſint, proculdubio, adhuc ubi conſuetudo foret, eſt reformanda, & immutanda in convivia cominus Eccleſias, vel ſaltem in privatis parietibus inſtructa; Eccleſia enim domus orationis eſt, non comeſſationum. Præfata autem convivia, quatenus intra præſcriptos limites contineantur, etiam ſine conſuetudinis ſuffragio pauperibus parari poſſe ſentio, non habent quippe, unde reprehendantur, & aliunde ex ſe apta ſunt non leviter adjuvare defunctorum animas, dum paſcunt viventium corpora.

VI. Benedictus XIV. *to.* 3. *annot.* 53. carpit graviter atque prohibet prandia, quæ Parochis, aliis comparochiis, clericiſque parant occaſione funerum, aliorumque lugubrium officiorum; ſed argumenta, quibus illa rejicit, nihil commune habent cum prandiis, quæ nos deſcripſimus; illa enim abſurdis plurimis, ob quæ proſcribuntur, manent obnoxia, quibus noſtra ſupponuntur expurgata. Abſurdorum vero maximum eſt, cum prandiorum ſumptus extrahuntur ex eleemoſynis oblatis ad ſuffragandos mortuos. Sic enim & ſuffragium defunctis demitur, & retardantur fideles ab eleemoſynis elargiendis, quas in alios uſus abſumi proſpiciunt. Quod ſi ſimiliter emendentur, & ut ſupra caſtigentur; nec dubito, quod non minus liceant, ſunt ſiquidem illico actus quidam civilis, quem Parochi ſine magno incommodo ſibi mutuo præſtant, nec iidem deficit Eleemoſynæ meritum, ſi clerici non retribuentes, aliique pauperes reddantur participes.

VII. In Melitenſi inſula ſua non caret laude uſus alter. Julianus Apoſtata capitali odio in chriſtianos actus, dum hi Conſtantinopolis quadrageſimam obſervarent, juſſit, ut publice comeſtibilia vendentes, omnia ſi contaminata, & idolis immolata exponerent, ad cogendos ſcilicet Chriſtianos, ut aut illa comederent, aut fame perirent. Verum in viſione a S. Theodoro admoniti, ut loco panis coquerent frumentum, quod actum fuit per integram hebdomadam, ſollicite egenis ditiores ſubveniendo, hoc pacto Imperialem intentionem fruſtrati ſunt, quæ propterea edictum revocavit. Ad tanti facti memoriam continuarunt deinde Conſtantinopolitani fideles in gratiarum actione ad anniverſarium ejuſdem S. Martyris prædictum frumentum coquere, & bellariorum inſtar condimentis adulcantes, amygdalis, uvis paſſis, nucibus a corticibus dimembratis, granis mali punici, foliiſque apii breviter tritis illud commiſcere ſolebant. Qui ritus a Græcis in Melitam introductus, obſervatur ibi ſolum in funeralibus, in quibus laudatum granum ut ſupra coctum, & benedictum diſtribuitur, & *coccia* vocatur. Moſchi vero appellant *corbia* panem illum benedictum, quem in Eccleſia pro mortuorum ſuffragio diſpenſant. Panem itidem alibi uſus eſt diſtribuere intereſſentibus, & aſſociantibus funus, præcipue Communitatibus Mendicantium, & alicubi etiam per pecuniæ diſpenſationem alliciuntur pauperes ad comitandum cadaver ad Eccleſiam, & Urſaya teſte *to.* 4. *d.* 14. *p.* 1. *num.* 1. 2. in funere defertur frumentum in certa quantitate. Uſus hi omnes, cum in finem habeant ſubventionem proximi, & defuncti animæ, utique ſunt laude digni.

VIII. Huc ſpectat uſus coquendi, & diſtribuendi fabas, atque legumena, qui apud nos uſque ſuperſtes eſt, præcipue in commemoratione omnium fidelium defunctorum, & ad nos a Gentilibus traductus fuit. In lemuriis apud Romanos mos obtinuit uti fabis, & in parentalibus fabis, cicere aliiſque leguminibus, ut diſcimus ex Plinio *hiſt. lib.* 18. *cap.* 2. & ex Gyraldo *ſyntag.* 17. Fabæ præſertim mortuis convenire cenſitæ ſunt, tum quod Pitagoras ſenſerit animas noſtras poſt mortem transformari in beſtiolas, quæ in illis naſcuntur, aut ingredi earumdem corpora; tum quia fabarum flores præſeferunt caractera quædam mœſta, atque lugubria, unde fabæ eſu Jovis Flamen interdictum erat. Ex Teopompo morem coquendi legumina pro animabus defunctorum Romanis antiquiorem putat Leonicus *lib.* 3. *hiſt. varia*, priuſque Athenienſibus ſtetiſſe pro die 15. Novembris in ſolemnitate *Chitri*, ſeu ollarum, quam ordinatam fuiſſe ferunt a Deucalione, qui poſt diluvium ſimile ſacrificium egit pro animabus illorum, qui ſuffocati fuerunt. A fabarum eſu, & ſatione, tamquam rerum tetri ominis abſtinuiſſe Ægyptios refert Plutarchus *in ſuis conviv.* qui & ea vocat *Lethi*, *erebique cognomines*, quaſi *Lathyrus*, & *Terebintus*, quorum nomine cicer, & faba veniunt, ita appellati forent a *Lethe* & *erebo*, quæ ſunt inferorum nomina. Verum cum a more illo, quem chriſtiani cuſtodiunt, procul abſit ſuperſtitio quæque, & utilis ſit vivis, atque defunctis, non minus, ac præcedens, ſua non caret laude, etſi ad nos a Gentilibus fuerit tranſmiſſus.

IX. Februa apud Ethnicos menſe ultimo, unde illi inditum *Februarii* nomen, per dies duodecim continuos celebrantur pro defunctorum manibus, biſce diebus, pro impetranda mortuorum

noi-

animabus quiete, omnis populus piaculis, ſacrificiiſque circa ſepulcra accenſis facibus, cereiſque intentus erat. Supra defunctorum ſepulcra afferebantur itidem plurima ad comedendum, & bibendum, credentibus illis mortuorum animas ibi circumire. Talis ritus diu apud Chriſtianos tamquam pius fuit retentus, donec in Concilio Toronenſi 2. can. 16. fuit expreſſe prohibitus, unde & D. Auguſtinus *ſerm. 15. de Sanctis* exclamat de Cathedra S. Petri loquens: *Cum ſolemnitatem hanc Eccleſiis merita religioſa obſervatio introduxerit, miror, cur apud quoſdam infideles hodie tam pernicioſus error increverit, ut ſuper tumulos defunctorum cibos, & vina conferant, quaſi egreſſæ de corporibus animæ carnales cibos requirant.* A Concilio Arelatenſi *cap. 5.* prohibiti item fuerunt fideles ab altero Gentilitatis abuſu, afferendi ſcilicet epulas ſuper mortuorum tumulos in die ſepulturæ, & inibi immoderate canendi, comedendi, & bibendi uſque ad ebrietatem, jocos faciendi, & ſaltationes; *Quis enim*, ſubdit idem Concilium, *neſciat diabolicum eſſe, & non ſolum a Religione Chriſtiana alienum, ſed etiam humanæ naturæ contrarium, ibi lætari, cantare, inebriari, & cachinnis ora diſſolvi, & omni pietate, & affectu charitatis poſtpoſito, quaſi de fraterna morte exultare?*

X. Multi apud Romanos quoque legaverunt epulum quotannis ad ſepulcrum roſis, & variis reſperſum floribus, atque odoribus, ut conſtat ex duobus vetuſtatis exemplis, quorum unum habetur Ravennæ, & in eo obligantur hæredes, quotannis roſas ad monumentum deferre, & ibi epulari; Romæ alterum, in quo adſtringuntur ſacrificare, epulari, & roſis ſepulcrum exornare. Uſus floribus aſpergendi tumulum apud priſcos fideles olim viguit, unde Hieron. epiſt. ad Pammachium de obitu uxoris: *Ceteri mariti ſuper tumulos conjugum ſpargunt violas, roſas, lilia, floreſque purpureos &c.*, & Ambroſius in orat. funebri de obitu Valentiniani: *Non ego floribus tumulum ejus aſpergam, ſed ſpiritum ejus Chriſti odore perfundam.* Mos ille, etſi myſterioſis niti queat rationibus, nunc prorſus deſiit, & ejuſdem dumtaxat quædam reliquia ſupereſt, efformandi ſcilicet coronam de floribus puerorum cadaveribus, & virginum, de qua ſuo loco redibit ſermo.

XI. Uſum vero afferendi ſuper ſepulcra epulas adhuc in plurimis Galliæ locis ſervari ſcribit Caſalius *cap. 66.*, & idipſum in Hiſpania fieri eruit ex lapide in Capella S. Ildephonſi Romæ apud S. Jacobum Hiſpanorum, his verbis ſcripto: *Item tenentur ſupradicti ſingulis annis in commemoratione omnium defunctorum ponere ſuper ſepulcrum dicti Domini Epiſcopi unum tapetum, & duas faces, quæ ardeant per totum officium vigiliæ, & diei; & afferantur ad pedes ſepulcri panis, & vinum pretii quatuor Carlinorum more Hiſpaniæ.* Verum quidquid ſit de hodierna praxi eorumdem locorum, talis uſus, quatenus cibos affert, ſupradictis de cauſis non probatur, & ſuperſtitionis ſuſpicioni manet obnoxius, & idipſum dicimus de conſuetudine, quam in nonnullis Monachorum conventibus, & in Regno Galliæ adeſſe Caſalius aſſerit *pag. 430. in notabilib.*, nempe inferendi cibos menſæ, in quo loco reſpective ſedebant Abbas, Reges, Reginæ, ſeu alii Principes ſanguinis, per quadraginta dies, tamquam viventes forent, & poſtea eoſdem pauperibus diſtribuendi; ultra enim ſuſpicionem, quam dicebamus, prædicta illatio ad nugas pertinet, ſine quibus propterea latius erit præfatos cibos pauperibus partiri.

XII. Secus eſt de eodem uſu, quatenus ſuper ſepulcra apponit cereos ob myſteria, ratione quorum infra dicemus ab Eccleſia mortuis cereos adhiberi, & multo magis, ſi iidem in Cleri eleemoſynam cedant, aut Eccleſiæ. Uſus iſte & in Italia viget & a qualibet labe eum vindicat Decretum, quod ſubdimus, & erit 14. cap. in ord. 126. *Partes reſiduæ cereorum, ſeu intortitiorum, quæ a parochianis in die commemorationis omnium fidelium defunctorum deferuntur in Eccleſiam Parochialem, ibique ſuper ſepulcra, aut altaria, durantibus divinis officiis, accenſa permanent, ſpectant ad Parochum, niſi obſtet conſuetudo, aut de contraria mente deferentium conſtet.* Ead. Congr. 26. Jan. 1638. Decretum autem expoſitione non indiget.

XIII. Infelices Ethnici allucinati, quod reſurrectionis fide carerent, ornabant corpora cypariſſo, quod ſemel abſciſſum amplius non germinat, & eadem de cauſa præ domus foribus, in qua defunctus jacebat, funeſta apponebant indicia, Pinum ſcilicet, & cupreſſum, hinc Lucianus:

Et non plebeios luctus teſtata cupreſſus.

XIV. Chriſtiani vero melius inſtructi ſub mortuorum capitibus, & adhuc in tumulis frondes virides earum arborum, quæ ſemper ſervant virorem, ſolueruut apponere, quare Gregorius Turon. *de glor. confeſſ. cap. 84.* ſcribit de corpore S. Valerii Epiſcopi: *Lauri etiam folia ſub ſe habebat ſtrata, de quibus aſſumens Epiſcopus multis infirmis præbuit medicinam.* Quæ lauri folia etiam reperta fuerunt ſub capitibus SS. Apoſtolorum Simonis, & Judæ in noviſſima eorumdem tranſlatione. Rem concludit Durandus *ration. lib. 7. cap. 35.*, & ſimul cauſas producit: *Hedera quoque, vel Laurus, & hujuſmodi, quæ ſemper ſervant virorem, in ſarcophago corpori ſubſternantur, ad ſignificandum, quod qui moriuntur in Chriſto, vivere non deſinunt: nam licet mundo moriantur ſecundum corpus, tamen ſecundum animam vivunt, & reviviſcunt Deo.* Minus tamen praxis obtinet priſcus uſus ille.

DECRETUM XV. CAPITIS, IN ORDINE CXXVII.

In ſecundo triduo majoris hebdomadæ non poſſunt celebrari exequiæ defunctorum, & officium, & preces recitentur privatim. S. R. C. 11. Aug. 1736. *in Placentina.*

I. DUo ſunt anni dies, ſcilicet feria vı. in Paraſceve, & Paſcha Reſurrectionis, in quorum primo, quia abſolute corpus Chriſti immolari non poteſt, & in ſecundo ob ſolemnitatem maximam miſſa de requiem manet inhibita. Durandus *lib. 7. cap. 35. num. 17.* nec putat licitum ſepeliri cadavera, ſed magis exequias in ſequentem diem eſſe deferendas, ut congruenti miſſa honorentur; *non enim debet*, inquit, *corpus ſepeliri abſque miſſa, quamvis contrarium fiat in pleriſque locis.* Gavantus *par. 1. tit. 5. lit. u.* Goyetus *lib. 4. cap. 23. quæſt. 12.* & Baruffaldus *tit. 34. num. 40.* eamdem dierum exceptionem faciunt, quorum hic contentus eſt auctoritate Gavanti, illi vero Rituale allegant, quin notent locum, in quo id mandatur.

II. Quibus diebus præſente corpore miſſa defunctorum haberi queat, ſuam alibi ſortitum eſt conſiderationem, unde Durandum, tamquam qui a miſſa ad exequias male arguat, impugnare gradimur, ſimulque Gavantum impetere, atque Goyetum, quos locum, textumque Ritualis Romani, quod ad roborandam ſuam opinionem allegant, pro laternis vendentes cicindelas, malitioſe prætermiſiſſe credimus. Rituale *tit. de exeq.* §. 4. habet. *Quod antiquiſſimi eſt inſtituti, illud, quantum fieri poteſt, retineatur, ut miſſa præſente corpore defuncti pro eo celebretur, antequam ſepulturæ tradatur.* Et paragrapho ſequenti: *Si quis die feſto ſit ſepeliendus, miſſa propria pro defuncto præſente corpore celebrari poterit, dum tamen conventualis miſſa, & officia divina non impediantur, magnaque diei celebritas non obſtet.* In priori loco laudatur quidem inſtitutum non ſepeliendi cadavera ſine miſſa, ſed *quantum fieri poteſt*, & in poſteriori ſi cadaver die feſto eſt ſepeliendum, miſſa defunctorum declaratur licita, *dum tamen conventualis Miſſa, & officia divina non impediantur, magnaque diei celebritas non obſtet.* Si itaque præfatum inſtitutum retineri debet, *quantum fieri poteſt*, quis unquam hinc rite inferat, ſine miſſa abſolute cadavera tumulari non poſſe? Si Rituale in poſteriori loco ſupponit cadaver die feſto eſſe ſepeliendum, non tamen cum miſſa, *ſi hinc impediantur divina officia, aut obſtet magna diei ſolemnitatis*, cæcutiat, fas eſt, qui ſentit pro dilatione exequiarum, quando cum miſſa defunctorum aſſociari non valent. Magis adhuc urgent, quæ Rituale tradit *tit. de exeq. ord. in fine* & de quibus infra redibit ſermo. Agit de exequialibus precibus nunquam omittendis, & de cadavere ſtatim inhumulando, & tamen etſi inter eaſdem enumeret officium, & miſſam defunctorum, ſubdit, quod ſi rationabilis adſit cauſa, ob quam officium cum tribus nocturnis, & laudibus dici nequeat, prætermittendum non eſt ſaltem primum nocturnum cum laudibus, & adhuc ab hoc omnino diſpenſat, quatenus talis cauſa urgeat, ob quam nec unum nocturnum cum laudibus dici poſſit. Nunc videamus, quæ de miſſa ſtatuat: *Miſſa vero non omittatur*, & per hæc verba miſſam imperat, ſed en conditiones, quibus præceptum ſtatim temperat, *ſi hora fuerit congruens, aut niſi obſtet magna diei ſolemnitas, aut aliqua neceſſitas aliter ſuadeat*, quarum aliqua interveniente cum ſolis exequialibus precibus, quæ juxta idem Rituale *nunquam omittuntur*, adeo diſerte textus cadaver tumulandum eſſe indicat, ut quidquid cæcitatis, opus eſt in ſe deplorent, qui ſine miſſa, aut diebus aliquibus cadavera humari non poſſe ſentiunt.

III. Ad quæ conſonanter Sanctio præſens in ſecundo triduo (ſcilicet feria v., & vı., & Sabbato Sancto) majoris hebdomadæ cadavera abſolute ſepeliri non inhibet, aut ſuper illa exequias agi, ſed ſolum *in cantu, & cum ſolemnitate*; dum enim ſubdit: *& officium, & preces recitentur privatim*; nonniſi ſtultus, & bardus credere poteſt exequias abſolute vetari, dum tantus eas aperte *privatim*, ſeu ſubmiſſa voce celebrandas indicit. *Officium*, *& preces* Decretum memorat, & miſſam præterit, quia hæc in prædicto triduo etiam privatim dici eſt inhibita; *precum* autem nomine, & *officii* veniunt exequiales orationes, licet *officii* vocabulo etiam officium defunctorum, quod propterea in caſu itidem privatim dici debebit, venire poſſe non inficiemur. Triduum illud plene conſecratum eſt memoriæ crucifixionis, mortis, & ſepulturæ Chriſti, cujus nos cauſa ſumus quapropter Apoſtolorum inſtar, qui percuſſo Paſtore diſperſi ſunt, & uſque ad diem Paſchatis in triſtitia jejunaverunt, nos in ſumma convenit verſari mœſtitia, iniquitatem noſtram ſerio penſantes, nec per cantum exterorum officiorum ad aliena diverti.

IV. Sane opportune admodum ſe nobis offert Decretum S. R. C. 15. Maii 1745., quod Parochum in feria vı. Paraſceves ad infirmos deferentem SS. Viaticum, conſuetos pſalmos *privatæ, & ſubmiſſa, quinimmo ſubmiſſiſſima voce* dicere mandat; hinc enim validius fit argumentum pro exequialibus precibus in tali die *privatæ, & ſubmiſſa, quinimmo ſubmiſſiſſima voce* ſimiliter recitandis. Id autem rite præſens extendit Sanctio ad præcedentem feriam v., & ad ſequens Sabbatum, ad illam, quia in ea officiis imminentem Chriſti crucifixionem Eccleſia prævenit, ad hoc, quia in recolenda ejuſdem ſepultura præcipue eſt intenta. An autem matutino etiam tempore uſque ad miſſam feriæ v., in quo Eccleſia dolores ſolvit, & lu-

& lugubria removet? Utique; tunc enim Eccleſia ſolummodo dolores aliquantiſper ſolvit, ut lætanter pro circumſtantia temporis, qua de cauſa inter gaudia doloris ſigna, ac cæremonias permixtas ſervat, recolat myſteriorum maximum, inſtitutionem nempe auguſtiſſimi Sacramenti, vi cujus *non eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt nobis*; tale profecto argumentum, quod adeo plenam noſtram conſiderationem, & exultationem expoſcit, ut ob hoc unum haud ſit dignum, quod per funereas non perturbetur exequias.

V. De poſtmeridiano tempore ſabbati potior ſit dubitatio, in quo cum Dominica Reſurrectio, quæ noſtræ ſalutis complementum extitit, proponantur meditanda, idipſum privilegii videtur exquirere; at cum Dominica Reſurrectio circa auroram Dominicæ reapſe contigerit, licet officia, quibus olim de nocte vacabat, congruis, ſed ad rem alienis, cauſis in ſabbato Eccleſia anticipaverit, & aliunde juxta moderniorem diſciplinam a maximo luctu ceſſaverit, nos non putamus de prædicto tempore ſimile judicium eſſe habendum, in eoque exequias poſſe perſolvi. Captum ſit itaque, quod exequiæ in toto hoc triduo abſolute quidem celebrari queunt, ſed in feria V. & VI. ſolum privatim, & ſubmiſſiſſima voce, & convenienter ſub veſperum; in ſabbato autem item privatim, & ſubmiſſa voce uſque ad meridiem, & poſt hanc adhuc in cantu, & ſolemniter, licet non dubitemus ſub veſperum bene reſervari.

VI. Succedit modo dicere de die ſancto Paſchæ, & in hoc quidem abſolute humari queunt cadavera cum exequialibus precibus, & officio Defunctorum ſine Miſſa, dummodo exequiæ privatim, ſubmiſſe, & ſub veſperum habeantur, licet ne majoris ſolemnitatis anni quodammodo offuſcetur lætitia, ſub veſperum præcedentis diei magis anticipandæ ſint exequiæ illæ, quæ commode anticipari queunt, & alias in feria ſecunda ſequentem differri non poſſunt, in quam, ſi fieri poteſt, ſatius eſt utique differri, ut cum congruentiori ritu, & miſſa celebrentur. Quod ſi nec ut ſupra anticipari, nec differri valeant, aut placeat, in cantu eaſdem facere, abſoluta die cum licentia Epiſcopi de nocte habeantur. Conſimilis, vel ſupparis ſolemnitatis facimus Dominicam Nativitatem, cui propterea, quæ nunc tradidimus, adaptanda veniunt. At idipſumne erit de reliquis anni diebus, in quibus cadavere præſente miſſa ſolemnis de requiem haberi non valet? Nequaquam; non enim cum laudatis diebus paris ſunt ſolemnitatis, ut ſimile judicium habeamus.

VII. Diſpar eſt ratio miſſam inter & exequiales preces, quia illa, ſi de requiem dicitur, ſtatim abripitur feſto, & cum miſſa ſolum in mane dici queat, diei perturbatur ſolemnitas, ubi exequiales preces feſto nihil demunt de iis, quæ eidem debentur, & quatenus reſerventur ſub veſperum, in quo veluti abſoluta cenſetur diei celebritas, vix hæc offenſionem recipit, quamvis illæ publice, & in cantu celebrentur. Hæc igitur erit regula, ut diebus omnibus, quibus miſſa de requiem licita eſt præſente corpore, licitæ item ſint exequiæ ſolemnes in corpore eorumdem dierum; diebus vero illis, quibus dicta miſſa manet inhibita, vetitæ quoque ſint ſolemnes exequiæ in eorumdem dierum corpore, non ſub veſperum. Quinam autem ſint dies, quibus miſſa de requiem præſente corpore celebrari non poteſt, jam late actum eſt in proprio capite.

VIII. De Eccleſiis, in quibus expoſitum patet SS. Sacramentum, quæſtio ſupereſt, quam ita reſolvimus, ut in eas nonniſi Sacramento repoſito cadavera debeant inferri, & quoties etiam per noctem, & inſequenti die expoſitum illud manere debeat, exequiæ vel anticipentur, vel differantur, & ſi horum neutrum fieri poteſt, exequiæ celebrari poterunt etiam ſolemniter, & in cantu per viam ſub nocte, ſeu tempore, quo in Eccleſia populus eſt minus frequens, & prope Eccleſiam, & in Eccleſia ipſa terminabuntur ſubmiſſiſſima voce, omiſſo etiam defunctorum officio, ne perturbetur populus Chriſtum adorans, & ad aliena avertatur; quod quam ſit indecens, ex eo ſatis evincitur, quod tunc temporis inhibetur pulſatio ipſa tintinnabuli ad elevationem SS. Sacramenti in privatis miſſis, licet in eo caſu populus non converteretur, niſi ad adorationem ejuſdem SS. Sacramenti.

DECRETUM XVI. CAP. IN ORDINE CXXVIII.

Cadavera in quacumque hora diei deferri poſſunt ad Eccleſiam, de nocte vero nonniſi de licentia Ordinarii. Congreg. Concil. 15. Mart. 1704., & Clemen. 11. 9. Decr. 1704.

I. RItum, quem ab elatione cadaveris ad ſepulturam obſervat Eccleſia, per ſequentia Decreta itidem explanaturi, haud putamus digredi a Ritualis textu, quod *tit. de exeq. ord.* in primis habet: *Conſtituta tempora, quo corpus ad Eccleſiam deferendum eſt*. Antiquitus de nocte efferebantur cadavera, & hinc cereorum uſum, qui tunc ad pellendas tenebras adhibebantur, apud nos reliquum adhuc eſſe putarunt aliqui, atque traductum ad funera ipſa, quæ interdiu ducuntur. Mos ille nunc minus probatur, nec deſunt particulares Synodi, quæ illum aperte reprobant, quibus modo accedit producta generalis Sanctio. Eccleſiarum fores de nocte decet eſſe clauſas, & nos pudet validas recenſere cauſas, ob quas fœminæ prohibitæ ſunt nocturno circumire tempore, cum viris ſacros conventus habere, aut proceſſiones agere. Concilium Eliberitanum *can.* 5. & 30. liberius loquitur: *Placuit prohiberi, ne fœmina in Cæmeterium pervigilent, eo quod ſæpe ſub obtentu orationis, ſcelera latenter committant*. Chryſoſtomus Palladio teſte in ejus vita cap. 5. *hortabatur populos, ut in nocturnis precibus aſſidui eſſent, horum autem uxores domi remanerent*. Opportune occurrunt nobis nocturnæ ipſæ vigiliæ, quas olim Sancti Patres commendavarunt adeo, & laboraverunt, ut eas expurgarent ab uſibus, quibus mulierum interventus infecerat. Improborum cauſa, qui in ſui perniciem, & in aliorum ſcandalum iiſdem abutebantur, non putabant fraudandos probos maxima pietatis occaſione, ac ferventioribus ſpiritualibus exercitiis, ſed Eccleſia, ut irritos conatus ſuos fieri proſpexit ex pravitate populorum, ſatius adjudicavit bonos prædictis pietatis officiis privare, quam perditis hominibus nefariorum ſcelerum occaſionem ulterius permittere, Regem Ezechiam imitata, qui 4. *Reg.* 18. 4. ſerpentem illum æneum ex mandato Domini a Moyſe pridem erectum, qui populo fuerat ſalutaris, cum ſuperſtitionis occaſio Judæis eſſe cœpit, magna cum laude contrivit. Eccleſia potuiſſet quidem a nocturnis vigiliis dumtaxat arcere fœminas, ſed de hoc ſexu circumvago, & blanditiarum cupido bene conſcia, ingruenti malo non ſatis ita proviſum iri exiſtimavit.

II. Hæc ultro dedimus, ut inde Lector eruat, quam merito mos efferendi noctu defunctorum corpora proſcriptus fuerit, & ut Prælati tot exemplis imbuti, ſe præbeant difficiles in licentia, quam ob ingruentes varias cauſas iiſdem Congregatio quidem rite facit, ſed non minus eorum prudentiæ committit. Inſtar Chryſoſtomi ſummo curent ſtudio, ut nocturna funera, quæ quandoque congruis de cauſis permittunt, frequentent viri, ſed ea haud metuant privare fœminarum precibus, quinimmo magis promiſcuos hoſce conventus in purum religionis cultum redigere diffidentes, mulieres ab ingreſſu Eccleſiæ nedum arceant, ſed per ſeveram ſuper earumdem interventu inhibitionem non leve commodum obtegendi, & patrandi ſcelera Chriſtianis eripiant. Quod ſi piarum fœminarum, quæ Chriſtum ipſum ad mortem proſecutæ ſunt plangentes, & lamentantes eum, precibus deſtituenda non putant mortuorum funera, hæc ita ſub noctem ſolum permittant, ut debito tempore poſſint eſſe abſoluta, & mulieres in ſuis domibus ſeſe conſtituere.

III. Quodnam autem ſit congruentius tempus ad agenda funera, Rituale ſatis explicat, dum inter exequias Miſſam, cujus celebratio ultra meridiem differri nequit, haberi laudat, ſed quoniam ſtatim addit, *ſi hora fuerit congruens*, etiam poſt meridiem eaſdem fieri poſſe indicat, unde bene ait Decretum, quod *quacumque hora diei cadavera deferri poſſunt ad Eccleſiam*, licet id in mane magis congrue fiat, ut cum miſſa intumulari valeant. Verum Rituale adhuc temperamentum adhibet, dum ſtatim adjicit, *Dum tamen Conventualis miſſa, & officia divina non impediantur*; Valde enim dedecet per delationem cadaverum intra Eccleſiam divina impediri officia, eorumque horas perturbari, quare iis horis illa in Eccleſiam inferenda non erunt, quæ divinis officiis ſunt deſtinatæ. Adſunt denique & ſolemnitates quædam maximæ, quæ exequiis non videntur turbandæ, ſed de his jam egimus in præcedenti Decreto.

DECRETUM XVII. CAP. IN ORDINE CXXIX.

Quoad tempus humationis cadaverum ſervandam eſſe *Synodum* cenſuit S. R. C. 22. Junii 1675., & iterum 13. Julii ejuſdem anni.

I. N*Ullum corpus ſepeliatur*, ſunt verba Ritualis Romani *tit. de exeq.* §. 3., *præſertim ſi mors repentina fuerit, niſi poſt debitum temporis intervallum, ut nullus omnino de morte relinquatur dubitandi locus*. Sunt quidam morbi, ex quibus infirmi quandoque apparent mortui, & vere non ſunt, ut laborantes morbo apoplexiæ, cordis paſſionibus, aliiſque hujuſmodi, quibus adjungi debent mulieres in partu defunctæ. Hos equidem per dictionem *Præſertim* a ceteris particulari conſideratione Rituale diſtinguit, ſed reapſe cunctos a præcipiti ſepultura abſolvit, taleque, antequam ſepulturæ tradantur, tempus expectandum eſſe mandat, ut nullus omnino de morte remaneat dubitationis locus. Hoc temporis ſpatium in jure ſtatutum non eſt, bene vero regulariter a particularibus Synodis, quas propterea rite ſervandas eſſe Sanctio definit; ſollicitudo enim in ſepeliendis mortuis defectus amoris non leve eſt argumentum, & abſurdis plurimis undequaque manet obnoxia.

II. At quid, ſi Synodi proviſionem non fecerint? Standum erit locorum conſuetudini, & quatenus aliquod vel minimum ſuper morte dubium occurrat, in quolibet caſu exquirendum eſt medicorum conſilium, ſatiuſque ſemper erit ſepulturam magis differre, quam anticipare. Crederemus nos itaque, quod cadavera mulierum in partu defunctarum, & repentina morte ſurreptorum, aliorumque, de quorum obitu dubium eſſe poteſt, nonniſi quadraginta a morte elapſis horis, aliorum vero viginti quatuor terræ eſſe mandanda. Quod, volumus, limites in cadaveribus illis, quæ incipiunt putreſcere, vel putere, aut per mortem violentam e medio ſublatis, ſive de quorum morte nullus rationabiliter ſuſpicandi locus relinquitur; hæc enim abſque ullo metu citius humari poſſe non inficiamur.

III. Operæ pretium hic eſt obſervare, quod nonniſi quidem poſt tempus a Synodo præſcriptum cadavera ſepeliri mandantur, non tamen ad Eccleſiam pro ſepultura inter exequias deferri; quare quoties inter exequias cadavera ſepeliri non debeant, ad Eccleſiam quidem deferri poterunt, & ſuper iiſdem exequias agi, dummodo poſt has inſepulta uſque ad debitum tempus reſerventur. Hoc tamen paſſim tentandum non eſt, ſed congruis

dum-

Digitized by Google

dumtaxat de cauſis, ac in caſibus, in quibus ſuper mortem rationabilis non adeſt dubitationis locus, quo vel levi ſtante, ubicumque corpus jaceat, vigilantis alicujus cuſtodia deſerendum non eſt, ut eidem adjuvando præſto eſſe poſſit, ſi forte, qui defunctus credebatur, ſigna vitæ dederit.

DECRETUM XVIII. CAPITIS IN ORDINE CXXX.

Defunctorum corpora in Eccleſiis Regularium tumulanda, deferenda ſunt recto tramite, & per viam a Parocho declarandam ad Eccleſias ipſorum Regularium, non autem prius ad Parochialem. Quod ſervandum erit etiam hæredibus defunctorum contradicentibus, & ad dictam Parochialem prius deferri volentibus. S. R. C. 19. Dec. 1671. *in Savonen.*

I. PLurima decidit Sanctio præſens, quæ ne ſimul expoſita confuſionem ingerant, in Decretis ſtatim dandis diſtinctim explanare reſervamus, contenti modo explicare verba illa *& per viam a Parocho declarandam*. Quando cadaver in Regularium Eccleſia eſt ſepeliendum, Regulariumne ſit, an Parochi decernere viam, per quam eſt aſportandum, Auctores litigant, & qui pronunciant in favorem Parochi, allegant Decretum quoddam Cong. Ep. & Reg., quæ ſub die 4. Janu. 1594. ſtatuiſſe fertur; *Spectat ad Parochum decernere viam, per quam exportandus eſt defunctus, uſque ad portam Eccleſiæ Regularium, in qua eſſet ſepeliendus.* In Decreti lectione non conveniunt alii, ſed ſub his terminis conceptum fuiſſe docent: *Ad Curetum ſpectat declarare omnia neceſſaria uſque ad januam Eccleſiæ Regularium.* In eo diſcrepant iſti legendi modi, quod primus aperte decidit in favorem Parochi, ubi ſecundus diſputationi locum aperit, num *in neceſſariis* includatur aſſignatio viæ, quæ in parte Baruffaldus *tit. 36. num. 70.* negativæ adhæret opinioni, ea ratione ductus, quod etſi via ſit neceſſaria ad ducendum funus, non tamen magis una, quam alia. Hinc ſtandum eſſe autumant Decreto alteri ejuſdem Congregationis 22. April. 1588., quod declaraſſe narrat: *Quando ad Eccleſiam Regularium corpus ſepeliendum defertur, ſpectat ad ipſos Regulares declarare, per quam viam duci debeat.*

II. Cui magis credendum ſit, non eſt, conemur inquirere, cum Sanctio præſens in favorem Parochi evidenter pronunciet; ulteriora autem, quæ ad viam pertinent, trademus ſtatim, dumtaxat hinc inferentes, quod muneris item erit Parochi tempus ſtatuere, quo cadaver ad Eccleſiam eſt aſportandum, licet poſtea haud dubitemus, quod in tali tempore conſtituendo debeat Parochus habere rationem plurimam voluntatis, & commodi hæredum, indubie autem Eccleſiæ tumulantis, quæcumque ea ſit, Regularium, vel Sæcularium.

DECRETUM XIX. CAP. IN ORDINE CXXXI.

Parochi juriſdictio ſuper cadaver durat, quouſque tranſeat in aliorum juriſdictionem; non tranſit autem cadaver in juriſdictionem Regularium, niſi quando pervenit ad fores eorum Eccleſiæ. Congr. Concil. 28. Febr., & 26. Martii 1711., & S. R. C. 2. Sept. 1741.

I. SPectare ad Parochum, & non ad Regulares, declarare viam, ac quæcumque alia uſque ad Eccleſiam eorumdem Regularium, ut in præcedenti Decreto dicebamus, præſens indubie ſtatuit, dum expreſſe declarat, quod juriſdictio Parochi ſuper cadaver durat uſque ad fores Eccleſiæ Regularium, & quod in horum juriſdictionem non tranſit, niſi quando pervenit ad eaſdem fores. Regulares territorium non habent, nec eorum juriſdictio extenditur ultra Eccleſiæ, & adnexæ domus limites, extra quos propterea ſine Parochi, aut Epiſcopi licentia proceſſiones non poſſe agere, fuerunt deciſiones plurimæ, unde nonniſi quando cadaver intrat Regularium juriſdictionis limites, Parochi juriſdictio ceſſat, & ea Regularium ſuccedit.

II. Decretum loquitur de Eccleſia Regulari, quæ pura Regularis eſt; ſi enim itidem ſit Parochialis, idem judicium habendum eſt, ac ſi Parochialis ſæcularis foret. Eccleſiæ Parochiales, quæ per Regulares reguntur, inſtar ſe habent Parochialium, quæ per Sæculares ſacerdotes adminiſtrantur, unde in ejuſmodi caſu non ceſſaret juriſdictio Parochi *a quo* ad Eccleſiæ fores, ſed magis ad Parochiæ limites, in quibus incipit juriſdictio Parochi *ad quem*. Uti enim Decretum declarat Parocho juriſdictionem ſuper cadaver, quod aſportatur ad Eccleſiam Regularium, uſquedum illatum eſt intra terminos Regularium juriſdictionis; ita idipſum erit de Parocho *a quo*, cujus juriſdictio propterea durabit, uſquequo cadaver ingreditur limites Parochiales Parochi *ad quem*, licet per alienas Parochias pertranſire contingat. Ut autem intrat terminos Parochi *ad quem*, ſtatim hujus juriſdictio incipiet, & Parochi *a quo* deſinet.

III. Quæ modo tradidimus, communis conſuetudo approbat, nam Parochus *ad quem*, qui in Proceſſione par incedebat a ſiniſtris Parochi *a quo*, ad hujus dexteram ſtatim ſe collocat, ac cadaver propriæ Parochiæ intrat limites. Cum tamen intra juriſdictionem Parochi *a quo* inchoetur Proceſſio, ejuſdem erit, non Parochi *ad quem*, declarare viam, per quam cadaver eſt aſportandum. At uſquene ad januam Eccleſiæ tumulantis? Indubie uſque ad confinia Parochiæ *ad quem*, ad quæ uſque durat juriſdictio Parochi *a quo*, quæ cum aliunde ibi ceſſet, & ſtatim incipiat illa Parochi *ad quem*, hujus etiam conſequenter erit quæcumque decernere, quæ deinceps ad cadaver ſpectare queunt; & quidem etiam quoad viam, dummodo alia adſit ejus rationis, qualis eſſe debere dicemus illico.

DECRETUM XX. CAP. IN ORDINE CXXXII.

Cadavera recto tramite ad Eccleſiam deferri debent. *Congr.* Ep., & Reg. 11. Dec. 1615., & 14. Janu. *1639.*

I. DEfunctorum cadavera in Eccleſiis Regularium ſepelienda, ad has recto tramite eſſe aſportanda, jam ſuperius deciſum vidimus in Decreto 18. hujuſce Capitis, nec opus eſt, allegemus plurima Decreta alia, quæ idipſum diſerte ſtatuunt. Quoniam vero ejuſmodi Decreta, quæ de ſepeliendis in Eccleſiis Regularium diſponunt, a nonnemine exponi poſſunt de *recto tramite*, quatenus ad Parochialem prius non ſunt aſportanda, ut ſimiliter eadem Decreta mandant, & nos dicemus infra, abs re non fore credidimus præſentem ſanctionem producere, ut inde pateat, cadavera in recto tramite ad Eccleſiam eſſe deferenda, ut brevior via debeat eligi. Cadavera, etiam illorum, qui cum fama ſanctitatis obierunt, donec per Sedem Apoſtolicam, ad quam privative modo ſpectat, ſuper eam judicatum non eſt, ejus rationis non ſunt, quæ in proceſſione ad venerationem per vias deportentur, licet in proceſſionem permittantur deferri, quatenus hæc neceſſaria eſt, ut religioſo ritu ad Eccleſiam ſepulturæ aſportentur; quare dubium eſſe non poteſt, quod ad Eccleſiam recto tramite debent deferri & per breviorem viam, ultra quam aſſerta neceſſitas non ſinit extendi.

II. Suis tamen falleotiis non caret Decretum, & primo in exequiis ſolemnibus, in quibus numeroſior intereſt clerus, aut quoties defuncti domus eſt prope Eccleſiam tumulantem; tunc enim neceſſe ſit parumper elongare viam, ac proceſſionem extendere, ut funus comitantes cum aliquibus ſaltem precibus, quæ nonniſi intonata a Parocho Antiphona *Exultabunt Domino* incipi debens, ad Eccleſiam Defunctum valeant conſociare. 2. ſi recta via ab hominum habitatione, & commercio ſis omnino ſecreta, ne defunctus privetur precibus fidelium, ante quorum ædes, vel aſpectum aſportatur; id tamen, dummodo proceſſio non multum a recta declinet via. Decentia nobis ſuggerit tertiam, ſi nempe alias tranſeundum foret per viam, quam meretrices, aliæque proſtitutæ incolunt fœminæ; etſi enim cadaver aptum na ſe ſit iiſdem ingenerare ſalubres mortis cogitationes, ipſæ tamen ſalutis ſuæ immemores, & alienæ inſidias parantes, adeo in peccatorum cœno immerſæ ſunt, ut cœleſtibus monitis vix attendant, & aliunde facilius ad ſe pertrahant tranſeuntium oculos, devotionem extenuent, & nuditate ſua molles inſinuent, & inſpirent æſtus. Super humanam miſeriam lacrymas cohiberi non valeo, dum lego in Herodoto *lib. 2.*, quod Egyptii fœminas nonniſi triduo, aut quatriduo defunctas, Salitoriis tradebant condiendas, quod eorum nonnulli deprehenſi ſint concumbere cum recentibus cadaveribus mulieribus; quod inter catholicos ipſos (quis crederet) non ſemel eveniſſe legitur, adeo verum eſt, *ſalaciſſimum omnium animalium equum eſſe, homine excepto*, ut ait Ariſtoteles *lib. 6. hiſt. Animal cap.* 22.

III. Quartam, & ultimam limitationem inducit neceſſitas, aut commodites, quando nempe directe via eſt inacceſſa, diruta, impedita, aut lutuoſa; breviori enim viæ non ita ſcrupuloſe inſiſtendum eſſe putamus, ut parumper longior aliqua vel levi intercedente cauſa honeſta præeligi non valeat, aut rigoroſo examini ſubjiciendum ſit, quænam ſit brevior, per quam funus duci debeat. Ad rem, quæ videatur, digna eſt annotatio prima tomi quinti Benedicti XIV. in qua erudita admodum oſtendit via publica deſtructa, vel inacceſſa, proximam viam præſtare debere, præcipue Parocho ad infirmos viaticum deferenti, aut aſſocianti cadavera ad ſepulturam, quin conceſſa via evadat publica, aut præjudicium quodvis inferatur domino prædii.

DECRETUM XXI. CAP. IN ORDINE CXXXIII.

An cadavera defunctorum ſepelienda in Eccleſia Regularium, antequam ad eorum Eccleſiam deferantur, debeant prius aſportari ad Parochialem, & eorum ibidem debeat fieri expoſitio uſque ad horam ſepulturæ? Reſpondeo negative. Congr. Concil. 14. Martii 1722., 16. Mart. 1726., & 6. Februar. 1734.

I. PRopemodum infinitæ hac ſuper re prodiere deciſiones tum Sacrarum Congregationum, tum Sedis Apoſtolicæ, ex quibus unam dumtaxat (& erit Decr. 22. cap., in ord. 534.) lubet adjicere: *An cadavera ſepelienda in Eccleſiis Regularium, antequam ad eorum Eccleſiam deferantur, debeant prius aſportari ad Parochialem, & in ea permanere per aliquod tempus. Reſp. negative.* S. R. C. 22. Junii & 13. Julii 1675. Celebre eſt Decretum 18. hujuſce capitis, quod id fieri prohibet, tametſi defunctorum hæredes cadaver ad Parochialem prius vellent deferri; quod ex dictis in Decreto 10. uberius conſtat ita eſſe intelligendum, ut quidem in libito hæredum ſit cadaver deponere in Parochiali, illudque ibi exponere uſque ad horam ſepulturæ, ſed ad id præſtandum cogi non poſſe; quinimmo quatenus cadaver domi retineatur, neque hæredibus liberum eſſe, dum elevatur ad Eccleſiam Regularium aſportandum, illud prius proceſſionaliter deferri facere ad Parochialem, ſed recto tramite ad Eccleſiam ſepulturæ eſſe deportandum.

II. In

Digitized by Google

II. In libitu hæredum eſt, illud deponere in Eccleſia Parochiali, ibique illud exponere uſque ad horam ſepulturæ, quia juxta Decretum 10. in arbitrio hæredum eſt cadaver deponere in qualibet Eccleſia uſque ad tempus proceſſionaliter deferendi illud ad Eccleſiam ſepulturæ. Ad id vero faciendum hæredes cogi non poſſunt, quia id eſſet onus, quod impediret, vel aggravaret liberam ſepulturæ electionem, & damnum inferret hæredibus, & Eccleſiæ tumulanti, &, ut Decreta loquuntur, tale onus reapſe non eſt, niſi extorſio quædam cereorum ſub prætextu juris parochialis. Non poſſunt vero hæredes proceſſionaliter illud prius deferri facere ad Parochialem, quia cadavera recto tramite deferri debent ad Eccleſiam ſepulturæ, tum talia, ut dicebamus, non ſint, quæ ad venerationem deferri poſſint, ſed ſolum proceſſionaliter deportari concedantur, quatenus proceſſio neceſſaria eſt, ut ad ſepulturam aſportentur.

DECRETUM XXIII. CAP. IN ORDINE CXXXV.

Hæres defuncti invitare poteſt numerum ſacerdotum, ſeu ſæcularium, ſeu Regularium, immo & confraternitatum ſibi bene viſum. Cong. Ep., & Reg. 5. Maii 1617.

I. C*onvocetur clerus, & alii, qui funeri intereſſe debent*, ait Rituale; convocandorum vero numerum arbitrio hæredum, quorum expenſis acciuntur, rite Sanctio committit; hinc & Decretum aliud, & ſit 24. cap., in ord. 136. *Ad hæredes, & non ad Parochum ſpectat vocare quot, & quos libuerit*. Ead. Congr. 4. Janu. 1594. *Quot* dicit numerum, & *quos* qualitatem, quare hæredes nec cogi poſſunt ad aliquem determinatum numerum, nec ad qualitatem vocandorum, ſed iiſdem integrum prorſus erit vocare quot, & quos voluerint, ſive pauci, ſive plures ſint, ſæculares, vel Regulares. Conſimile prodiit Decretum aliud, & erit 25. cap., in ord. 137. *Numerum Religioſorum, ac electionem Religionum pro aſſociandis cadaveribus, ad hæredes defunctorum pro libito voluntatis eorum ſpectare, & pertinere, & ita ubique in poſterum ſervari debere declaravit* S. R. C. 4. Janu. 1640.

DECRETUM XXVI. CAP. IN ORDINE CXXXVIII.

Hæredes defuncti invitare poſſunt numerum ſacerdotum ſæcularium, aut Regularium, immo & confraternitatum ſibi bene viſum, nec cogi poſſunt ad vocandum Capitulum, vel alios, ſed ſolum Parochum, cui debetur duplum eleemoſynæ illa, quæ datur aliis Sacerdotibus ſimplicibus. Cong. Ep., & Reg. 17. Mart. 1579. 12. Oct. 1580., 24. Janu. 1581., 11. Janu. 1647., & 11. Dec. 1649.

I. V*Olo* hinc inferas, ſtatuta quælibet, etiam per Epiſcopos facta, quæ hæredes onerant non vocare Regulares, niſi prius vocatis iis de Capitulo, aut Eccleſiæ parochialis, vel illos nonniſi juxta horum numerum, vel quodcumque aliud onus imponunt, ut vocandi aliquem alium ultra Parochum, nulla eſſe ipſo jure, & per recenſitas ſanctiones, & plures alias Pontificias deciſiones rite rejecta, tamquam quæ reſtringunt libertatem hæredum, impediunt voluntatem defunctorum, iiſdemque præjudicium inferunt, uti & iis de clero, qui alias vocarentur. Patet inſuper, quod hæredes non teneatur vocare, niſi Parochum, & quatenus alios invitent, non adſtringuntur præferre viciniores, aut illos Eccleſiæ parochialis, ſed vocare poſſunt quoſcumque voluerint nulla cujuſcumque ratione habita.

DECRETUM XXVII. CAP. IN ORDINE CXXXIX.

Hæredes non tenentur vocare, niſi Parochum. Congr. Ep., & Reg. 28. Sept. 1646.

I. S*Anctio* duplicem reddere poteſt ſenſum, ita ut hæredes liberi quidem ſint quoad qualitatem, vocandorum excepto Parocho, quem ſemper vocare teneantur; & hoc pacto accepta, conſonat cum præcedenti Decreto, & cum eo, quod ſubdimus, & erit 28. cap., in ord. 140. *Parochus minime excluditur, licet a defuncto accerſiri tantum Regulares jubeantur*. Ead. Congr. 24. Apr. 1594. Teſtatorum, vel hæredum voluntas contra Eccleſiæ mandata prævalere non poteſt, & ſi quandoque iiſdem contraire deprehenditur tamquam irrationabilem rejiciendam eſſe, omnia jura clamant; quare cum Rituale Parocho aperte committat deductionem funeris, & canonicæ ſanctiones quæque ejuſdem id velint eſſe muneris, nullius voluntas potis eſt illum excludere.

II. Alter ſenſus eſt quoad numerum, ita ut vocato Parocho non teneantur hæredes ad funus accerſere ullum alium; & hunc ſenſum argumentatione conſimili reprobat Benedictus XIV. *not.* 16. *tom.* 2.: advertit enim, quod pſalmi cantu alterno, qui ut minimum duas perſonas expoſcit, a Rituali per clerum dici mandantur; unde hæredes obligat ultra Parochum accire ſaltem unum, cum quo pſalmi alternatim dici valeant, & quatenus defunctus gratis ſepeliri debeat, id oneris imponit Parochis, aliiſque clericis parochis Eccleſiæ jam deſervire obſtrictis. Verum etſi id verum ſit de congruo, & adhuc quodammodo de jure naturæ, quod dictat ab hæredibus defunctorum funerandum eſſe de bono, & æquo, ac juxta facultates, & dignitatem ipſius defuncti, in cujus contumeliam alias cedit; de jure tamen canonico non crederem id oneris hæredibus imponi poſſe; ultra namque præſens Decretum diſerte nimis ſe explicat præcedens quinquies repetitum, ut hæredes ad vocandos alios a Parocho aggravari non valeant; & præſertim quia, quod ſubdimus, Decretum (erit 29. cap., in ord. 141.) ſuper Congregationis mentem aufert dubium quodlibet: *Inhiberi non poteſt, quod non ſepeliantur cadavera abſque interventu duorum Presbyterorum a Capitulo deputatorum vice Parochi, etiam ubi Parochia ſpectat ad ipſum Capitulum, quia unius aſſiſtentia ſufficit*. Ead. Congr. 16. Martii 1593.

III. Hinc habes, quod ubi ob copiam populi Parochia per duos adminiſtratur Parochos, neceſſe non eſt, quod uterque ab hæredibus ad funus vocetur, ſed ſufficit, quod eorum alter accerſeatur. Non omnia autem, quæ Rituale recenſet, neceſſe eſt in cunctorum exequiis obſervari, ipſarum excepta recitatione precum, quibus funera nulla debent deſtitui; quare etſi meminerit cantus alterni, hic quidem debebit ſervari, ſi habeatur, cum quo Parochus pſalmos alternatim dicere valeat; ſin autem, ipſe ſolus conſuetas preces dicet. Rituale aſſignat ritum, qui in exequiis regulariter obſervari debet, quin in præcepto conſtituat rigoroſam omnium obſervantiam, niſi quatenus, & prout attentis circumſtantiis ad praxim deduci poſſunt, unde etſi v. g. meminerit cantus, cantorum, & aliorum miniſtrorum, neceſſe non erit, hæc in quocumque habeantur funere. Hæc igitur erit regula, ut omnia quidem ſervanda ſint, quæ, & prout ſervari valent, non autem rigoroſe, prout jacent in Rituali deſcripta.

DECRETUM XXX. CAP. IN ORDINE CXLII.

Si electio non fiat ab hæredibus, Parochus ad funus poteſt vocare quos voluerit, omiſſis etiam vicinioribus. S. R. C. 7. Septemb. 1613. *in Ferrarien.*

I. U*T* dicebamus, vocandorum electio ſpectat ad hæredes; nunc definitur, quod id juris cedit Parocho, ſi ab hæredibus illa non fiat; hi enim illico renunciant juri ſuo; quare in hoc rite Parochi declarantur ſuccedere, ad quos tamquam funeris ductores, & Dominos jam attineret, ſi hæredum arbitrio de congruo non fuiſſet commiſſa, quatenus eorumdem impreſſis eſt exequenda. Quod ſi hæredibus integrum eſt vocare quos voluerint, omiſſis etiam vicinioribus, ac iis de Parochiali Eccleſia, id etiam erit liberum Parochis, qui in hæredum jure ſuccedunt. Eligibilitatis jus æque reſidet in omnibus de clero, unde Eccleſiaſtici ceteri læderentur in jure ſuo, ſi viciniores, aliiſve vocare neceſſe foret, ut ſcite advertit Sylveſter *verb. Immunitas* 2. *num.* 7.

II. Ita quidem eſt de qualitate vocandorum; at quid de quantitate? In Parochi arbitrio etiam erit quantitas: hoc ipſo enim, quod hæredes, cum poſſint, eam non reſtringunt, aut limitant, Parochi, quem ſciunt in jure ſuccedere, eamdem deferunt placito. Attamen adhuc facienda non erit mere arbitrarie, ſed juxta facultates defuncti, ultra quam præſumi non poteſt hæredum voluntas.

DECRETUM XXXI. CAP. IN ORDINE CXLIII.

Quoties electio fit a Parocho, clerici Eccleſiæ debent externis præferri. Congr. Epiſc., & Reg. 23. Apr. 1649.

I. F*Allimur*, ſi deſit, qui putet hinc præcedenti derogari Decreto, ſed facile concordiam invehis, ſi verbum *debent* non de rigoroſo debito, ſed de debito congruentiæ accipias. Congruentiæ debito erga Eccleſiæ clericos etiam hæredes quodammodo teneri videntur; præcipue tamen obſtringi declarantur Parochi, quibus, & quorum Eccleſiæ clerici illi inſerviunt; æquum namque eſt, quod ſi incommodum ſentiunt, etiam commodi fiant participes. Id tamen limita primo, ſi qui eorumdem ſint minus apti, puta quia cantum, aut cœremonias minime calleant. 2. quoad clericos non Sacerdotes, niſi quatenus eligantur in officio clericali, in quo non minus exteris ſunt præferendi. Dum enim in promptu ſunt Sacerdotes, præſumi non poteſt, quod a defuncto, vel ejus hæredibus præeligerentur clerici; quare nec a Parochis, qui hæredum vice eligunt, prædiligi poſſe credimus clericos contemptis Sacerdotibus, quorum indubie id eſt munus proprium, ad quod ſecundum jura non admittuntur puri clerici niſi ubi cogat neceſſitas, cui parent leges omnes.

DECRETUM XXXII. CAP. IN ORDINE. CXLIV.

Funus comitantes, in Parochiali Eccleſia, vel in alia, juxta loci conſuetudinem omnino convenire debent. S. R. C. 8. Febr. 1631. *in Tropien.*

I. Q*UI* ut ſupra vocati, funeri intereſſe debent, disjunctive injungitur convenire in Parochiali Eccleſia, vel in alia juxta loci conſuetudinem, & hoc omnino conſonat ad Ritualis textum: *& in Parochialem, vel in aliam Eccleſiam, juxta loci conſuetudinem, ordine conveniant*. Cujuſdam honoris ſpecies per cleri conventum in Parochiali Eccleſia defertur Parocho, tamquam majori Sacerdoti, & in funere juriſdictionem habenti, ſed clero, qui ex diverſis loci partibus abſcedit, eſt valde magis commodum convenire in Eccleſiam ædibus defuncti, unde reapſe funerea proceſſio incipit, viciniorem; & hic conveniendi modus a S. Carolo *Act. part.* 1. *tit.*

de

Digitized by Google

de funer. & exeq. præ priori approbatur: *Cum mortuus efferendus erit, cujuſvis Eccleſiæ clerus, qui vocabitur, in unam proximam mortui ædibus Eccleſiam, congruo proceſſionis ordine, conveniat.*

II. Modico honori Parochi, qui adhuc, cum juriſdictionem ſuam palam exerceat, minime deperit, licet plus æquo de more fortaſſe eidem inſiſtant Parochi, per omnium incommodum male conſultum iri Congregatio arbitrata, haud credidit cogendum eſſe clerum convenire in Parochialem Eccleſiam, ſed maluit attendi loci conſuetudinem, cui jam ſtandum eſſe Rituale præſcripſerat. Adſunt res quædam, quæ cum juxta locorum diverſitatem varientur plurimum, vix generalem legem aptæ ſunt ſuſtinere, & ideo merito deferuntur conſuetudini, quæ præſumitur locis ipſis accommoda. Ejuſmodi eſt cauſa funerum; in nonnullis enim locis Parochialis diſtrictus ad milliaria uſque protenditur, & cogeretur clerus, qui fortaſſe commode ad Eccleſiam defuncto proximiorem poteſt accurrere, inutiliter perenſare vias cum gravi incommodo, ſi ad Parochialem deberet indiſtincte convenire: in aliis vero, cum diſtrictus anguſtis arctetur limitibus, æque, vel fere æque poteſt eſſe clero commodum convenire in Parochialem Eccleſiam, vel in aliam ædibus defuncti viciniorem.

III. Conveniendi igitur hæc erit regula, ut conventus fiat in Eccleſiam defuncti ædibus proximiorem, quando ita obtinuit conſuetudo loci, cum id univerſitati cleri ſit ſemper magis commodum; ubi vero conſuetudo fert convenire in Parochialem Eccleſiam, hæc ſequenda erit, ſi ſine gravi cleri incommodo fieri valeat, ſecus vero, ſi grave adſit cleri incommodum, aut in locis, & Civitatibus valde protenſis, pro quibus valde eſt appoſita producta lex Mediolanenſis ſynodi, hanc præcipue ob cauſam a D. Carolo ſancte edita. Congregatio quidem conſuetudinem loci ſequendam eſſe indixit, ſed vix credidit, quod alicubi talis vigere poſſit, quæ univerſitati cleri graviter poſſit eſſe incommoda; & quatenus ejuſmodi alicubi haberetur, tamquam honeſtati repugnans, eliminanda eſſet ſicuti Congregatio ipſa ſimili de cauſa conſuetudinem expectandi Parochum per vias, vel ad domum defuncti, extirpandam eſſe voluit; conſuetudo enim illa iiſdem inconvenientibus, & abſurdis non minus exponit clerum, ultra grave incommodum, quod eidem affert. Quod ſi Parochus honori plus æquo ſtudens, obſervantiam conſuetudinis, vel ſecus fieri prætenderet, tamquam incompoſitum, & incomptum rejiciendum eſſe, Prælati ex eo diſcant, quod Congregatio Concilii 5. Maii 1592. Regulares, qui ultra milliare a civitate diſtant, a publicis proceſſionibus abſolvit, ad quas tenerentur alias, ut refert Cherubinus *tom. 2. in bull. 41. Pii V.*

IV. Dictio *omnino*, quam Sanctio adhibet, nonnihil difficultatis faceſſere poſſet, ſed de ea in ſequenti Decreto reſervantes agere, arripimus to *Ordine*, quo vocatos in communem Eccleſiam convenire Rituale mandat, ſed opportune occurrit nobis expoſitio laudatorum Actorum Eccleſiæ Mediolanenſis, ſcilicet *congruo proceſſionis ordine*. Quoties itaque Congregationes aliquæ, vel Capitula ſacerdotum Sæcularium, vel Regularium, aut laicorum Confraternitates ad funus vocantur, non tumultuarie, aut disjunctim, ſed unitim, & bini, & veſtibus reſpective vel ſaccis, quibus in proceſſionibus uti ſolent, induti ad Eccleſiam procedent. Sacerdotes vero, qui non ſpectant ad communitatem aliquam, ſed tamquam Capellani adventitii, ſub cruce Parochi debent incedere, ad Eccleſiam Parochialem compoſiti procedent, ubi in ſacrario, non in Eccleſia ſuperpelliceum induentes; ad domum defuncti una cum alio Clero, ſi in Parochialem ſimiliter convenerit, vel ad Eccleſiam, in qua Clerus ceterus congregatus eſt, aſſociabunt Parochum, ut inde proceſſio inſtituatur ad elevandum cadaver.

DECRETUM XXXIII. CAP. IN ORDINE CXLV.

Nullo modo permittendum eſt a funus comitantibus Parochum expectari per vias, vel ad domum defuncti, non obſtante contraria conſuetudine expectandi per vias, vel ad domum defuncti. S. R. C. 12. Febr. 1633. *in Theleſina*.

I. CONſuetudo ejuſmodi honeſtati repugnat, & Clerum exponit abſurdis plurimis, quare digna utique eſt, quæ tamquam abuſus rejiciatur. Contrait Rituali ipſi, quod quidem conſuetudinem laudat, ſed non conveniendi per viam, aut ad defuncti domum, ſed vel in Parochialem, vel in aliam Eccleſiam, & ab hac ad elevandum cadaver facit proceſſionem incedere. Sanctio generalis eſt, & *funus comitantes* ſimpliciter nominat; quare haud dubito, quod nedum clerus, aliique vocati in Eccleſiam ſe recipere debeant, ſed etiam quicumque alii ultronei, quos non minus fortaſſe dedecet per vias ſiſtere. Hoc ſpectat dictio *omnino*, quæ in præcedens Decretum invecta fuit ad excludendum quemcumque alium conveniendi modum extra Eccleſiam, in quam ſine diſpenſatione conveniendum eſſe mandat, parum poſtea ſolicita, quod id in una magis Eccleſia fiat, quam in altera, dummodo quoad fieri poteſt, præcaveatur cleri incommodum.

DECRETUM XXXIV. CAP., IN ORDINE CXLVI.

An illatis cadaveribus private ab hæredibus ad aliquam tertiam Eccleſiam per modum depoſiti, Regulares convenire, & congregari debeant in dicta tertia Eccleſia, aut in Parochiali ad effectum illa aſſociandi ad Eccleſiam, ubi ſunt tumulanda? Sacra autem Rituum Congregatio inhærendo aliis decretis reſpondit, Regulares debere congregari in illa Eccleſia tertia, ubi cadaver fuit depoſitum ut ſupra. Die 22. Junii *1675. in una Ord. Erem. S. Auguſtini*, & iterum 23. Julii *1675. in una Ord. Minor. Obſerv.*

I. ARbitrio hæredum cadavera deponi poſſe in quolibet Eccleſia uſque ad tempus illa deferendi ad Eccleſiam ſepulturæ, nos docuit Decretum 20. capitis; nunc autem inſtruimur, quod in caſu Regulares non debent congregari in Eccleſia Parochiali; ſed in Eccleſia, in qua depoſitum eſt cadaver; & quidem adhuc ubi conſuetudo ferret convenire in Parochialem Eccleſiam, aut in quamlibet aliam, Decretum quippe loquitur abſolute, & quanto pro tertia Eccleſia præfata conſuetudo militaret, jam in eadem conventus factus fuiſſet, quia præſens in favorem ejuſdem emanaſſet Decretum. Hinc liceat nobis inferre, quod non tam honor Parochi, quam cleri commodum hac in re debet attendi, & quod non alia de cauſa ſtatutum eſt convenire in Eccleſiam Parochialem, aut aliam ædibus defuncti proximiorem juxta loci conſuetudinem, niſi ad eliminandum abuſum, qui pluribus in locis irrepſerat, expectandi Parochum per vias, aut ad domum defuncti.

II. Proceſſio funerea non incipit, niſi a loco, ubi ſitum eſt cadaver, quare omnino ſuperfluit, Regulares petere Eccleſiam Parochialem, ut inde procedant ad Eccleſiam depoſiti cadaveris, quando ad hanc recto tramite proficiſci valent, & cum minori incommodo. Id autem conſequenter verum erit etiam de Clero ſæculari, aut Confraternitatibus Laicorum, qui funeri collegialiter intereſſe debent, ſolumque fallit in iis Cappellania, qui cum ſub cruce Parochi debeant incedere, convenit, quod etiam Parochum ab Eccleſia Parochiali ſub cruce comitentur ad Eccleſiam, in qua cadaver eſt depoſitum.

III. *Inhærendo alias decretis*; & ea hæc brevitatis gratia in unum Decretum (erit 35. cap. in ord. 147.) congeſta: *Regulares tenentur accedere ad Eccleſiam Parochialem, & ab hac cum Parocho ad domum defuncti, ſed ſi cadaver depoſitum fuerit in aliqua Eccleſia, ſufficit, quod iidem Regulares conveniant in Eccleſiam, ubi cadaver eſt efferendum, & hinc cadaver aſſocient ad Eccleſiam ſepulturæ*. Congreg. Ep. & Reg. 24. Decemb. 1581. 16. Maii 1588. 19. Aug. 1603. 26. Aug. 1616., 28. Nov. 1642., & 26. April. 1652. *Et id non obſtante* (ſic Decr. 36. cap. in ord. 148.) *quod non adeſt clerus, ſed ſolus Parochus*. Ead. Congr. 23. Martii 1646. 29. Maii 1648., & 28. Apr. 1651. Quantumvis nempe nullus ex clero foret, qui comitaretur Parochum; ſed hic ſolus ad Eccleſiam, in qua cadaver eſt depoſitum, deberet accedere.

DECRETUM XXXVII. CAP., IN ORDINE CXLIX.

Defunctorum corpora ſi deponantur in Parochiali, ut inde transferantur ad Eccleſiam Regularium, in qua elegerant ſepulturam, nihil debetur Eccleſiæ Parochiali, exceptis juribus Parochialibus. S. R. C. 23. Martii 1619. *in Placentina*.

I. SUb *Eccleſia qualibet*, in quam ferri poteſt hæredum placitum pro depoſitione cadaveris, indubie comprehenditur & Parochialis, cui propterea nihil deberi decernitur ultra conſuetam portionem canonicam, quam jam perciperet, etſi cadaver in ea minime deponeretur. Eo itidem hæc vergit Sanctio, ut ſubmoveat gravamen quodvis, quod impedire poteſt liberam ſepulturæ electionem, & præſertim favore Regularium Eccleſiarum, quas in hoc maxime vexare ſummo ſtudio clerus ſæcularis aſſolet, ſed non minori a gravamine quolibet intenta eſt Congregatio eaſdem vindicare, utique conſcia, quantum Regulares Ordines elaborent in vinea Domini, & Parochos ipſos adjuvent in adminiſtratione Sacramentorum, & diſſeminatione verbi Dei, aliiſque piis operibus. Nos, qui ſumus ex Regulari Ordine, in gravaminibus, quæ intentantur, recenſendis immorari nolumus, ſed ea quiſquis percipiet facile ex Sanctionibus in hocce libro ſparſim productis.

II. Eccleſias teneri ad recipienda cadavera, ex Decreto decimo videtur erui, quia hæredibus facit liberum eadem in quavis Eccleſia deponere, & quidem *petita*, licet *non obtenta licentia*. Verum ea non eſt Decreti mens, ſed ſolum, quod hæredes cogi non poſſint ad retinenda cadavera in propria domo, & quod ad ea aſportanda ſufficiat venia a Parocho petita, licet non obtenta, ne per diſſenſum Parochorum cogantur hæredes cadavera domi retinere, & propter ejuſmodi incommodum abſterreantur fideles a ſepultura extra Parochialem eligenda. Quod vero Eccleſiæ ad hæredum arbitrium teneantur cadavera ſuſcipere, hoc non definit Sanctio, cujus diſpoſitio, dum hæredibus circa Eccleſiam depoſiti libertatem facit, intelligi ut ſupra debet per excluſionem coactionis ad ea domi retinenda, etſi benignam habeat acceptatricem Eccleſiam. Nos tamen diſtinguendum adhuc eſſe credimus, & dicimus, quod ſi Eccleſia non eſt propria Parochialis, cum ad eam nullo pacto pertineat, non tenetur intra ſe defunctum admittere, bene vero, ſi

eſt

Digitized by Google

eſt propria Parochialis, hoc ipſo enim ejuſdem mater eſt, eumque in ſua juriſdictione retinet, donec ingreditur limites Eccleſiæ tumulantis, unde proprium filium e ſuo ſinu rejicere minime valet.

III. Crederemus tamen, quod etiam non Parochiales ob talem depoſitionem nihil debeant exigere, vel ſaltem contentæ ſint gratuita aquiſitione cereorum intra ipſas circa cadaver ardentium, qui, congruum erit, cedant etiam in favorem Parochialium, quando in ipſis exponitur; non quidem ex debito, ſed ex eleemoſyna gratuita hæredum, quam fieri Decretum non reprobat, ſed ſolum nihil ultra jura Parochialia iiſdem *deberi* declarat.

DECRETUM XXXVIII. CAP. IN ORDINE CL.

An liceat, Curatis, ſalvis eorum juribus Parochialibus, impedire contra voluntatem hæredum defunctorum, ne Regulares vocati ad funus, corpora defunctorum ad quaſvis Eccleſias deferenda, una cum Parochis, & clericis proceſſionaliter aſſocient? S. R. C. reſpondit: *Regulares in caſu propoſito non poſſe impediri*. Die 3. April. 1633. approbante Urbano VIII. Die 25. Junii 1633. in ſua Conſtit. *Nuper pro parte*.

I. QUis crederet? Noviſſime inſurrexit quidam Rituum plane imperitus, qui libertatem hæredum, quam adeo diſerte ſuperius producta Decreta iiſdem faciunt vocandi ad funus, quocumque ducatur, quos, & quot voluerint, auſus eſt quoad Regulares limitare ad caſum, in quo cadaver ad eorum Eccleſiam tumulandum defertur, & ideo ſanctionem hanc, quam decreveramus miſſam facere, contenti fuimus in medium proferre, a plurimis, quæ haberemus ad impetendam mere arbitrariam diſtinctionem præfatam, ultro abſtinentes, ne adeo honoris deferamus illi, qui eamdem excogitavit.

DECRETUM XXXIX. CAPITIS, IN ORDINE CLI.

Parochi, Cappellani Confraternitatum, Sacerdotes, aliique Eccleſiaſtici, qui cotta induti interveniunt proceſſionibus funeralibus, deferant, ſicuti in aliis proceſſionibus, birretum ſacerdotale, non vero pileum, excepto tempore pluviæ, & noctis, prout diſponit Rituale Romanum *tit. de Proceſs.*, & ut ſæpe reſolvit S. R. C. Quæ quidem pilei prohibitio non ſolum eſt pro Eccleſiaſtico Sæculari, ſed etiam Regulari, licet ſint Parochi cotta induti. Clemens XI. 9. Decem. 1704. Conſt. *La Santità di Noſtro Signore*.

I. P*Arochus indutus ſuperpelliceo, & ſtola nigra, vel pluviali ejuſdem coloris*, ſic Rituale deſcribit veſtimentum Parochi, quo in proceſſione funerea uti debet. Sancta Mater Eccleſia a Deo edocta, qui *Exod.* 27. 31. 35. & 40. ſacerdotes voluit propria habere veſtimenta in ſolum uſum miniſterii tabernaculi fœderis, veſtibus communis vitæ in ſacris miniſteriis uti non aſſolet, ſed particulares veſtes inſtituit, ſacris ordinibus, & miniſteriis deſtinatas. Has inter connumeratur ſuperpelliceum, *Cottam* Itali vocant, & eſt veſtis quædam linea, cujus meminit Hieron. *lib.* 1. *adverſ. Pelag.*, non ſolis ſacerdotibus propria, ſed univerſo clero communis, & ideo hac non ita Rituale Parochum induit, ut & ceteri, qui funeri intereſſe debent, eadem non ſe debeant veſtire juxta generale mandatum ejuſdem Ritualis *tit. de Proceſs.* §. 3., ubi & *galeri*, de quibus infra, uſitari inhibentur: *Omnes decenti habitu, ſuperpelliceis, vel aliis ſacris veſtibus ſine galeris, niſi pluvia cogente, induti*. Non ſic eſt de ſtola, quam tamquam juriſdictionis ſignum, ſoli Parocho Rituale reſervat; & licet communis praxis a pluvialis uſu abſtineat, hoc tamen etiam Parochum uti poſſe, ea verba ſatis indicant, *vel etiam pluviali ejuſdem coloris*, ſcilicet nigri, qui funereus eſt, & mœſtitiæ congruus.

II. In capitis tegumentum birretum introductum, quod ab origine rotundum erat, & laneum inſtar fere ejus, quod gerunt hoſpitalium pueri, & cum digitis aſſidue apprehenderetur, ſenſim cornua quædam, ſeu angulos adeptum eſt, qui cum tres eſſent, ut majorem ſymetriam nanciſceretur, ſubſuta ſolida tela additus eſt quartus, & ita e rotundo evaſit quadratum, in ſuperiori ejuſdem parte etiam quatuor angulis elevatis, qui ad illud commode prehendendum deſerviunt, & inſimul crucis formam referunt. Soli Itali unico angulo ſubmiſſo tres ad honorem SS. Trinitatis elevant, & nihilominus figuram crucis retinere contendunt, cum quibus etſi nos ſuper hujuſmodi figuram crucis litem intentare nolimus, eiſdem tamen non poſſumus non objicere communem praxim, qua etiam ipſi crucis ſignum, & figuram efformant, quando etiam tale birretum pro prehenſione non foret minus accommodum.

III. Equidem Rituale birreti non meminit, ſed cum hoc pro uſu in functionibus ſacris ſit inſtitutum, rite in proceſſionibus funereis per præſens Decretum Eccleſiaſticis demandatur, & pileus tamquam tegumentum communis vitæ interdicitur, ſolo excepto tempore pluviæ, aut noctis, vel magnæ humiditatis, cujus injurias cum clericale birretum aptum non ſit arcere, neceſſitas moderato juris rigore, galeri uſum facit licitum, & quatenus opus ſit, etiam pilei ſuper cottam, licet hujus textus minime meminerit. Non omnibus tamen Eccleſiaſticis interdicitur galeri uſus, & birreti clericalis indicitur, ſed ſolum iis, *qui cotta induti, eiſdem interſunt proceſſionibus*; qui enim ſine cotta intereſſent in communi habitu, iiſdem denegari nec poteſt commune capitis tegumentum, cum tamquam clerus proceſſionem non integrent, ſed tamquam alii de populo.

IV. Non ſic eſt de Regulari clero, qui cum ſuæ Religionis veſtem jam ſacram deferat, non cogitur cottam induere, & per ea Ritualis verba, *vel aliis ſacris veſtibus*, in propria veſte permittitur incedere, in qua etiam concionatur ad populum, adminiſtrat Sacramentum Pœnitentiæ, & plurima agit alia ad differentiam cleri ſæcularis. Veſtis hujuſmodi caputium habet ad obtegendum caput, & ideo Decretum conſulto ſiſtit in inhibitione pilei, quin tranſeat ad indicendam birreti delationem: *Quæ quidem pilei prohibitio non ſolum eſt pro Eccleſiaſtico Sæculari, ſed etiam Regulari*. Quo ex cauto dicendi modo Regularibus vetatur quidem pileus, qui in Religionibus ſacrari non aſſolet, & facultas indifferenter fit utendi caputio, aut birreto ad contegendum caput.

V. *Licet ſint Parochi cotta induti*, unde, & Regulares Parochi, etſi in cotta incedant, abſtinere debent ab uſu pilei; dictio autem illa *Licet ſint &c.* deſignat majorem dubitandi rationem pro iiſdem Parochis, quorum Religiones cum birreti uſum non habeant, ſi iiſdem non liceat galeris uti, vix aſſignari poteſt, cum quo caput contegant. In miſſarum ſolemniis Eccleſia antiquitus abſtinebat a birreti uſu, ſed capiti imponebat amictum, unde Miſſale Lugdunenſe anni 1556. *ſacerdos amictu caput ſuum obnubit*, & adhuc amictu Epiſcopus in ordinatione tegit caput Subdiaconi; cum autem æſtate ob æſtum incommodo foret, in collum cœpit illud dimittere, & inveheere birretum, quod ſenſim ad alia item tempora fuit traductum. Soli Regulares temnentes commodum, priſco omnino adhærere ritui, qui reliquus adhuc apud eoſdem eſt, etiam æſtivo tempore. Verum cum in alba, & amictu in ejuſmodi proceſſionibus non debeant incedere, ſed in cotta, prædictus ad rem non ſuffragatur uſus, unde neceſſitati, & commodo ſatis opportune conſuluere Religiones per delationem caputii ſuper cottam. In hiſce tamen, ſimilibuſque caſibus nos crederemus ſatius, quod iidem de antiqua aliquantiſper remittentes diſciplina, novæ adhærerent per delationem birreti, quo indubie uti debent, qui pluviali induti procedunt, cum jam proſcripto pileo, niſi in caſibus, de quibus ſupra, vix iiſdem ſuppetat tegumentum aliud, ſine quo per vias incedere minus eſt commodum, atque ſalubre.

VI. Ex iis expoſitum ſimul maneat Decretum aliud (& erit 40. cap. in ord. 152.) *Regulares in proceſſionibus deferre non debent galerum, ſive pileum, non obſtante prætenſo ſolito, & Epiſcopus eos cogat ad deponendum, etiam per cenſuras, prout innovando Decretum anno 1664. ſub die 30. Auguſti emanatum, ita ſervari mandavit S. R. C. 26. Aprilis 1692. in Aquependien.* Nihil enim particulare habet, niſi prætenſam proſcribere conſuetudinem, tamquam quæ directe contrait Rubricis Ritualis, & facultatem Epiſcopis delegare ad cogendum, quatenus opus ſit, ad Decreti, & Ritualis obſervantiam. An autem Regulares galerum deferre queant, dummodo eodem in proceſſione caput non tegant, quæſtio alia eſt, cui negativa reſpondendum videtur juxta Decreti verba, quæ galeri *delationem* iiſdem inhibent. Verum affirmativa reſponſio nobis magis arridet, to *deferre* interpretato ad finem legis, qui eſt, ne tegumento communis vitæ, atque profano in proceſſione caput operiant; non enim Regulari habitui pileus valde dedecet, uti cotta indutis, ut etiam ejuſdem delatio vetita illis ita ſtrictim cenſeri debeat, præſertim ſi ſub caputio in proceſſione deferatur, & aliunde galerus iiſdem neceſſarius eſſe videtur pro tranſitu, & regreſſu ab Eccleſia proceſſionis ad proprium Monaſterium. Id probabilius ex eo evadit, quod ſi ad hos limites trahatur, quod ſubditur, Decretum (erit 45. cap., in ord. 127.) abſque abſurditate ulla ad concordiam revocatur. *Prohibere non poteſt Epiſcopus, ne Regulares in proceſſionibus pileum deferant. Congreg. Ep., & Reg.* 8. *Novembris* 1581. Quod adhuc, volumus, limites in proceſſionibus, quas ipſi intra proprium diſtrictum, vel extra peragunt, ut in ipſis nec liceat deferre ut ſupra pileum, bene vero & illud deferre, & cum eo caput tegere temporibus illis, quibus id juris Clero Sæculari ſuperius fecimus.

DECRETUM XLI. CAPITIS, IN ORDINE CLIII.

An Archipresbyter aſſociando cadavera ſepelienda in Eccleſia Regularium, teneatur incedere ſub illorum cruce, ſeu potius valeat propriam crucem elevare? Affirmative quoad primam, & negative quoad ſecundam partem reſpondit Sacra Congreg. Concilii 16. Martii 1726., & 29. Januarii 1735.

I. C*Lerico præferente crucem* Parochum ut ſupra indutum Rituale ad domum defuncti facit procedere, & dubio exorto, num ſub cruce Eccleſiæ tumulantis debeat incedere, an magis valeat propriam crucem elevare, Congregatio inhærens Decretis plurimis, unam tantummodo crucem in funeribus elevari poſſe cenſuit, & hanc debere eſſe Eccleſiæ tumulantis, ſub qua omnes, qui funeri interſunt, debeant incedere. Ita quidem eſt de jure communi, ſed ſi funeri interveniat Capitulum Cathedralis, hujus crux privative eſt adhibenda juxta Decretum S. R. C. 14. Maii 1664.

II. Benedictus XIV. *notif.* 17. *tom.* 4. ſcite limitationem adhibet pro locis, ubi viget conſuetudo contraria, ibi enim tot cruces elevari poterunt, quot ſunt Capitula, ſeu communitates, tametſi Capitulum Cathedralis interſit funeri, ut ſub die 10. Decembris 1708. deciſum fuiſſe refert Pittonius *in Deciſ.*

pro ſacr. viſib. num. 1305., & Baruffaldus edocet *tit.* 36. *num.* 38. Unde & S. Carolus *Act. par.* 1. *tit. de funerib.*, *& exeq.* probat his verbis pluralitatem crucum juxta numerum diverſi cleri, & quatenus alii clerici invitati ſint, ſub cruce Rectoris illos collocat: *Singularum Cathedralium, Collegiatarum, & Parochialium Eccleſiarum clericis, qui in funus venerint, una tantum ſua Eccleſiæ crux præferatur: neque aliæ in funere deferantur, niſi quas ſuus quiſque clerus ſubſequatur. Quod ſi alii quoque clerici invitati fuerint, ejus Rectoris, qui invitavit, crucem proſequantur.* Quoties vero in proceſſione crux tantummodo Eccleſiæ tumulantis adhibeatur, cetera capitula ſine propria cruce ad Eccleſiam conſuetam proceſſionaliter conveniunt, & a tumulante recedent ad propriam.

III. Clericus crucem deferens, cotta erit indutus, qua ſimiliter veſtitus erit clericus alter, quem Rituale per hæc verba, *& alio aquam benedictam*, intervenire facit cum vaſe aquæ benedictæ, cui & conſignari debet Rituale, ut dicemus infra. Thurificationis nullus uſus eſt in hac proceſſione, ſed ſolum illato corpore in Eccleſiam, & ideo Rituale non meminit thuriferarii, qui propterea, ſatis erit, intra Eccleſiam congruo accedat tempore. Super ceroferariis ſilentium quoque ſervat, & hinc fit non leve argumentum non neceſſarii interventus eorumdem, qui jam, quia ſolemnitatem denotant miſſis lugubribus minus congruam, ad evangelium intra miſſam luminaria nec deferunt. Verum cum tam in acceſſu ad altare pro miſſa, quam poſt miſſam in proceſſu ad cadaver, vel tumulum Miſſale, & Rituale aperte crucem venire faciant mediam inter ceroferarios, & idipſum præſtet, ſi non textus, ultima figura Cœremonialis Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 38., videre non eſt, cur intervenire non valeant etiam Ceroferarii ſuſtinentes candelabra cum ſuis candelis, quæ etiam in functionibus funeris clare ardere deprehenduntur, non in ſolemnitatis ſignum, uti ad Evangelium, ſed in honorem Crucifixi præeuntis.

IV. Proceſſionis autem ordo ad defuncti domum his verbis, *Parochus clerico præferente crucem, & alio aquam benedictam, ad domum defuncti una cum aliis procedit*, in Rituale exaratus, idem ipſe eſt, qui ſervari debet e domo defuncti ad Eccleſiam, & late deſcribatur infra, contenti nunc curſim dicere, quod omnium primus incedit clericus aquæ benedictæ, ſequitur cruciferarius, medius inter ceroferarios, tum laicorum Confraternitates, ſi adſint, poſtea clerus Regularis, & Sæcularis per ordinem, binique procedunt, deinde proſequitur Parochus, & poſt eum alii quicumque, qui funeri intereſſe volunt, omnes compoſiti incedentes, nihil cantantes, vel ſolum Deum deprecantes pro defuncti anima ſub ſilentio.

DECRETUM XLII. CAPIT. IN ORDINE CLIV.

Abuſus ſepeliendi defunctos privatim, ſine lumine, cruce, & Parocho, non eſt permittendus. Congr. Epiſc. & Reg. 18. Januarii 1650.

I. S*Acras cæremonias, ac ritus, quibus ex antiquiſſima traditione, & Summorum Pontificum inſtitutis Sancta Mater Eccleſia Catholica, in filiorum ſuorum exequiis uti ſolet, tamquam vera Religionis myſteria, chriſtianæque pietatis ſigna, fidelium mortuorum ſuffragia, Parochi ſummo ſtudio ſervare debent, & uſum retinere*; ait Rituale *tit. de exeq.* §. 1. Hos inter ritus jam connumerari vidimus aſſiſtentiam Parochi, & cleri, qui precibus ſuis defunctum juvant, & delationem crucis, quæ deſervit in ſignum, quod homo ille, qui in funere defertur, mortuus eſt in ſignaculo crucis. De luminibus ſuccedit dicere, de quibus Rituale §. 7. *Cum autem antiquiſſimi ritus Eccleſiaſtici ſit, cereos accenſos in exequiis, & funeribus deferre, caveant item, ne hujuſmodi ritus omittatur.* Quæ vero adhiberi debeant lumina, ſatis indicat *tit. de exeq. ord.* §. 1., dum diſtributionem mandat cereorum, qui in manibus a ſacerdotibus deferri debeant, & accenſionem intortitiorum, quibus uſus eſt feretrum circumdari, atque ſtipari. Unde & infra §. *Depoſito feretro* ſubdit *cereis accenſis circa corpus*, & §. *Finita miſſa* clerum venire facit, & ſtare in circuitu feretri *cum candelis accenſis*.

II. Primis uſque Eccleſiæ ſæculis coæva eſt delatio luminum in funeribus, unde Hieronymus ad Euſtoch. de morte Paulæ: *Cum alii Pontifices lampades, cereoſque præferrent*, & in Epitaphio Paulæ; *Sacerdotes lampades, cereoſque prætulerunt funeri*. Niſſenus in funere Macrinæ ſororis ſuæ, nec non Meletii cereos adhibitos fuiſſe ſcribit, & Pontius *in act. martyrii Sancti Cypriani* habet: *Inde cum cereis, & ſcholaribus in area cujuſdam candidi Procuratoris magno triumpho ſepultum eſt*. Refert denique Baronius *an.* 310. *nu.* 10.; quod dum venerandum corpus S. Petri Alexandrini Epiſcopi, & Martyris inclyti ad ſepulturam deferrent fideles, *habebant in manibus victrices palmas, ardenteſque cereos, thuribulaque odoribus incenſis fumantia, ſacroſque victoriæ hymnos concinebant*. Ex quibus facile & habes antiquitatem uſus thuribuli, hymnorum, & victoriæ ſignorum, quibus conſimilia ſunt, quæ & apponi in oſtenſionem dignitatis, aut doctrinæ, aliorumque ſimilium, quibus in vita defunctus condecoratus fuit, moderníor uſus obtinuit.

III. Mos luminum ſtetit Ethnicis ipſis, qui nedum in funeribus adhibuere cereos, ſed lucernis ardentibus ipſa honorarunt ſepulcra, quas inter emicat illa Olybii anno 1600. circa Ateſte Municipium Patavinum a quodam Agricola altius fodente terram adhuc ardens reperta, & perpetuo arſura, niſi foſſet retecta. Erat autem inter duas ampullas, quarum altera erat aurea, alia argentea, puriſſimo quodam liquore plenas, & in duabus urnulis fictilibus incluſas, in quarum majore hi verſus legebantur.

Plutoni ſacrum munus ne attingite fures,
Ignotum eſt vobis hoc quod in orbe latet.
Namque elementa gravi clauſit digeſta labore,
Vaſe ſub hoc modico maximus Olybius.
Adſit fœcundo cuſtos tibi copia cornu,
Ne tanti pretium depereat laticis.

IV. Cum vero ethnici ſuperſtitioſi crederent, defunctorum animas, umbras, & ſimulacra in ſepulcro cum cadaveribus verſari, ideo ardentes ejuſmodi lucernas ibidem occuluere, ne miſellæ animæ jacerent in tenebris, quas tantopere etiam vivi infantes perhorreſcunt. Hanc ad ſuperſtitionem ſubmovendam, mandavit Concilium Eliberitanum *can.* 34. cereos in cœmeteriis non eſſe accendendos, ne defunctorum ſpiritus inquietarentur, non quia putaret reapſe eoſdem propterea inquietari, ſed ad ſignificandum eis diſplicere hujuſmodi errorem; quo in ſenſu etiam Ambroſius *lib.* 2. *Ep.* 8. dixit, non debere mortificari lacrymis animam ſororis defunctæ. Quare ſi quis in ultima voluntate præſcriberet, ejus corpus ſine luminibus, aut alia ſolemnitate ab Eccleſia inſtituta eſſe tumulandum, a Rota Romana 15. Junii 1699. deciſum fuiſſe refert Benedictus XIV. *notif.* 17. *tom.* 2., talem diſpoſitionem tamquam irrationabilem una cum conſuetudine, qua alicubi innixa eſſe poſſet, rejiciendam, nec attendendam. Idipſum ſtatuit Clemens XI. 9. Decr. 1704. Conſt. *La Santità di Noſtro Signore*, per quam Sanctio uberem confirmationem accipit.

V. Iſidorus *Etymol. lib.* 20. *cap.* 10. meminit papyri cera circumdatæ, quam antiqui præferebant funeribus, ſed tam has papyros, quam cereos, aliaque lumina in funeribus nonnulli adhibita fuiſſe cenſent ad repellendas tenebras, quod noctu mos eſſet cadavera efferri, licet priſcus talis uſus, qui apud Eccleſiam adhuc eſt reliquus, tractus poſtea fuerit etiam ad funera, quæ interdiu ducuntur. Verum etſi & hæc una potuerit eſſe ex cauſis, diſcimus tamen ex S. Paulino *Carm.* 3. *in S. Felicem verſ.* 98. uſum luminum coram Sanctis Reliquiis non inſerviſſe ad fugandas tenebras, ſed magis in teſtimonium venerationis, ardebant quippe etiam de die:

Aurea nunc niveis ornantur limina velis,
Clara coronantur denſis altaria lychnis,
Lumina ceratis adolentur odora papyris,
Nocte, dieque micant; ſic nox ſplendore diei
Fulget, & ipſa dies cæleſti illuſtris honore
Plus micat innumeris lucem geminata lucernis.

VI. Luminibus itaque obſequium, & ſuffragium ineſt, atque myſterium. Obſequium, quatenus in iiſdem reverentiam, & honorem exhibemus defunctis, quorum membra fuiſſe credimus templa Spiritus Sancti. Suffragium, quia cedunt in eleemoſynam Cleri. Myſterium denique, quia Chryſoſtomo teſte *in Ep. ad hebr.* ſignificant, defunctos deduci tamquam athletas devicto ſæculo, eſſe filios lucis eorum animas vivere, & immortalitatis dono gaudere, corporaque reſurrectionem, ac fruitionem expectare lucis illius, quam iiſdem per verſum illum adprecamur; *Et lux perpetua luceat eis*.

DECRETUM XLIII. CAPITIS, IN ORDINE CLV.

Hæres defuncti pro funere ad ſuum libitum accipere poteſt quantitatem ceræ. Congreg. Ep., & Reg. 5. Maii 1617.

I. ÆQuum eſt, quod ſi lumina ſunt in obſequium, & utilitatem defuncti, hujus & impenſis, vel hæredum ejus ſubminiſtrentur. Nunc ceræ quantitas, & implicite etiam qualitas, & pondus, eorumdem hæredum arbitrio committitur; Eccleſia enim de cereorum uſu tantummodo ſolicita, non ultra oneris hæredibus imponendum eſſe duxit, ne dum ceræ cedunt in beneficium, & ſuſtentationem ſuorum miniſtrorum, ex avaritiæ æſtu id videretur agere, unde & eoſdem miniſtros voluit monitos, *ne quid avare, aut indigne in ejuſmodi cereis committerent*. Hoc autem nedum evenit, quando receptæ candelæ reponuntur inaccenſæ, & aliæ fere conſumptæ adhibentur, ut Baruffaldus explicat *tit.* 34. *num.* 72., ſed etiam quando ſuper quantitate, aut qualitate ſubminiſtratæ ceræ cum hæredibus altercantur. *Parochi*, habet Rituale cit. tit. §. 6. *aliique Sacerdotes exequiarum cauſa nihil paciſci, aut tamquam pretium exigere valent, ſed iis eleemoſynis contenti eſſe debent, quæ aut probata conſuetudine dari ſolent, aut Ordinarius conſtituerit.* In his ſi hæredes deficiant, coram tribunali Ordinarii utique conveniri poterunt, quin aliquid avare, aut indigne committant; tunc enim quod ſuum eſt, petunt Sacerdotes, & utuntur jure ſuo, qui ex *c. cum ſecundum de præbend.* ſi altari ſerviunt, etiam de altari vivere debent.

II. Quibus eleemoſynis, eo magis efficiunt digni, quod eorum oneri nedum quoad ſuam operam, ſed etiam quoad impenſas cereorum, niſi quoad has ſuppleat aliqua pia confraternitas, ſtat ſepultura pauperum, *quibus mortuis nihil, aut ita parum ſupereſt, ut propriis impenſis humari non poſſint*. Parochorum officium eſt ſepelire mortuos ſuos, & omnino turpe foret, ac ſcandaloſum, nullo ritu ſacro ad ſepulturam deduci pau-

pauperes, eo quia non habeant, unde cereos ſuppeditent, & ſolvant pro aſſociatione. Digni, in quos Ordinarii animadvertant, profecto ſunt Sacerdotes illi, qui ſecus agerent, aut in pauperibus ſepeliendis moroſi forent, ut conſuetas eleemoſynas extorquerent a filiis, ſeu uxore defuncti, hoc pacto indigne addentes afflictionem afflictis, & fere conſimiles adjudicamus eos, qui pro ſepultura eleemoſynas ſordide conquiri permittunt. Meminerint hi omnes, quod ſepelire mortuos opus eſt miſericordiæ, paſſim in ſacris litteris commendatum, ne dicam, quod reſpectu eorumdem opus eſt juſtitiæ, per quod Chriſtus in extremo judicio (*Matth.* 25.) reſpective decernet gloriam, aut pœnas, quando etiam ipſi aliis in ejuſmodi pietatis operibus prælucere non deberent.

III. His ergo præſtandis Sacerdotes ſe reddant faciles, & exemplo ſuo ceteros ad ſimilia provocent, qui in campanarum ſonu, terræ effoſſione, aliiſve muneribus ſuam debent præſtare operam, nec curioſius, quam par eſt, ſuper facultate defuncti inquirant, & in caſu dubii ſuper ejuſdem paupertate haud ipſi audeant judicium facere, quod ab iiſdem tamquam partibus omnia jura avocant. Quæ licet ita ſint reſpectu Sacerdotum, non minor tamen obligatio ineſt ſucceſſoribus defuncti, conſuetis eleemoſynis non defraudandi Sacerdotes, qui ex altari vivere debent, & nonniſi in caſu, quo mortuis nihil, aut fere nihil ſupereſt, cadavera gratis, ſuiſque impenſis ſepelire tenentur. Majore adhuc obligatione tenentur hæredes defuncti divitis, quorum arbitrio etſi commiſſa fuerit ceræ quantitas, dubium tamen non eſt, quod ea eſſe debet congrua qualitati defuncti, alias quippe cederet in contumeliam defuncti, qui ſi nihil præſcripſit, jure præſumitur congruenti pompa voluiſſe tumulari. Hinc S. Carolus *Act. par.* 1. *tit. de funer. & exeq.* Epiſcoporum juris eſſe voluit cogere hæredes impios ad comparanda neceſſaria lumina: *ſi mortuorum hæredes ita ſe impie geſſerint, ut religioſum antiquiorum inſtitutum negligentes, cruci, clericis, & funeri debita lumina adhibere nolint, ab Epiſcopo ea cogantur comparare, quæ neceſſaria videbuntur.* Advertere hic lubet nobis, quod ultra candelas, quas in manibus gerunt clerici, & intortitia, quibus funus ſtipatur, adhiberi Cruci mandantur lumina, ut hinc eruamus interventum Ceroferariorum cum ſuis candelis accenſis, & eliminemus eorum turpem uſum, qui pro cruce candelas extinguunt, & eas inaccenſas cruci alligant, aut ſibi appropriant.

IV. Ad cereorum diſtributionem nunc deſcendentes, a Rituali edocemur eam faciendam eſſe ad domum defuncti, fortaſſe ut hæredes certiores fiant de ſecta eorum diſtributione, nec habeant, unde ſuper eamdem conquerantur; quare quando cerei a Sacerdotibus ſubminiſtrantur, aut hæredes contenti ſint, nil vetat, illorum diſtributionem fieri in Eccleſia, a qua progreditur ad domum defuncti, & tunc per viam inaccenſi a clero deferrentur, & ſolum accendentur ad defuncti domum, ubi reapſe dumtaxat incipit proceſſio. *Diſtribuuntur cerei, & accenduntur intortitia*, quia hæc ad defuncti domum jam diſtributa ſupponuntur, & accenſa ſtatim deſervire debent circa feretrum, quando Parochus domum ingreditur ad peragenda ea, de quibus infra. Cerei vero mandantur clero diſtribui, non quia etiam hi ſuo tempore accendi non debeant, ſed quia cum ſtatim non debeant deſervire, non ſupponuntur præcedenter diſtributi, & commodus locus eſt eorum accenſioni, dum Parochus ſupradicta peragit. Ne autem ejuſmodi diſtributio tumultuarie, & fraudulanter fiat, aptus ejus erit modus, ſi identidem clero proceſſionaliter incedenti conſignentur reſpectiva candelæ, ſive diſtributio fiat in Eccleſia, vel ad domum defuncti.

DECRETUM XLIV. CAPITIS IN ORD. CLVI.

An Regulares poſſint cogi ad aſſocianda cadavera in eorum Eccleſiis tumulanda; an vero poſſint expectare in propriis eorum Eccleſiis? Sacra Rituum Congreg. reſpondit: *Regulares non poſſe cogi ad exeundum a propriis Eccleſiis, ad effectum aſſociandi Cadavera in eiſdem ſepelienda, ſed ſufficere, quod illa expectent ad januas.* Die 22. Jun., & 13. Jul. 1675.

I. PAſſerinus *de ſtat. hom. quæſt.* 187. *art.* 4. *num.* 189. contendit, quod Regulares, etiamſi non invitati, habent jus accedendi ad funera, cum mortuus ſepeliendus eſt in eorum Eccleſia, quia hoc ipſo quod teſtatur in Regularium Eccleſia reliquit ſuum corpus ſepeliri, præſumitur, quod etiam voluerit eoſdem proſequi funus ejus, quia præſumitur voluiſſe antecedens, qui voluit conſequens. Verum cum ex iteratis Sanctionibus ſuperius expoſitis ubertim pateat, quod hæredes defuncti cogi non poſſunt ad vocandos alios ultra Parochum, nobis lubet dicere, quod in producto caſu poſſunt quidem Regulares, etiamſi non invitati, intereſſe funeri, non tamen hæredes cogi ad eos invitandos, aut eiſdem ſubminiſtrandam conſuetam eleemoſynam, aut quantitatem cereorum, ſed quatenus intereſſe velint, quod gratis id præſtare debeant, cereiſque cadaver aſſociare.

II. Quod ſi hæredes ad funus alios ultra Parochum invitare intendunt, utique Regulares aliis præferre tenentur, unde deciſum diſcimus, & erit Decr. 45. cap. in ord. 157. *Regulares primi debent invitari, quando cadaver ſepeliendum eſt in eorum Eccleſia.* Congr. Ep., & Reg. 9. Janu. 1595. & hoc utique ſive electio fiat ab hæredibus, ſive a Parochis, etiam in excluſionem clericorum Parochiali inſervientium, quia pro Regularibus militat præſumpta defuncti voluntas.

III. Regulares vero ad intereſſendum funeri cogi non poſſe, jam declaratum fuerat ab eadem Congr. 13. Janu. 1630., ſed quoniam ejuſmodi declaratio fuit edita in favorem Somaſchorum, qui ad proceſſiones in uſu non habent accedere, credidimus ſuperius allegata eſſe producenda, quorum unum cum emanatum fuerit ad inſtantiam Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, & alterum ad petitionem Minorum de obſervantia, idipſum fore ſatis indicant, etiamſi Regulares, ad quorum Eccleſias cadaver ſepeliendum defertur, ſint ex iis, quorum inſtitutum proceſſionibus intereſt. Et quidem videre non eſt, unde depromi queat titulus, a quo Regulares cogi valeant; non ſunt quippe tales, qui juriſdictionis actum ullum per viam debeant exercere, ſed ſolum ad Eccleſiæ januam, ad quam conſequenter ſuffiſit in promptu ſint, ut cadaver excipiant, & ſuper illud exequias abſolvant.

DECRETUM XLV. CAP., IN ORDINE CLVII.

An Parochus teneatur aſſociare cadavera in Eccleſiis Regularium ſepelienda, uſque ad januas ejuſdem Eccleſiæ etiam ipſis Regularibus non aſſociantibus? Sacra Rit. Congr. reſpondit: *Parochum teneri aſſociare cadavera in Eccleſiis Regularium ſepelienda.* Die 22. Junii, & 13. Jul. 1675.

I. QUæ late allegat Urſaya *par.* 2. *dub.* 15. *num.* 20., & *dub.* 28. *a num.* 9., adeo aperte obligationem faciunt Parocho aſſociandi cadavera ad Eccleſias Regularium etiamſi ſint extra Diœceſim, ut ſuperfluum omnino ſit ulteriora addere, infra tamen adhuc nonnulla Decreta tradere reſervamus, in quibus & idipſum olim jam deciſum fuiſſe conſtat una cum rationibus, quæ præfatam obligationem ſtatuunt; quoniam vero Monacelli *in ſupplem.* in oppoſitum ſentit, momenta, quibus ducitur, credimus hic recenſenda, ut ex eorumdem ſolutione veritas magis pateat.

II. Regulares non poſſe efferre, nec ad ſuam Eccleſiam aſportare cadavera, niſi vocato, & expectato defuncti Parocho, cautum eſt a Leone X. in Concilio Lateranenſi *ſeſſ.* 11., quod tamen verum eſſe, *ſi Parochus aliter fieri non conſentiat, & permittat, vel niſi requiſitus venire expreſſe omnino recuſet*, declaravit ſacra Congreg. anno 1604. in Decreto infra referendo. Hinc igitur oritur, quod aſſociatio Parochi ſit libera, & facultativa, adeoque quod minime poſſit, neque debeat trahi ad obligationem præciſam, adeo ut etiam invitus teneatur aſſociare cadavera in Eccleſiis Regularium ſepelienda, retorquendo in odium, & gravamen, quod ſancitum fuit in Parochorum favorem. Equidem Parochorum favor eſt, quod Regulares cadavera ad ſuas Eccleſias aſportare nequeant, niſi illis vocatis, & expectatis, cum olim ex privilegiis abſque ulla Parochorum dependentia Regulares cadavera poſſent efferre; quod vero Regulares eadem aſportare ut ſupra valeant, ſi Parochus id fieri conſentiat, vel ſi requiſitus venire recuſet, non tam Parochorum, quam ipſorum Regularium favor eſt, qui Parochos, quorum eſt præciſi muneris, ab aſſociationis onere minime liberat, ſed Regulares magis eximit ab injuſta vexatione, quam iiſdem Parochi ingerere tentant, & defunctis ipſis, quatenus in aſſociandis ad Eccleſias Regularium cadaveribus ſe præbent difficiles, ut hoc injuſto medio ab electione ſepulturæ in Regularium Eccleſiis fideles abſterreant.

III. Ut itaque Congregatio injuſtam ejuſmodi evertat vexationem, facultatem quidem Regularibus præſtat in propoſitis caſibus elevandi cadavera, ſed non propterea probat a Parochis non aſſociari, aut ab aſſociationis onere eoſdem liberat. Decreta 50. 51. 52., quæ infra dabimus, una cum iis, quæ in eorumdem expoſitione dicuntur, talem eſſe Congregationis mentem, utiqua ſatis oſtendunt, & Decreta poſteriora, quæ nunc exponimus, adimunt dubitationem quamlibet, dum Parochos ad aſſocianda cadavera uſque ad Regularium Eccleſias diſerte obligant, quibus ubertim addimus reſolutionem aliam captam ſuper eodem dubio die 18. Novemb. 1707., in qua declaratum fuit: *Parochum teneri.*

IV. Addit Monacelli, atque Decreta limitat ad caſum, in quo itidem Regulares cadaver aſſociant; ſed hujuſmodi ejuſdem effugium ruit ex datis Decretis, quæ Parochum teneri ſtatuunt, tametſi petitio procedat pro caſu, in quo Regulares funeri non interſunt. Eadem denique exponit de caſu, in quo Regularium Eccleſia ſita eſt in eodem loco & in eadem Diœceſi, quia tunc Parochum Regulares adjuvant in cura, & ſalute animarum, qui eſt finis primarius conceſſionis privilegiorum. Verum Parochum non minus adjuvant Regulares in loco vicino extra Diœceſim poſiti, quatenus illius Parochiani ad eos convolant, & quando etiam ad eos non adventarent, non deſinunt adjuvare Parochum loci ubi ſiſtunt, licet non Parochum illum, qui ceteroquin non minus adjuvatur a Regularibus ſuæ Parochiæ, & per accidens eſt, quando in ſua Parochia Regulares non eſſent, cum tamen privilegia nitantur laboribus Religioſis in genere, non alicujus monaſterii in ſpecie; ea autem, de quibus agimus, in præcipuum ulterius finem habent, qui alias retardaretur, cuique conſervare omnino liberam ſepulturæ electionem.

DECRETUM XLVI. CAP. IN ORDINE CLVIII.

Nullo modo eſt tolerandus abuſus, quod mortui curru clauſi deferantur ad Eccleſiam. Congr. Ep., & Reg. 27. Martii 1650.

I. CAdavera curru clauſa, primo ad Eccleſiam ita deferri poſſunt, ut currum præcedat crux erecta, Paro-

chus & clerus proceſſionaliter, pſalmos de more præcinens uſque ad Eccleſiam, ubi a curru corpus in feretro collocatum, in Eccleſiam de more invehatur. 2. ſi ſine cruce erecta, Parocho, & clero in curru aſportetur prope Eccleſiam, & ibi e curru in feretro compoſitum, cum cruce elevata, & clero inter pſalmodiam, & preces conſueto modo in Eccleſiam deportetur. Uterque modus parum convenit cum Rituali Romano, quod Parochum cum clero facit procedere ad domum defuncti ad elevandum cadaver, quod per ea verba *Parocho præcedente feretrum cum luminibus*, jam ſupponit in feretro fuiſſe collocatum. Primi ex eo apparet enormitas, quod indecenter admodum facit Parochum, & clericos ſacris veſtibus indutos, cum cruce erecta inter pſalmodias, & preces antecedere equis currum trahentibus. Secus eſt de ſecundo, qui licet Rituali undequaque non quadret, irreverentiæ tamen, & indecentiæ nihil ſacrum exponit, & fere perinde eſt, ac ſi ibi cadaver fuiſſet depoſitum, ubi proceſſio inchoatur. Modus iſte fere redditur neceſſarius, ſeu ſaltem minus incommodus, quando cadaver e villis diſſitis pro ſepultura ad Civitatem eſt apportandum, vel e contra, licet tunc crederemus ſatius, cadaver a plauſtro, ſeu curru in aliqua Eccleſia, ſeu domo deponi, & ibi exequialem incipi proceſſionem; hoc enim per viam, & quaſi tumultuarj fierj fortaſſe eſt minus conveniens.

DECRETUM XLVII. CAP. IN ORDINE CLIX.

Epiſcopus prohibere non poteſt, ne hebdomadarius cottà, ſtolaque utatur cum funeribus, quæ deferuntur ſepelienda ad Eccleſias Regularium. Congreg. Ep., & Reg. 13. Junii 1594.

I. CUm ex Parochia (ita diſponunt Acta Eccl. Mediol. part. 2. tit. de ſuo. ducen. (*cui ſacerdos ſæcularis præſit, mortuus efficitur, ut in Parochiali Eccleſia ſepeliatur, cui Regularis ſit præfectus, vel e contra, tunc utrique Parochi ſuperpelliceo, & ſtolam induti, pares progrediantur. Reliqui vero Regulares eum locum teneant, quem in generalibus proceſſionibus tenere conſueverunt, non obſtante quavis conſuetudine, vel pactione*. Ita quidem quando Eccleſia Regularium eſt Parochialis, ita ut Parochus *a quo* incedat a dexteris, donec ingreditur limites Parochiæ *ad quam*, cujus Parochus illico ad dexteram tranſit. At quid, ſi Eccleſia Regularium Parochialis non ſit? Hebdomadarius, qui vicem Parochi Eccleſiæ tumulantis gerere debet, cottam, ſtolamque induere poſſe ſtatuitur, & funeri intereſſe. Quoties Eccleſia tumulans eſt Parochialis, hujus Parochus, etſi nullam in cadaver juriſdictionem habeat, donec intra limites ſuæ Parochiæ non eſt conſtitutum, in cotta, & ſtola intervenit funeri, non alia utique de cauſa, niſi ut in promptu ſit ad abſolvendas exequias intra Eccleſiam, quidni igitur idipſum erit de hebdomadario Regulari, qui alias vel cogeretur funeri non intereſſe, aut a proceſſione antecedenter abſcedere, vel ad Eccleſiæ fores nimis feſtinanter ſacras induere veſtes, ſeu ad nas inconvenienti ritu cadaver excipere?

II. Oppones, quod ſtola ſignum eſt juriſdictionis, quæ ſuper cadaver Regulari non competit, niſi ad Eccleſiæ fores. Verum eadem juriſdictio extra propriam Eccleſiam, ſeu jus ad cadaver in caſu Regulari convenit, quæ Parocho *ad quem* extra propriam Parochiam, cui tamen delatio ſtolæ minime contenditur. Accedit, quod Congregatio delationem ſtolæ eidem aperte declarat, quare per nullam minorem auctoritatem eidem valet auferri. De loco, quem in proceſſione tenere debet, ſuccedit quærere, & videretur ratione ſtolæ, & miniſterii, quod repræſentat, idem locus, qui Parocho *ad quem* tribuitur, illi eſſe decernendus. Quoniam etſi vices Parochi, atque figuram gerat, reapſe tamen dignitate non gaudet, & aliunde lites plurimæ facile ſuboriri poſſent, contentus idem ſit digniori loco in te Regulares, de quorum corpore exiſtit.

DECRETUM XLVIII. CAPITIS, IN ORDINE CLX.

Hebdomadarius Regularium, ad quorum Eccleſiam cadaver ſepeliendum defertur, etſi in cotta, & ſtola funeri interſit, nec domi, nec in via officium facere poteſt ut Parochus, Congreg. Ep., & Reg. 28. Oct. 1584.

I. JAm ſuperius vidimus, quod juriſdictio Parochi ſuper cadaver durat uſque ad fores Eccleſiæ Regularium, & quod in horum juriſdictionem non tranſit, niſi ad eaſdem fores. Diximus itidem, quod uti Parocho *ad quem*, ita hebdomadario Regularium non conceditur delatio ſtolæ, ut circa cadaver exerceat juriſdictionis actus aliquos, quando eſt in aliena juriſdictione, ſed ſolum ut in promptu eſſe poſſit ad eoſdem exercendos, quando cadaver intra propriæ juriſdictionis limites erit conſtitutum; hæc autem diſerte denotant, quod prædictus hebdomadarius nec in via, nec ad defuncti domum officium facere poteſt ut Parochus.

II. Quæ ad defuncti domum Parochus facere debeat, nunc ſumimus ſcribere, quam ad rem Rituale hæc verba tenet: *Parochus vero, antequam cadaver efferatur, illud aſpergit aqua benedicta: Mox dicit Antiphonam* Si iniquitates *cum pſalmo* De profundis &c., in *fine* Requiem æternam &c., *repetit totam Antiphonam* Si iniquitates &c. Ut proceſſio devenit ad domum defuncti, ſe extendit verſus Eccleſiam tumulantem per viam ut ſupra ſtatutam, crucifer cum ceroferariis, & clerico aquæ benedictæ ſiſtit ad domum defuncti, eamque ingreditur una cum Parocho, quem comitantur nonnulli de clero. Crucifer inter ceroferarios ſe collocat ad caput defuncti, Parochus aliquantiſper a retro habens clericum aquæ benedictæ, ſe conſtituit ad pedes, & illi de clero circa cadaver jam circumdatum intortitiis ardentibus, quibus ad Eccleſiam deferri debet. Clerus accendit candelas, & Parochus aſpergit cadaver aqua benedicta, mox tantum inchoata Antiphona *Si iniquitates* dicit pſalmum *De profundis*, poſt quem dicto *Requiem æternam*, repetitur Antiphona *Si iniquitates*.

III. Quod Crucifer domum defuncti una cum Parocho ingredi debeat, & ut ſupra una cum aliis ſe collocare, Rituale non meminit, id tamen eruitur ex modo, quem idem Rituale infra præſcribit ſervandum, quoties Parochus ſe conſtituit ante feretrum, preces aliquas ſuper defunctum facturus. Quatenus in proceſſione dumtaxat una crux adhibeatur, & intereſſentium funeri plurimus adſit numerus, cum non conveniat, quod omnes tumultuarie, & ſine ordine adſtent ante defuncti domum, nec quod ſine cruce extendatur proceſſio, cui Rituale ipſum per hæc verba *Prælata cruce* facit crucem antecedere, Parochus ut ſupra domum defuncti ſine crucifero, & ceroferariis ingredi poterit, & una cum aliis ſe collocare, tunc ſupplente defectum crucis cruce illa, vel crucis ſigno, quod in defuncti manibus eſſe debet. Idipſum erit in exequiis ſolemnibus, in quibus etſi plures cruces adhibeantur, ſub cruce tamen Parochi numeroſus incedit clerus; cum enim ſolum aliqui de clero domum ingredi debeant, vel tenerentur alii ſine ordine ſtare ante domum, aut ſine cruce propria proceſſionaliter incedere. Quoties itaque unius dumtaxat crucis uſus ſit, & modicus ſit intereſſentium numerus, crux ut ſupra ingredi poterit, & ita etiam erit de cruce Parochi, quæ ingreditur, quando unumquodque capitulum ſub propria cruce incedit, dummodo tamen ſub eadem cruce numeroſus clerus non debeat incedere. Et quidem alias vel opus eſſet elato cadavere expectare, quod extenderetur proceſſio, aut proceſſio jam extenſa, expectare deberet crucem, ne ſine hac cum abſurditate incederet, cum tamen Ritualis textui videatur conſonum, quod elatum cadaver ſtatim ad Eccleſiam deferri debeat.

IV. Quod vero aliqui de clero domum defuncti itidem cum Parocho ingredi debeant, & ut ſupra ſe collocare, patet ex iis, quæ in ſimilibus infra Rituale ſtatuit, nec aliter expoſcit alterna recitatio pſalmi *De profundis*, quo pacto dicendum eſſe nec dubitamus, & in defectu cleri cum clerico aquæ benedictæ. Parochus aſpergit cadaver, quot vicibus Rituale non explicat, ſed trina aſperſione in medio, a dexteris, & a ſiniſtris, non quidem circumeundo feretrum, ſed ut ſupra ſtando ad defuncti pedes, & clerico miniſtrante aſperſorium ſine oſculis, ut in ſimilibus magis dicemus infra. Aſpergitur cadaver aqua benedicta ad expellendos dæmones, ne ei illudant, aut fidelium orationes impediant, & in ſymbolum deſiderii noſtri, quo defunctorum animas cæleſti rore aſpergi optamus, unde illis purgatorii ardor mitigetur, & omnino extinguatur. Antiphona *Si iniquitates* ante pſalmum dumtaxat inchoatur a Parocho, poſt pſalmum integra dicitur una cum circumſtante clero juxta conſuetum Eccleſiæ morem, quæ in precibus extra officium ritum duplicem obſervare non aſſolet. In fine pſalmi dicitur *Requiem æternam* indubie cum *Dona ei*, non *eis*, ut infra Rituale ſe explicat, & pſalmus *De profundis* admodum apte præſcriptus eſt dici, in illo enim precamur in perſona animæ in purgatorio detentæ, quæ eſt in quodam profundo, expectans miſericordiam Dei per Redemptoris noſtri pietatem.

V. Ordo, qui in proceſſione e domo defuncti ad Eccleſiam retineri debet, noſtram modo expoſcit conſiderationem, & edocemur, quod *mox ordinatur proceſſio*, nempe ſtatim ac ventum eſt ad defuncti domum; quare ut dicebamus, non debent intereſſentes funeri ſiſtere ante eamdem domum, dum Parochus hanc ingreſſus, ſupradicta peragit, ſed debent proceſſionaliter incedere verſus Eccleſiam tumulantem per viam ut ſupra electam, interim acceptos accendentes cereos, & quando proceſſio eſt extenſa, ſiſtat, & expectabit Parochum, qui in domo defuncti peractis peragendis, proceſſionem ſtatim ſuo loco ingredietur. *Præcedunt laicorum Confraternitates, ſi adſint, tum ſequitur clerus Regularis, & Sæcularis per ordinem*, quem jam in aliis proceſſionibus ſervare ſolent, *bini que procedunt* in ſignum fraternæ charitatis, & quatenus ſint in numero diſpari, qui eſt dignior, aut ſolus incedet, vel ſe conſtituet medium inter duos poſtremos ejuſdem communitatis, nunquam vero minus dignus ſe parem faciat cum crucifero. *Devote pſalmos ut infra decantantes*, ubi to *ut infra* notatu dignum eſt, ut hinc eruatur, quod dum e domo defuncti progrediuntur, taciti eſſe debent, & ſolum cantare, quando elato cadavere, & a Parocho intonata antiphona, jam cantores inchoarunt pſalmum *Miſerere*, tunc quippe ſolum infra Rituale habet *Clero alternatim proſequente*.

VI. *Prælata cruce*, vel una dumtaxat, ſub qua omnes indiſcriminatim incedunt ſuo loco, & ordine, aut multiplici juxta communitatum intereſſentium numerum, uti ſuperius dictum fuit. Crux erit media inter ceroferarios, & ante hanc ſe conſtituet clericus aquæ benedictæ, ſufficit, ſi ſit ante crucem Parochi, quando hic propriam elevat. Prælata crux ſignum eſt Salvatoris noſtri, Eccleſiaſticas diſtinguens cohortes, atque demonſtrans, quod qui ſub ea incedunt, nomen dedere Chriſto crucifixo, & ob hoc quod ſub ejus ſignis militant. Mos præferendi crucem cum luminibus accenſis a Socrate, & Sozomeno apud Franciottum *in obſerv. circa myſteria totius anni* tribuitur Joanni Chryſoſtomo, ſed antiquiorem in Ec-

cleſia eſſe facile eruitur ex traditis per Baronium *an.* 398. *num.* 501. *lit. d.* Crux ſimpliciter præferri indicitur non cum Crucifixo, aut ejus imagine, unde contra ritum non agunt Regulares Ordines illi, alii ve, qui nudam ligneam crucem elevant. Mos iſte quodammodo conformis eſt ritui primitivæ Eccleſiæ, quæ aliquantulum Gentilium debilitati condeſcedens, ne ex aſpectu Crucifixi pendentis in cruce, quæ tunc erat reorum ignominioſum patibulum, paterentur ſcandalum, & ut facilius ad fidem ſuaviter attraherentur, in cruce non depingebant Chriſtum, ſeu magis in ejuſdem baſe figurabant manſuetum agnum, Chriſti typum, unde Paulinus *in epiſt. ad Severum olim* 12. *nunc* 32. *num.* 57.

Sub cruce ſanguinea niveo ſtat Chriſtus in agno,
Agnus ut innocuus injuſto datus hoſtia letho.

VII. *Parocho praecedente feretrum cum luminibus.* Deſignatur locus Parocho, & eſt immediate ante feretrum, ita ut inter feretrum, & Parochum nulla alia perſona Eccleſiaſtica intercedat, niſi fortaſſe, qui circa cadaver deferunt intortitia, quæ *luminum*, de quibus textus, veniunt nomine, quibuſque feretrum ſtipandum eſſe dicebamus. Num Parochus in hac proceſſione cereum accenſum tenere debeat, non modica difficultas eſſe poteſt, eo quod Rubricæ ubique tacent, & quia ſacerdos perſæpe occupari debet in quibuſdam muneribus cum delatione candelæ incompatibilibus, ut in recitatione orationum manibus junctis, incenſatione, & aſperſione defuncti. Verum cum rem in Dominica Palmarum ſuus cuique, etiam ſacerdoti, tradatur ramus, & in die Purificationis candela, nos haud dubitamus, quod etiam impræſentiarum ſacerdoti ſine oſculis candela conſignari debeat, aliiſque Miniſtris, qui non ſunt perpetuo occupati, cujuſmodi ſunt thuriferarius, crucifer, ceroferarii, & acolythus aquæ benedictæ. Ad rem ſuffragetur admodum Cærem. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 11., dum Prælatis procedentibus ad tumulum, aſſignat unum ſcutiferum, qui cereum accenſum portet, non leve utique argumentum, quod ſi Prælati, qui abſolutionem debent agere, ſuum accenſum habere debent cereum, multo magis ſacerdos in hac proceſſione, & in abſolutione ſuper feretrum poſt miſſam una cum Diacono illum deferre debet, alteri conſignandum, quando in ſuperius recenſitis muneribus ſe debent occupare.

DECRETUM XLIX. CAP. IN ORD. CLXI.

An Congregationi Sacerdotum Sæcularium ſub invocatione S. Philippi Neri in aſſociatione Confratrum Defunctorum competat præcedentia ſupra Regulares? 2. An eidem Congregationi occaſione aſſociationis eorumdem cadaverum liceat elevare propriam crucem? Ad primum, & ſecundum *affirmative* reſpondit S. R. C. 19. Aug. 1719. *in Imolen.*

I. P*Ræcedentibus laicorum Confraternitatibus, ſi adſint, tum ſequitur clerus Regularis, & Sæcularis per ordinem,* ſunt verba Ritualis, per quæ dignior locus in funeribus decernitur clero Sæculari ſuper Regularem, clero Regulari ſuper Laicorum Confraternitatibus. Ita de iis, qui cadaver debent anteire, de illis, qui debent ſubſequi. *Inde ſequuntur alii funus comitantes.* Diſpoſitionem hujuſmodi explicant ſtatuta Cleri Romani cap. 7. *Societates, quæ ad funera ſuorum Confratrum ſine ſacco accedunt, non ante feretrum, ſed poſt illud incedunt; e contra vero, quæ cum ſacco comparent, ante ipſum feretrum ſuis locis procedant, hoc eſt ante clerum Regularem, ſive ſæcularem.* Hinc ſcite Benedictus XIV. *notif.* 17. *tom.* 5. Congregationes omnes ſpirituales, quæ ſacco non utuntur, poſt feretrum ſuorum Confratrum facit incedere.

II. Hac in re diſtingui poſſe nos arbitrantes, dicimus, quod ita quidem erit, ubi in proceſſione adhibeatur una tantummodo crux, cum non conveniat, quod ſub eadem cruce incedant mulieres, viri ſæculares, & clerus, & ideo Rituale cum procedat in ſuppoſitione unius dumtaxat crucis, quæ ſola de jure communi deferri debet, ante feretrum tantummodo collocat Clerum Sæcularem, & Regularem, ac Laicorum Confraternitates incedentes in ſacco, vi cujus quodammodo recedunt a ſeipſis, quatenus ſunt Sæculares viri, & ad Clerum accedunt; ceteros vero omnes poſt feretrum rejicit. Secus pronunciamus de locis, in quibus uſus eſt plures cruces elevari; tunc enim cum jam ſæculares viri habeant propriam crucem, per quam ſeparantur e clericis, haud dubitamus, quod funeri præire queant, ut & fœminæ, dummodo ſub diſtincta cruce omnes incedant. Id locorum praxis approbat, dum in funeribus admittit ſub propria cruce interventum puellarum in Conſervatoriis degentium, uti & fœminarum alicujus Congregationis, puta doctrinæ Chriſtianæ &c., & idipſum habet de viris Sæcularibus, licet non in ſacco, ſed in proprio incedant habitu. Praxim ejuſmodi carpi non poſſe credimus, poſtquam emanavit inſtructio pro expoſitione SS. Sacramenti occaſione 40. horarum, hæc namque diſerte admittit in proceſſione etiam Confraternitatis, quæ nullo ſacco, aut peculiari habitu utuntur, eaſdemque ante clerum facit incedere, ut ſuo loco videbimus. Quod ſi propriam crucem non elevent, eorum locus non amplius eſſe poterit ante feretrum, ſed ſolum poſt feretrum, ita ut primi incedant viri bini, & poſtea fœminæ, unde idem Rituale tit. de proceſſ. §. 4. *Laici a clericis, fœminæ a viris ſeparatæ orantes proſequantur.* Pro antiquitate autem ritus ſeparandi homines a clericis, & e fœminis in functionibus ſacris, recoli poſſunt Durant. *lib.* 1. *cap.* 17. *num.* 3., *&* *cap.* 18. *num.* 2., & Macrus *verb. Cancelli.*

III. Quotquot igitur ex laicis, quicumque ii ſint, qui in proceſſione non habent propriam crucem, ſub qua incedant, poſt feretrum ut ſupra ſe debent conſtituere, & idipſum erit de Clericis Sæcularibus intereſſentibus ſine cotta, quos difforme foret conjungi cum aliis proceſſionaliter in cotta incedentibus, quando etiam ſæculari clero, qui proceſſionem integrat delatio ſuperpellicei diſerte a Rituali demandata non eſſet. De quibus omnibus Rituale habet: *Et pro defuncto Deum rite deprecantes ſub ſilentio.* Baruffaldus *tit.* 36. *num.* 94. ita textum explicat, ut orare Deum quidem debeant, ſed in corde tantum, ſed magis appoſite illum exponit Benedictus XIV. *loc. cit.* dum iiſdem orationes non contendit humili voce fuſas, non alia quippe de cauſa Rituale illis preces ſub ſilentio injungit, niſi ne alternatim canant cum præeuntibus feretrum, aut ne horum regularem cantum perturbent. Simile ſilentium Laicorum Confraternitatibus, aut Congregationibus, quæ feretrum præeunt, haud nos eadem de cauſa formidamus imponere; etſi enim de præcedentibus feretrum Rituale habeat, *Devote pſalmos ut infra decantantes*, *to decantantes* dumtaxat cadere ſuper Clerum Sæcularem, & Regularem, nemo inficiabitur, qui vel a longe grammaticam ſalutaverit. En Ritualis textum: *Præcedentibus laicorum Confraternitatibus, ſi adſint, tum ſequitur Clerus Regularis, & Sæcularis, per ordinem, devote pſalmos ut infra decantantes.* Quæ ſi dubium apud omnes apta non ſunt removere, indubie illud aufert to *ut infra*, cui correſpondet Rituale, ubi de pſalmis infra agit per ea verba *Clero alternatim proſequente*, cujus nomine ſæculares venire poſſe quis unquam affirmaret?

IV. Ex dictis uber habetur expoſitio Decreti. Anno 1663. prædicta Congregatio ſacerdotum ſæcularium Imolæ inſtituta fuit, & anno 1669. ab Ordinario approbata, & ejuſdem munus erat in certe Congregationes ſpirituales agere, feſtum Sancti Protectoris celebrare, & officia, & miſſas gratis dicere in ſuffragium Confratrum defunctorum, quorum corpora cum ad ſepulturam aſſociare cuperent, ortæ ſunt controverſiæ ſuper jure elevandi propriam crucem, & præcedendi. Cum Imolæ conſuetudo vigeat in funeribus elevandi plures cruces juxta numerum Congregationem intereſſentium, merito iiſdem declaratum extitit jus elevandi propriam crucem, & præcedendi Regulares, qui quidem a Rituali donantur præferentia ſuper *laicorum* Confraternitates, non tamen *Sacerdotum Sæcularium*, cujuſmodi erat prædicta Congregatio. Quibus ut gaudeant juribus, haud dubitaverim, quod funeri in cotta intereſſe debeant, cum talis ſit habitus, qui clero ſæculari in proceſſione a Rituali præſcribitur.

DECRETUM L. CAP. IN ORDINE CLXII.

Non licet Regularibus levare, & efferre defunctorum corpora, niſi vocato, & expectato defuncti Parocho, eoque ibi intereſſente, ſi tamen ipſe aliter fieri non conſentiat, vel niſi requiſitus venire recuſet. Congreg. Ep., & Reg. 12. Jan. 1604.

I. F*Unaris Dominus exiſtit Parochus hujuſque juriſdictioni ſubjacet cadaver, licet in Eccleſia Regularium tumulandum, donec ante fores Eccleſiæ eorumdem non eſt conſtitutum,* unde jus Parochi invaderent Regulares illi, qui Parocho non vocato, aut non expectato, levare, aut efferre auderent defunctorum corpora, quæ in propriis Eccleſiis ſunt ſepelienda. Limite, *ſi ipſe aliter fieri conſentiat*, quia tunc cedit juri ſuo, *vel ſi requiſitus venire recuſet*; cum enim Regulares jus habeant in eorum corpora, qui in Eccleſiis eorumdem ſepulturam elegerunt, ſi levare non poſſent cadavera, quando Parochus venire recuſat, poſſet Parochus eos tali jure privare, & pro ſuo libito defuncti voluntatem fruſtrare.

II. Ulteriora recole in ſequenti Decreto, dum nos ad Rituale progredimur, a quo edocemur, quod peractis a Parocho iis, quæ in defuncti domo peragenda eſſe diximus, *deinde effertur cadaver.* Quamvis deferre mortuos ad ſepulturam ſit officium pietatis, & opus miſericordiæ, attamen clericis Rituale inhibet deferre laici corpus, quolibet generis, aut dignitatis titulo præditus iſte fuerit. *Laici cadaver, quolibet generis, aut dignitatis titulo præditus ille fuerit, clerici ne deferant, ſed laici;* eſt enim ſimul actus ſervitutis, quam a clerico laicis præſtari minus decens eſt. Cum vero ſervitutem hanc clericis a laicis exhiberi minime dedeceat, idcirco Rituale abſtinuit a ferenda lege, ne laici deferant clericorum corpora, quinimmo viſi laudabile admodum foret, quod clericorum cadavera efferentur a perſonis ejuſdem ordinis, & qualitatis, cujus erat defunctus, ſcilicet ſacerdotum a ſacerdotibus, & clericorum a clericis, adhuc quia tale onus grave fortaſſe eſſe poterat clericis laborioſis operibus non aſſuetis, ab hac item lege abſtinendum eſſe rite duxit. Non deſunt tamen pleræque Synodi, quæ id oneris reſpectivis imponunt clericis, quod apud Regulares Ordines valde laudabiliter obſervatur. Ubi ejuſmodi conſuetudo non viget, laudarem ſaltem e clericis ejuſdem Ordinis, & qualitatis, ſi adſint, clericorum cadavera elevari, & per aliquot paſſus e domo deduci, ut inde appareat fraternæ charitatis exemplum; & adhuc probarem magis, ſi inveheretur eorum uſus, apud quos a portitoribus conſuetis ad Eccleſiam quidem clericorum cadavera deferuntur, ſed reſpectivi ordinis clerici feretro inceſſanter manum admoveant. Quod ſi deſint clerici ejuſdem ordinis, aut qualitatis, id muneris præſtabunt alii clerici inferioris, vel ſuperioris ordinis, nunquam vero ſacerdos id officii geret clericis infe-

inferioris ordinis. Diximus *& ejuſdem qualitatis*, & indicare voluimus, quod ſi v. g. defunctus eſt Canonicus, vel Parochus, id pietatis officium præſtari reſpective convenit ab aliis Canonicis, vel Parochis, & quatenus hi haberi non poſſint, ſupplebunt illi, qui in dignitate propioquiores erunt defuncto.

III. Cadavera fœminarum alicubi deferunt fœminæ, & præcipue puellarum a puellis, ſed fortaſſe plurimis de cauſis minus decet, quæ cum non militent relate ad Moniales, hæ conſororum corpora rite deferre poterunt uſque ad januas Monaſterii, in quod jam viris non ita facile ingreſſus permittitur. Verum ubi *ejuſmodi* viget uſus, tolerari poterit relate ad cadavera puellarum, aut etiam infantium marium in ſignum integritatis carnis, & virginitatis, ſicut hac de cauſa iiſdem imponi Rituale permittit coronam de floribus, ſeu de herbis aromaticis, & odoriferis. Quod dictum volo, ſi cadavera hujuſmodi deferantur a puellis, quæ in Conſervatoriis aſſervantur, aut quæ velatæ incedunt, ſecus ſi ab iis, quæ cum ſæculari modo procedant indutæ, magis aptæ ſunt ſpirare laſciviam.

DECRETUM LI. CAPITIS, IN ORDINE CLXIII.

Si Regulares a Parocho, vel clero nimium tardantibus vilipendio afficerentur, Ordinarius debet præſcribere terminum competentem expectandi poſt perventionem, & requiſitionem, quo elapſo levare poſſint funus auctoritate propria. Congreg. Ep., & Reg. 8. Oct. 1585.

I. SAnctio præcedens facultatem elevandi cadavera Regularibus elargitur, quoties Parochus requiſitus venire recuſat, ſed inſimul iidem Regularibus non declarat licitum levare funus, niſi Parocho vocato, expectato, & intereſſente, modo ad ſubmovendum periculum vilipendii, quo iidem Regulares affici poſſunt a Parocho vel clero nimium tardantibus, ad Epiſcopos ſpectare decernitur, præſcribere terminum competentem poſt perventionem memoratorum Regularium, & perquiſitionem factam Parocho, ita ut eo elapſo levare poſſint funus propria auctoritate, licet non intereſſente, vel invito Parocho. Rem clarius explicat Bulla *Pretioſus* 7. Kalen. Junii 1727., in qua Benedictus XIII. tempus competens, & diſcretum expectandi Parochum, nunquam *unam horam excedere* poſſe ſtatuit *poſt tempus ſtatutum a Parocho pro delatione cadaveris*, alias *invito etiam Parocho* poſſe Fratres cadaver *levare*, & ad ſuam Eccleſiam tumulandum, *recto quidem tramite, & via per eos eligenda*, deferre poſſe, & debere. Hæc quidem Bulla a Clemente XII. ad terminos juris communis reducta fuit, ſed ab eadem habent Ordinarii, quomodo ſe gerere poſſint, & debeant in præſcribendo competenti expectandi tempore, quod ſi aſſignare neglexerint, haud dubitaverim, quod conſtituta regula, qua nulla fortaſſe honeſtior, licite, & libere nihilominus uti valeant.

II. Celebris eſt Bulla Pii V. *Ad hoc nos Deus*, quæ Regularibus facit licitum corpora Defunctorum, quæ in eorumdem Eccleſiis tumulari debent, ex ipſorum domibus levare *etiam ſine Curatorum interventu*. Nunc vide, quæ ſtatuit Gregorius XIII. apud Confectium, nempe quod *Regulares Cruce ſui Ordinis elevata, ad domum defunctorum, qui in ſuis Eccleſiis ſepeliri debent, accedere, & illa exinde auferre, ac ad ipſorum Eccleſias, alicujus Rectoris, ſeu Capituli præſentia, vel interventu minime expectatis, ex ipſorum defunctorum domibus levare, accipere, & aſſociare, atque ad ipſorum Fratrum Eccleſias directe deferri, & in illis ſepelire facere valeant*. Inſiſtunt plurimi, jura hujuſmodi nunquam ablata fuiſſe, ſed nos contenti ſumus aſſerere, quod licitum, & liberum erit Regularibus, præfatorum defunctorum corpora levare, & ad ſuas Eccleſias ſepelienda deferre, quoties Parochus requiſitus, venire renuerit, aut poſt horam ut ſupra tardaret. Quoniam autem conceſſo fine conceſſa cenſentur omnia præparatoria, & neceſſaria ad finem conſequendum *cap. prudentiam, & cap. præterea, de offic. deleg.*, in prædicto caſu licitum erit Regularibus cum cruce erecta, ſtola, & aqua benedicta ſe conferre ad defuncti domum, omniaque ibi, & per viam agere, quæ a Parocho, & clero per Rituale fieri mandantur. Quæ limitari fortaſſe valent, ſi mora non ex vilipendio, ſed aliqua rationabili de cauſa quandoque eveniat. Ex dictis autem expoſitum ſimul maneat Decretum aliud, & ſit 52. cap., in ord. 164. *Vocato Parocho, & ipſo renuente intervenire, vel alterum mittere, tunc Regularibus licet abſque Parocho deferre cadavera in eorum Eccleſiis ſepelienda*. S. R. C. 22. Jun. 1675.

DECRETUM LIII. CAP., IN ORDINE CLXIV.

Dum Defunctorum cadavera in Eccleſiis Regularium ſepeliuntur, tenetur Parochus funerale ducere, & comitari uſque ad eaſdem Eccleſias Regularium. Congreg. Concil. 28. Junii 1591.

I. REtardari fideles facile poſſent ab electione ſepulturæ in Eccleſiis Regularium, quando eorumdem funera liberum foret Parochis ſua præſentia privare, & cum mortuos ad ſepulturam aſſociare inter opera miſericordiæ recenſeatur, quæ præ ceteris maxime elucere debent in Parochis; idcirco rite haud Congregatio voluit, quod Parochis integrum foret ſuæ præſentiæ honore deſtituere defunctos illos, qui per hoc quod in aliena Eccleſia ſepulturam elegerint, non deſinunt eſſe ſui juris uſque ad Eccleſiam Regularem, & uſi non ſunt, niſi jure ſuo, quod canonicæ ſanctiones omnes iiſdem faciunt.

II. Quoniam autem ſuperius diximus, quæ in domo defuncti Parochus agere debet, nunc æquum eſt perſcrutemur, quæ per viam uſque ad Eccleſiæ fores a Rituali fieri præſcribuntur. *Parochuſque de domo procedens, ſtatim gravi voce intonet Antiphonam*, Exultabunt Domino; *& cantores inchoant pſalmum* Miſerere *clero alternatim proſequente*. Dictio *ſtatim* dilationem nullam admittit, & regulariter intelligitur ſine temporis intervallo; haud tamen dubitarem congrua de cauſa, ut ad evitandum luctum, & clamorem uxoris, vel filiorum, poſt aliquot a domo paſſus a Parocho intonari poſſe prædictam antiphonam, quæ dumtaxat inchoatur eadem de cauſa, quam ſuperius diximus de antiphona *Si iniquitates*. Hymnos, & pſalmos in funeribus ab Eccleſiæ uſque incunabulis decantari ſolitos, diſcimus ex SS. Patribus fere omnibus, ex quibus contenti ſumus dumtaxat allegare Hieron. *in epitaph. Paulæ*, Niſſenum *epiſt. ad Olymp.*, Nazianz. *orat.* 2. & 10. *in Julian. & in laudem Cæſaris*, Chryſoſtom. *hom.* 20. *ad popul. Antioch.*, Gregorium Turon. *lib.* 4. *hiſt. Franc. cap.* 5., Cyprian. *ſerm. de mortr*, Auguſtinum *lib.* 9. *confeſs. cap.* 12., Baſilium *orat. in Julianam &c.* Ad rem lubet tranſcribere, quod habet Victor lib. 5. de perſecut. Wand. cap. 1. *Quis vero ſuſtineat, aut poſſit ſine lacrymis recordari, dum præciperet* (Genſericos) *noſtrorum corpora defunctorum ſine ſolemnitate hymnorum cum ſilentio ad ſepulturam perduci?*

III. *At ſi longitudo itineris poſtulaverit, dicantur pſalmi graduales*, Ad Dominum cum tribularer, *vel alii pſalmi ex officio mortuorum*. Pſalmus *miſerere*, tamquam omnium aptiſſimus, abſolute indicitur, adeoque ſemper dicendus erit; an autem ſemper integre, non crederem, ſi antequam ſit abſolutus, perveniatur ad Eccleſiam, ad cujus ingreſſum rubrica cantari præcipit reſponſorium *Subvenite*. Quod ſi ob itineris longitudinem ſufficiens non ſit pſalmus *Miſerere*, in ſubſidium rubrica vocat pſalmos graduales, in quibus cum præcinatur calamitas captivitatis Babylonicæ, & lætitia liberationis, quadrant optime animabus purgatorii, quæ exilii ærumnas deflent, & ad patriæ requiem ſuſpirant. Qui tamen pſalmi non ita aſſignati ſunt, ut per disjunctivam *vel* rubrica non faciat liberum alios pſalmos ex officio mortuorum dicere, *vel alii pſalmi ex officio mortuorum*, quorum aptitudo ex eo ubertim conſtat, quod accomodi cenſiti ſunt induci in defunctorum officio.

IV. *Ex officio mortuorum*, ergo non determinate alii pſalmi laudum, ſed quicumque ex eodem officio pro libito aſſumi poterunt. Verum attento Eccleſiæ more, quæ numquam eumdem pſalmum in eadem functione reperit, quantumcumque ſit longum iter, cavendum eſt a repetitione ejuſdem pſalmi; & hæc eſt cauſa, ob quam in ſubſidium advocavit nedum pſalmus graduales, ſed quoſcumque alios ex defunctorum officio, ne ſi forte longum fuerit iter, ejuſdem pſalmi repetitio quandoque neceſſaria foret. Quæ ut a rubrica ipſa ſtatuta fuiſſe dicas, volumus, ponderes to *Alii pſalmi*, per quæ utique verba excluditur pſalmus *Miſerere*, cujus repetitio fieret, ſi diceretur iterum.

V. Dicas, quod ſi res ita foret, nec pſalmus *Miſerere*, aliique de officio defunctorum dici deberent, quoniam alias repeterentur in mortuorum officio, quod perſæpe exequiis interſeritur. Verum obvia eſt reſponſio, videlicet defunctorum officium eſſe officium diſtinctum ab exequiis, quæ propterea integræ perſtant, etſi his illud non interſeratur, ſeu, ſi ita mavis dicere, exequiæ conſtant tribus partibus, videlicet officio, miſſa, & precibus exequialibus; nihil autem inhibet in diverſo officio, ſeu in diverſis partibus ejuſdem officii eumdem pſalmum repeti, ut ſæpe fit in diverſis horis officii canonici, unde in officio feriali, ne in iiſdem laudibus repetatur pſalmus *Miſerere*, inter preces quidem abſtinetur a dicto pſalmo, & ſubſtituitur pſalmus *De profundis*, ſed non propterea Eccleſia abſtinet a pſalmo *Miſerere* in veſperarum precibus, etſi dictus fuerit ad laudes.

VI. Inter exequiales preces adhuc lubet diſtinguere, & earumdem duas partes facere, unam illarum, quæ dicuntur per viam, alteram earum, quæ ſupra corpus intra Eccleſiam recitantur, ita ut inter preces viæ nulla repetitio fieri valeat, quin neceſſe ſit inter preces ſupra corpus abſtinere a pſalmis, vel canticis, quæ per viam dicta fuerunt; unde haud inficiamur, per viam dici poſſe canticum *Benedictus*, utpote ex defunctorum officio, tametſi intra Eccleſiam ſupra corpus debeat repeti. Ducimur ad hoc aſſerendum ex exequiis parvulorum, in quibus, ſi tempus ſupereſt, per viam dici mandatur pſalmus. *Laudate Dominum de cælis*, quamvis intra Eccleſiam ſupra corpus dici debeat. Quia tamen in his exequiis ſolum præſcribitur cum clauſula *ſi tempus ſupereſt*, crederem abſtinere, ſi fieri poteſt, etiam ab hac repetitione conſultius eſſe; unde cum in exequiis adultorum, in quibus per viam pſalmi plurimi ſunt aſſignati, commode devitari queat repetitio, laudabile foret per viam abſtinere a cantico *Benedictus*, quod intra Eccleſiam dici debet. Quam abſtinentiam nonnemo fortaſſe credet a rubrica ipſa indictam ex eo, quod ipſa pro *pſalmis*, non pro *canticis* libertatem facit, licet nos ponderationi huic non inſiſtendum putemus, qui *pſalmorum* nomine in præfata rubrica etiam canticum *Ego dixi*, quod ad rem eſt valde accomodum venire poſſe non inficiamur.

VII. Pſalmorum autem nomine, qui de officio defunctorum a rubrica ſubſtituuntur, & ſubſtituuntur ſine ulla exceptione, venire indubie credimus etiam pſalmum *De profundis*, licet

ſupra corpus in defuncti domo dictus fuerit, & adhuc dici debeat in exequiarum fine pro ſuffragio defunctorum omnium; preces enim, quæ dicuntur in defuncti domo, & in receſſu, ſunt extra exequias, ſeu harum acceſſoria quædam, & ab antiphona *exultabunt*, quæ in cantu incipitur, exequiæ inchoari cenſentur, atque finiri in verſu *Anima ejus &c.* poſt quem cantus deſinit, unde procul eſt repetitio, tametſi per viam dicatur pſalmus *De profundis*. Quod ſi quis etiam ab hac repetitione per viam abſtinere optat, commodum habet ſpatium pſalmorum aliorum a rubrica aſſignatorum.

VIII. Ceterum per viam pſalmum *De profundis* dici poſſe, nedum ex eo conſtat, quod *alii pſalmi ex officio defunctorum*, inter quos & ipſe enumeratur, ſunt a rubrica indicti, ſed etiam qui in ſubſidium non minus vocantur pſalmi graduales, cum tamen inter illos etiam idem pſalmus *De profundis* recenſeatur. Quæ ponderetur, digna eſt dictio *vel* quæ cum disjunctiva ſit, deſignat nobis, quod poſt pſalmum *Miſerere* integrum eſt quidem vel pſalmos graduales, aut alios de officio mortuorum dicere, ſed quod ex iiſdem promiſcua deſumi nequeunt, ita ut qui pſalmos graduales incipit, eos debeat proſequi, ſicuti & pſalmos officii defunctorum continuare, qui eoſdem incepit, nec licitum ſit ea utriſque pro libito recitare; hujuſmodi enim recitatio admodum difformis eſt, eludit myſteria, & repetitioni pſalmorum eſt obnoxia, cum inter pſalmos graduales adſint plurimi, qui & efformant defunctorum veſperas. Nonniſi itaque terminatis (quod via poſſibile eſt evenire) puta pſalmis gradualibus pertranſiri debet, ſi tempus ſupereſt, ad pſalmos officii mortuorum, vel e contra, & in hujuſmodi caſu caveri debebit a repetitione pſalmorum, qui jam dicti fuerunt. Etſi vero ad præſentiam corporis a precibus officii defunctorum rejiciatur pſalmus *Lauda*, non propterea putamus rejici a pſalmis viæ, cum & ipſe conſtet officium defunctorum, cujus pſalmi omnes indiſtinctim ſubſtituti ſunt.

IX. *Et in fine cujuſque pſalmi dicitur* Requiem æternam dona ei Domine. *In fine cujuſque pſalmi*, adeoque etiam in fine eorum pſalmorum gradualium, quibus in clauſulam a Breviario Romano aſſignatur *Gloria Patri*, cum in hoc caſu dicantur in defunctorum ſuffragium. Quatenus vero dicatur pſalmus *Laudate Dominum de cœlis*, debet dici conjunctim cum duobus pſalmis ſequentibus cum uno dumtaxat *Requiem* in fine, quia ſic habetur in officio defunctorum, ex quo mandatur deſumi. Singulare id habent exequiæ, ut in pſalmorum fine dicatur *Dona ei* adaptando verſum iſtum perſonæ, pro qua dicitur, ubi in officio defunctorum ſemper dicitur *Dona eis*, etiamſi pro uno dumtaxat recitetur, ut aperte Rituale notat *tit. de offic. defunct.*; preces enim exequiales ſunt preces ultimæ ab Eccleſia dici inſtitutæ in die, in qua juxta leges chriſtianæ pietatis particulari defuncto pro ſemper dimittendo exhiberi debent ſubſidia in favorem animæ, & ſigna honoris circa corpus, quare ſicuti pia mater Eccleſia pro ea die relaxat legem ſuam ſuper non dicendis miſſis de requiem in duplicibus, & diebus feſtivis, & via aliqua ſolemniora feſta ſolum excipit, ita apte eamdem honorat relaxatione moris precandi pro cunctis in pſalmorum fine. Officium autem, & miſſa defunctorum cum indifferenter & pro uno, & pro pluribus, & in circumſtantiis quibuſcis ſint dici inſtituta, pluralis numerus, in quo etiam ſingularis comprehenditur, merito adhibitus extitit, ſemperque retineri ſtatutus, tametſi pro uno dicantur, aut intra exequias introducantur, ne cogeretur clerus ad plures mutationes advertere.

X. *Qui pſalmi devote, diſtincte, gravique voce recitari debent uſque ad Eccleſiam.* Quid unquam æquius, quam quod iidem pſalmi *devote, & diſtincte* recitentur? Quid autem ſignet to *gravique* voce, Baruffaldus excludi cenſet cantum quemlibet, etiam Gregorianum, & ſecundi toni, quia licet hic ſit gravis, & flebilis, uniſonam tamen vocem non habet, nec ſemper gravem, quare eoſdem pſalmos laudat dici ſimpliciter, & nullo modo decantari. Verum cum Rituale §. *Conſtitutis* habet de clericis funeri intereſſentibus, *Devote pſalmos ut infra decantantes*, & ultra reſponſoria in cantu Gregoriano exarata, canticum *Benedictus* in ſecundo tono cantandum aſſignet, non putarem cantum Gregorianum ſecundi toni omnino interdici. In oppoſitum tamen non leve militat argumentum, quia antiphonam *exultabunt* non aſſignat in notis, uti præſtat de antiphona *ego ſum* pro cantico *Benedictus*; quare arbitrarer ego præfatos pſalmos ſatius dici voce quadam, quæ de cantu quaſi ſapiat, ſed de cantu flebili, qui ad pietatem erga defuncti animam fideles aptus ſit excitare, & luctui congruat, in cujus occaſione agitur. Cui cantui cum proximus ſit ſecundus tonus, hic etiam tolerari poterit, quolibet alio excluſo, & præſertim qui dulcedinem quamdam ſapiat, vel hilaritatem.

XI. *Ad ingreſſum Eccleſiæ repetitur antiphona* exultabunt Domino, & quidem integra, uti ſemper ſit in pſalmorum fine, licet ante tantum inchoata fuerit, & reapſe integram Rituale ipſum eamdem exarat. Repetenda autem non eſt ſtatim terminato pſalmo *miſerere*, ſed poſt pſalmos omnes, qui in via dicti fuerunt, & quatenus pſalmus aliquis integre non fuerit abſolutus, ut ſuperius diximus, omiſſo, quod reliquum eſt de pſalmo, cantari debet antiphona *exultabunt*, quam *ad ingreſſum Eccleſiæ* repetendam eſſe, aperte Rituale mandat. An autem hoc in caſu pſalmus nihilominus cum verſu *Requiem æternam* concludi debeat, ego non ambigo, quia ex Rubricæ præſcripto *in fine cujuſque pſalmi* dici debet. Ceterum dum antiphona prædicta *ad ingreſſum Eccleſiæ* repetenda indicitur, ita debet accipi, ut repetenda ſit, non quando primi de clero Eccleſiam intrant, ſed quando ultimi, ſeu Parochus, alias quippe præcipue in Eccleſiis, in quibus numeroſus clerus intereſt, per aliquod temporis ſpatium inter exequias ipſas deferretur cadaver pſalmis, & precibus. Ad rem apprime conferunt, quæ ſequuntur, verba *Deinde Eccleſiam ingreſſi; cantant reſponſorium*; hæc enim afficiunt clerum omnem, a quo alternatim reſponſorium cantari debet, ac conſequenter hic totus intra Eccleſiam eſſe debet, antequam pſalmodia deſinat, & cantari incipiat reſponſorium *ſubvenite*.

XII. Secus eſt de funere, quod ducitur ad Eccleſias Regulares, ad quarum fores cum ceſſet juriſdictio Parochi, nec hic eaſdem Eccleſias cum ſtola intrare valeat, ad eaſdem fores una cum ſuo clero repetet antiphonam, & ſtatim abſcedet, ut infra dicemus magis.

DECRETUM LIV. CAP. IN ORDINE CLXVI.

Sicut non licet Parocho, depoſito feretro ante limina Eccleſiæ Regularium, conſuetas recitare preces ſupra cadaver, ita non poterunt Regulares (etiam rogati a parentibus defuncti, vel a quolibet alio) antequam vere, & realiter ſit cadaver intra limites propriæ juriſdictionis, ſuper illud abſolvere, depoſito feretro in vico; qui actus ad ſummum unice ſpectaret ad Parochum. S. R. C. 2. Sept. 1741.

I. SUa ſuis præſent Sanctio definit. Regulares territorium non habent, ſed eorumdem juriſdictio coercita manet intra religioſum reſtrictum, nec pertranſit propriæ Eccleſiæ fores, ad quas uſque durare vidimus ſupra cadaver juriſdictionem Parochi, ibique deſinere, & eam Regularium incipere; quare nec Regulares, nec Parochus tales ſunt, ut illi per viam, & in vico, & hic ad Eccleſiæ fores juriſdictionis actum aliquem exercere valeant, & quatenus exercendus eſſet, ab eo exerceri deberet, in cujus juriſdictionis limitibus cadaver eſſet conſtitutum. Id proculdubio indicant verba illa *Qui actus ad ſummum unice ſpectaret ad Parochum*; per ea enim Congregatio non approbat a Parocho abſolutionem fieri ſuper cadaver in vico depoſitum, ſed ſolum a Parocho faciendam illam eſſe, quoties fieri deberet, aut poſſet, & conſequenter etiam a Regularibus agendas eſſe conſuetas preces ſuper cadaver ad Eccleſiæ januam, & non a Parocho, quando haberi deberent.

II. Exequiales preces juxta Rituale intra Eccleſiam abſolvendæ ſunt, & per Regulares de facto fient depoſito feretro in medio Eccleſiæ, & novus omnimode foret ritus Rituali incognitus eaſdem ſuper idem Cadaver duplicari, aut abſolutionem aliquam in vico, aut per viam fieri, unde nec conſuetæ exequiales preces, nec abſolutio aliqua fieri poterunt in vico, aut ad Eccleſiæ januam ſive a Parocho, vel a Regularibus, ſed conſuetis dumtaxat precibus per Rituale præſcriptis corpus ad Eccleſiam deferendum erit, & intra Eccleſiam precibus reliquis ad ſepulturam aſportandum. Irregularem hunc ritum, qui aliqualiter Bononiæ irrepſerat, dum cadaveri e villa ad Civitatem pro ſepultura exportato, ad civitatis portam obvius fiebat Parochus, intra cujus Parochiæ limites porta ſita erat, & ſuper illud recitabat preces aliquas, vix agnovit, quod illico admodum provide proſcripſit Benedictus XIV. *notif.* 17. *tom.* 5., iſte haud paſſus, quod in Bononienſi Eccleſia, quam ipſe tunc tamquam Archiepiſcopus regebat, nondum ad ſummi Pontificatus apicem evectus, ſacri, & myſterioſi Eccleſiæ ritus multa cum maturitate elaborati, novis interturbarentur ritibus. Hinc autem quiſquis facile percipit, quod quid ſimile eveniret, ſi ut ſupra a Parocho, aut a Regularibus attentaretur.

DECRETUM LV. CAPIT. IN ORDINE CLXVII.

Parochis in aſſociatione, ſive occaſione aſſociationis cadaverum non licet ingredi Eccleſias Regularium, ſed tenentur dimittere eadem cadavera ad januam Eccleſiarum, ibique ſolum poſſunt benedicere, & dare ultimum vale. Officia vero, & alia munia, quæ in ejuſmodi miniſteriis adhiberi ſolent, ab ipſis Regularibus peragi debent, non autem a Parochis. Atque ita in præmiſſis omnino deinceps fieri, & exequi præſentium vigore mandat, & præcipit, contrariis quibuſcumque non obſtantibus, Sacra Congreg. Ep. & Reg. 27. Novem. 1671., accedente ampliſſima approbatione & confirmatione Clem. X. Conſtit. *Nuper* 18. Janu. 1672.

I. ANtequam ad ulteriora progrediamur, arripimus verba illa: *Ibique ſolum poſſunt benedicere, & dare ultimum vale.* Benedictio illa ſita non eſt in exequialibus precibus a Parocho ad Eccleſiæ januam perſolvendis, a quibus abſtinere debere jam vidimus in præcedenti Decreto, ſed in efformando manu ſuper cadaver crucis ſigno, aut etiam in aſpergendo illud aqua benedicta, ut de hac aſperſione infra dicemus magis in particulari Decreto.

II. Propemodum autem infinita prodiere Congregationum Decreta, & Apoſtolicæ Deciſiones a Bernardino Manarura *in ſua Apodixi*, & a Joanne Chryſoſtomo Philippino *de privil. ignorantiæ*, aliiſque plurimis late collectæ, in quibus diſtricte vetatur Parochis ingreſſus in Eccleſias Regularium cum ſtola, & cruce erecta in occaſione funerum. Eo vergunt omnes, quod ſtolæ delatio, & crux erecta ſunt juriſdictionis, &

præeminentiæ indicium, quarum nullam aptæ ſunt ſuſtinere Regularium Eccleſiæ, quæ exemptionis omnimodæ privilegio gaudent, Sedi Apoſtolicæ ſunt immediate ſubjectæ, & reguntur per proprios Prælatos Epiſcopalem quaſi juriſdictionem habentes. Anno 1727. prodiit Conſtitutio *Pretioſus*, in qua Benedictus XIII. prædictum ingreſſum iiſdem concedit Parochis, & ſimul declarat, & quatenus opus ſit, decernit, Crucis erectionem, ſtolæ delationem, & ingreſſum in Eccleſias in memorato caſu, aliiſque ſimilibus nullam penitus importare juriſdictionem, aut minimum in aliquo præjudicium cuicumque irrogare.

III. Verum cum Conſtitutioni hujuſmodi a Clemente XII. derogatum fuerit, & quidquid in ea comprehenditur, redactum ad terminos juris communis, perinde ac ſi dicta Conſtitutio emanata minime fuiſſet, memorata Decreta pleno ſuo robori ſunt integre reſtituta, ex quibus unum dumtaxat contenti fuimus producere, ne Decretorum copia Lectorem incaſſum obrueremus. Ad rem opportune admodum ſe offert nobis præcedens Decretum, quod cum ſit prædicta Conſtitutione poſterius, & in ſuo vero ſenſu ad januam Eccleſiæ Regularium Parochum faciat ſiſtere, affabre deſignat nobis, quod Sacræ Congregationi eadem ſtat mens, poſt memoratam Conſtitutionem, quæ ante Conſtitutionem eidem ſteterat. Decretum 19. Capitis data quidem anterius, ſed confirmatione poſterius ad eandem Conſtitutionem, ad Regularium Eccleſiarum januas Parochorum juriſdictionem deſinere, & eam Regularium incipere declarat; licitum non erit itaque Parochis Regularium Eccleſias pervadere cum ſtola, & cruce erecta, quæ ſunt juriſdictionis ſigna, ſed tenebuntur cadaver dimittere, & conſignare Regularibus, quorum juriſdictio ibi incipit.

IV. Ita ſe habet ſepultura relate ad mortuos, uti domicilium inter vivos, unde ſicuti vivi, ſi ſolum eligant domicilium in alia Parochia, ſed hoc non inhabitent, remanent ſub juriſdictione prioris Parochi, donec ad electum domicilium ſe transferunt, illudque inhabitare incipiunt, quo in caſu a juriſdictione prioris Parochi ſtatim tranſeunt ad juriſdictionem ſecundi; ita defuncti per ſepulturæ electionem perpetuum eligunt domicilium in Eccleſiis Regularium, ſed quia tale domicilium nondum inhabitare cœperunt, eorum cadavera remanent ſub juriſdictione Parochorum, uſquedum inferuntur in loca Regularia, quæ pro perpetuo domicilio elegerunt, & ſtatim ac illa ingreſſa ſunt, ſub omnimoda Regularium juriſdictione conſtituuntur; unde talia illico ſunt, ſuper quibus Parochi habere non poſſunt exercitium ullum, vel indicium alicujus juriſdictionis.

V. Diximus *vel indicium juriſdictionis alicujus*, ut excluderemus ingreſſum Parochi cum ſtola, aut cruce erecta, licet intra Eccleſiam ab officio omni, vel juriſdictionis actu ſuper cadaver abſtineret, qualem ingreſſum contradicentibus Auctoribus omnibus unus eſt Pignatellus, qui *to. 3. conſult.* 48. Parochis concedit, arbitratus, quod ſtola ſit veſtis ſacerdotalis, nullam juriſdictionem indicans, quando ſine ullo exercitio defertur. Vero enim ego, ſi ita res eſt, cur quando funeri intereſt Eccleſia Cathedralis, Parocho non permittitur delatio ſtolæ ſine ullo exercitio? Cur Legato præſente non licet Archiepiſcopo uti cruce? Non alia utique de cauſa, niſi quia delatio ſtolæ, & erectio crucis indicium quoddam ſunt juriſdictionis, & præeminentiæ, quæ ſicuti Capitulo Cathedralis intereſſente, aut præſente Legato minus apte reſpective conveniunt Parocho, aut Archiepiſcopo, ita nullatenus Parocho competere valent in Eccleſiis Regularium, quæ immediate parent Sedi Apoſtolicæ. Et quidem etſi ſtola inter veſtes ſacerdotales connumeretur, in funeribus tamen in ſignum juriſdictionis ſecundum omnes etiam deſervit, unde ſoli Parocho, & non ceteris deferri conceditur, etſi ex ſacerdotibus alii funeri interſint. Ulteriora recole in ſequenti ſanctione.

DECRETUM LVI. CAP. IN ORDINE CLXVIII.

Parochi tenentur cadavera ſuorum Parochianorum levare a loco, ubi aſſervantur, & aſſociare uſque ad portam Eccleſiæ Regularium, etiam ipſis Regularibus non aſſociantibus, nec Parochi ſe ingerere poſſunt in faciendo ſuper iiſdem cadaveribus officium in Eccleſiis præfatorum Regularium, ſed ad ipſos Regulares in propria Eccleſia ſpectat, & pertinet. Urbanus VIII. 24. Julii 1641., & S. R. C. 4. Martii 1673., & 27. Janu. 1680. approbante Innoc. XI. 15. Martii 1680.

I. Obligatio Parochorum levandi, & aſſociandi ut ſupra cadavera ulteriori non eget examine, & to *uſque ad portam Eccleſiæ Regularium* nobis ubertim indicat vetitum Parochis ingreſſum in Eccleſias Regulares; ut in præcedenti Decreto dicebamus. *Etiam ipſis Regularibus non aſſociantibus*, addit Sanctio, & ſiſtit in alibi deciſis, & diſcuſſis, quod nempe non teneantur Regulares aſſociare cadavera in ſuis Eccleſiis ſepelienda, quin ex hoc ruat obligatio Parochi, qui de jure tenetur ad eadem cadavera levanda, & aſſocianda. Hinc a fortiori ſequitur alterum, videlicet Parochus non poſſe ſe ingerere in faciendo officio ſuper iiſdem cadaveribus intra Eccleſiam eorumdem Regularium; ſunt enim hujuſmodi actus juriſdictionis, quorum nullum a Parochis pati aptæ ſunt Regularium Eccleſiæ, unde & Benedictus ipſe XIII., qui primus omnium Parochis ut ſupra licitum declaraverat ingreſſum, a ſimili diſpoſitione ſuper officio abſtinuit, & aperte declaravit ſolum ingredi poſſe *ad adorandum SS. Sacramentum*, non vero ad abſolvendas exequiales preces, adeo verum eſt, quod Pontifices Summi Eccleſias Regulares ab omni actu juriſdictionis Parochialis volunt immunes, ut etiam ingreſſum præfatum ſua declaratione, & quatenus opus eſſet, Decreto ab omni juriſdictione, vel hujus indicio depuraverint.

II. Dices 1. juxta ſuperius tradita poteſt Regularium hebdomadarius per viam deferre ſtolam, dummodo non ſe ingerat in officio ſupra cadaver; quidni igitur quid ſimile præſtare poterit Parochus in Regularium Eccleſiis? 2. Parochus incipit funus, ergo etiam debet illud perficere, uti judicium quodlibet terminandum eſt ab eo, a quo inceptum fuit. *Leg. Ubi cœptum §. ſi quis poſtea ff. de Judic.* ergo quando cadaver tumulandum eſt in Eccleſiis Regularium, in has Parochis ingreſſus inhiberi non poſſe videtur ad abſolvendas exequiales preces.

III. Ad primum facilis eſt reſponſio, nempe juriſdictionem quamlibet ſpiritualem manare a Summo Pontifice, adeoque hujus etiam eſſe eamdem auferre, concedere, limitare, atque diſſolvere, quin inferat præjudicium aliquod Rectoribus, ſed magis maximum conferat beneficium, ut ſcite advertit D. Thomas *in 4. diſt. 17. quæſt. 3. art. 3. quæſtiunc. 3. ad* 1., *&* *Opuſc. 19. cap. 4.* Ad ſecundum vero dicimus in funeribus adeſſe rationes plurimas, & fere omnes eſſe dividuas, quas inter connumerantur etiam preces delationis corporis ad Eccleſiam. Hæ inſtitutæ ſunt, quia cadaver non præſumitur præſens in Eccleſia, unde haud dubitarem omiſſioni eſſe obnoxias, quoties aliquis moreretur in Eccleſia, in qua eſſet ſepeliendus. Ejus item ſunt rationis, ut plus minuſve de iiſdem dicatur juxta itineris longitudinem, quinimmo & ſeparari poſſunt a reliquis precibus, quæ dicuntur intra Eccleſiam, ita ut illæ dicantur in ſero, hæ vero in mane, nec neceſſe ſit, quod qui illas celebravit, etiam has celebret, ut communis explicat praxis, quæ legum eſt optima interpres. Verum Rituale ipſum non obſcure, quæ dicebamus, indicat, nam ubi agit de precibus, quæ dicuntur in itinere ad Eccleſiam, meminit *Parochi*, ubi vero de precibus intra Eccleſiam, nuſquam Parochum memorat, ſed ſemper *Sacerdotem*, non leve indubie indicium, quod primæ determinate ad Parochum ſpectant, non ſecundæ, ſed hæ reſpective ad Parochum, vel ad alium ſacerdotem pro qualitate Eccleſiæ, & circumſtantiarum, in quibus ſunt peragendæ. Hinc ſi quis eruat argumentum contra Parochos contendentes Eccleſias Regularium ingredi, & ſuper cadaver officium agere, nos admodum non refragabimur, credimus quippe, Rituale poſtmodum conſulto, & validis de cauſis *Sacerdotis* meminiſſe, cum alias continuationem exequiarum Parocho, cui primas preces attribuit, aſſignare debuiſſet.

IV. Pro ingreſſu nonnihil difficultatis præſeferunt verba illa *Ad ingreſſum Eccleſiæ repetitur antiphona* Exultabunt Domino. *Deinde Eccleſiam ingreſſi, cantant reſponſorium*; ibi enim procul dubio ſermo eſt de iis, de quibus præcedenter proceſſerat, ac conſequenter de Parocho, ejuſque clero, quare juxta Ritualis textum Parochus cum ſuo clero Eccleſiam debet intrare, ut hujuſmodi valeat præſtare. Verum ejuſmodi interpretatio ut ruere intelligatur, ſufficit, quod tot in oppoſitum ſtent auctoritativæ interpretationes, quot ſunt Summorum Pontificum, & Congregationum deciſiones, licet ne difficultatem videamus effugere, obvia ſit reſponſio, quod Rituale generaliter facienda diſponit, quæ particulariter ſunt poſtea præſtanda ab iis, ad quos pertinent reſpectu habito ad Eccleſias, in quibus ſunt habenda, alias quando etiam cadaver defertur ſepeliendum ad aliam Parochialem Sæcularem, Parochi a quo, qui funus incœpit, atque præfuit, & non Parochi ad quem muneris foret exequias abſolvere, funerique præeſſe in Eccleſia, quod nec Adverſarii ipſi concedent. Jam alibi diximus, quod to *Ad ingreſſum Eccleſiæ* ſtat non pro ingreſſu cleri, ſed cadaveris, unde quando cadaver Eccleſiam ingreditur, ſi Eccleſia ſæcularis eſt, prædicta antiphona cantabitur a clero ſæculari ſtante intus Eccleſiam, ſi vero Regularis eſt, a clero ſæculari ad Eccleſiæ valvas, & itidem a Regulari intra Eccleſiam, quatenus per viam cadaver aſſociaverint, cum prædicta antiphona ſit complementum precum, quæ per viam dictæ fuerunt. To vero *Deinde Eccleſiam ingreſſi, cantat reſponſorium*, ſi Eccleſia Regularis eſt, non cadit ſuper univerſum clerum, qui funeri interfuit, ſed ſolum ſuper reſpectivum clerum Regularem, qui ſupponitur interfuiſſe funeri, quemadmodum etiam, quando Eccleſia ſæcularis eſt, non afficit clerum Regularem, qui funeri fortaſſe interfuit. Quid ſi clerus Regularis, ad cujus Eccleſiam cadaver aſportatur, non interveniat funeri, eſt extra regulam, & tunc to *Eccleſiam ingreſſi* apte exponi poteſt, quod a clero Regulari intra Eccleſiam cantari debet, non alia quippe de cauſa Rituale notat *Eccleſiam ingreſſi*, niſi ad deſignandum, quod tale reſponſorium intra Eccleſiam cani debet, licet poſtea ſignet *Eccleſiam ingreſſi*, quia ſupponit clerum, ad cujus Eccleſiam cadaver defertur, intervenire funeri, ut regulariter uſuvenit.

V. Pignatellus *loc. cit.* producit nonnulla Congregationum Decreta, quorum modernius eſt ſub datum 29. Novem. 1641., & in iiſdem declaratur, quod *Parochi occaſione funerum poſſunt ingredi Eccleſias Regularium cum ſuperpelliceo, & ſtola, dummodo officium ſupra cadavere peragant ipſi Regulares*. Super authenticitatem ejuſmodi Decretorum dubitant nonnulli, & alii eamdem aperte inficiantur, nos vero ex iiſdem contenti ſumus inferre, quod Parochi, opus eſt, fateantur vel inviti, quod ſuper cadaver in Eccleſiis Regularium officium abſolvere nequeunt; quatenus autem memorata Decreta Parochis ut ſupra concedunt ingreſ-

ingreſſum, per innumera poſteriora Decreta, & Apoſtolicas Conſtitutiones uberem derogationem accipiunt, a quarum enumeratione ſuperſedemus, cum Decreta ſuperius producta id evidenter oſtendant. Ceterum nec deeſt aliqualis, ſi non adductum, alia Decreta conciliandi modus, ut videlicet Parochis integrum ſit Eccleſias Regularium ingredi occaſione funerum, ſed ſine ſtola, & cruce erecta, qualem ingreſſum in tali circumſtantia nonnulli Regulares plus æquo privilegiorum verbis, & cortici, non ſenſui adhærentes, conati ſunt impedire.

VI. Dices 3. Non obſtante Regularium exemptione poſſunt Epiſcopi in Eccleſiis eorumdem baldachinum erigere, & plura alia præſtare; quidni igitur & Parochi, qui ſunt Epiſcoporum Vicarii, poterent in Eccleſiis Regularium ſtolam deferre, & ſuper cadaver ſui Parochiani officium facere? Verum quidquid ſit de iis, quæ Epiſcopus poteſt in Eccleſiis Regularium, a quo ad Parochum ob inferioritatem pro ſimilibus indubie non valet argumentum, opus eſt, prius Parochi oſtendant, quod inter ea, quæ Epiſcopus poteſt, connumerentur etiam funeralia, ut hinc aliquid concludere valeant; inter caſus autem, quos in favorem Epiſcoporum Barboſa *de Epiſc. alleg.* 115. plene recenſet, invenire non eſt funeralium cauſam.

VII. Plane ridiculum evadit illorum argumentum, qui ad rem, de qua agimus, particularia allegant Ritualia, aut Ordinariorum ſtatuta; etſi enim nos indubie putemus, nullum ejuſmodi eſſe Rituale, aut Ordinariorum ſtatutum, haud ignoramus, quod defectu auctoritatis, & juriſdictionis ſuper Regulares, *irritum, & inane foret, quidquid ab Epiſcopis contra Regularium privilegia attentatum maneret*, ut diſerte in ſuis Bullis ſe exprimunt Pontifices Summi. *Non enim præſumitur, ſtatuentes voluiſſe in generali diſpoſitione comprehendere perſonas, de quibus etiamſi voluiſſent, in ſpecie diſponere non potuiſſent, & quatenus etiam illas comprehendiſſent, ſtatutum non valeret defectu poteſtatis*, ut rite aſſerit Diana *to. 9. tract. 3. reſol. 11. §. 1.*, qua in parte omnes eumdem ſequuntur.

DECRETUM LVII. CAP. IN ORDINE, CLXIX.

An ad Parochum ſpectet facere officium funebre ſuper cadaveribus ſepeliendis in Eccleſiis, & Oratoriis publicis Confraternitatum? Reſp. Affirmative, quando tumulandus eſt ſubjectus Parocho, intra cujus fines eſt Eccleſia, vel Oratorium. S. R. C. 10. Dec. 1703. approbante, Clem. XI. die 12. Janu. 1704.

I. AD eliminandas controverſias, quæ perſæpe Parochos inter, & Laicorum Confraternitates exoriri ſolent, dubia 33. lata examinata, & reſoluta fuere ſub Pontificatu Clementis XI., inter quæ connumeratur præſens. Ad Parochum igitur quidem ſpectat facere officium funebre ſuper cadaveribus ſepeliendis in Eccleſiis, & Oratoriis publicis Confraternitatum, ſed ſolum, *quando tumulandus eſt ſubjectus Parocho, intra cujus fines eſt Eccleſia, vel Oratorium*, ſecus, ſi cadaver ex alia Parochia aſportetur. Sed hoc in caſu cujus erit tale officium agere? Non utique Parochi *a quo*, cui non licet juriſdictionis actus in aliena Parochia; nec Parochi *ad quem*, cui, ut ait Decretum, cadaver ſubjectum non eſt, ſed Cappellani reſpectivæ Confraternitatis, cui commiſſa eſt cura Eccleſiæ, vel Oratorii, cuique licet intra ejuſdem ambitum abſque licentia Parochi etiam ſtolam deferre, juriſdictionis indicium.

II. Confraternitatum Eccleſiæ non ſunt, ut ex Regularium, loca a juriſdictione Ordinariorum, & ſuorum Vicariorum immunia, & ideo talia non ſunt, in quibus ceſſet juriſdictio Parochi ſuper cadaver, quod in ejuſmodi Oratoria infertur; quare ſicuti Parochus funeri intereſt, quando tumulandus eſt ſibi ſubjectus, ita nihil eſt, quod vetare valeat, quin & ſuper defunctum officium peragat. Quando vero ſepulturæ tradi debet cadaver alterius Parochiæ, non utique Parochi *a quo*, cujus juriſdictio ceſſat, ſed magis Parochi, ſub cujus Parochia eſt Eccleſia tumulans, foret muneris prædictum officium facere; ſed quoniam alias Parochus etiam iſte cum hæredum diſpendio ad funus vocari deberet, & aliunde bene ſupplere valet reſpectivus Cappellanus ſine præjudicio Parochi., cum talis actus exercendus ſit intra Eccleſiæ ambitum ſuæ curæ ſpecialiter commiſſæ, idcirco Cappellano recitatio officii rite commendata fuit.

DECRETUM LVIII. CAP. IN ORDINE CLXX.

An liceat Confraternitati Salutis ſepelire in propria Eccleſia cadavera Confratrum, & Conſororum, qui ibidem elegerint ſepulturam; & an ejuſdem Cappellanus abſente Parocho valeat officium, aliaſque functiones ſuper iiſdem cadaveribus explere? Sacra Congr. Concilii reſpondit affirmative quoad primam partem, quoad ſecundam negative, niſi Parochus vocatus renuat, vel alium ſacerdotem non ſubſtituat. Die 28. Julii 1724.

I. A*Ffirmative quoad primam partem*, alias quippe jus ſepulturæ a Superioribus, ſeu ab Epiſcopo ipſis conceſſum, ab inferioribus irriſum cum abſurditate fieret, ſi a Parocho poſſet impediri. *Quoad ſecundam negative*, quare id muneris declaratur Parocho, & nonniſi Cappellano, quatenus Parochus vocatus interaſſe renuat, aut alium ſacerdotem non ſubſtituat; cum enim cadaverum ſepulturæ non ſit differenda, nec ejuſdem electio libera impedienda, utique in hoc caſu Cappellanus officium agere poterit, e domo defunctum levare, & ad Eccleſiam conſociare, quemadmodum in ſimilibus ſuperius dicebamus de Regularibus, in quorum favorem exarata, huic caſui ſunt quoque adaptanda.

II. Si deciſio limitetur ad caſum ſepeliendi cadaveris ſubjecti Parocho, intra cujus Parochiæ limites ſita eſt Eccleſia tumulans, omnino cum præcedenti convenit, ſecus, ſi extendatur ad ſepulturam alicujus de aliena Parochia, quo in caſu præcedens Sanctio ad Cappellanum pertinere ſtatuit, officium ſuper cadaver facere. Verum deciſio præſens adhuc ſtat integra in tota ſua amplitudine ſine læſione ulla præcedentis, tametſi tumulandum ſit cadaver alterius Parochiæ, & ſolum nobis limitationes ſuggerit, quas eadem præcedens Sanctio patitur. Limitationes autem ejuſmodi expreſſæ ſunt in fine ejuſdem reſolutionis: *Et ita, ſalvis tamen conventionibus, & pactis in erectione Confraternitatum forſan factis, concordiis inter partes initis, & a Sancta Sede approbatis, indultis, conſtitutionibus ſynodalibus, ac provincialibus, conſuetudinibus immemorabilibus, vel ſaltem centenariis*; quare ſi quid ejuſmodi habeatur in favorem Parochi, hujus erit officium agere, etſi tumulandus ſit defunctus alterius Parochiæ. Præſens autem Sanctio emanavit pro Terra Medicinæ Bononienſis Diœceſis, in cujus Synodo *lib. 5. cap. 6.* cautum eſt, ut Parochus aſſiſtat officio, non Cappellanus.

DECRETUM LIX. CAP. IN ORDINE CLXXI.

Conſuetudo benedicendi cadavera ad Eccleſiæ portam, & in funeribus ſervanda eſt. Congr. Ep., & Reg. 8. Nov. 1647., & 25. Janu. 1650.

I. BEnedictio cadaveris exequiarum tempore, prout a Rituali præſcribitur, nedum ſervanda eſt, ſed in præcepto expreſſe conſtituta. Verum de hac in præſentia ſermo non eſt, ſed de benedictione, & aſperſione cadaveris ad Eccleſiæ portam, ſeu dum ad Eccleſiam funus deducitur. Hæc quidem præter Rituale eſt, ſed adhuc ſervari mandatur, quia myſticas plures rationes habet, quarum alibi meminimus; uti autem ob rationes ejuſmodi idem Rituale monet, interdum aqua benedicta aſpergendum eſſe cadaver, dum domi jacet, antequam efferatur, ita ob eaſdem nunc Congregatio decernit, ſervandam eſſe conſuetudinem cadavera benedicendi ad Eccleſiæ portam, & in funeribus. Appoſita eſt hæc benedictio, quando cadavere aſportato ad januam Eccleſiæ Regularium, recedit Parochus; nam tunc cum eadem veluti perſolvit funus, quod incœpit, & cum benedictione defunctum dimittit. Non minus item eſt appoſita reſpectu Regularium, in quorum juriſdictionem cadaver tranſit; ſic enim cum benedictione cadaver recipiunt, & veluti ab eadem initium exequialium precum, quas intus Eccleſiam debent agere, auſpicantur.

II. Hora eſt, proſequamur ritum, & a Rituali inſtruimur, quod reſponſorium *Subvenite* cantandum eſt *Cantore incipiente, & Clero alternatim reſpondente*, unde aberrant illi, apud quos a celebrante incipitur, ſed terminata antiphona *Exultabunt Domino*, ſtatim a cantore incipiendum erit, clero illud alternatim proſequente. In medio Eccleſiæ collocandum eſt feretrum, & clerus ſe in duas findit partes, quarum una ſe conſtituit ex parte Evangelii, altera ex parte epiſtolæ, ita ut juniores ſint viciniores cruci proceſſionali, quæ ſemper ſtatui debet in medio ſpatii inter feretrum, & Eccleſiæ fores, ſeniores vero ſint verſus altare majus, ubi & ſe ſiſtit celebrans aliquantiſper a parte epiſtolæ, habens a retro Acolythum aquæ benedictæ, & inibi continuatur reſponſorium uſque ad ejuſdem finem. Quod vero crux, & clerus ſemper ſic debeant ſtatui, tametſi cadaver ſit ſacerdotis, magis patebit infra.

III. *Depoſito feretro in medio Eccleſiæ*. Inter cantum reſponſorii *Subvenite* aſportatur feretrum ad Eccleſiæ medium, & ibi deponitur, ſive poſtea ſuper terram, vel ſuper lugubrem machinam, aut pegma, ſeu a feretro cadaver extractum, collocetur ſuper pavimentum Eccleſiæ, ſtrata prius culcitra funebri cum pulvinaribus ad pedes, & ad caput. Ita autem quocumque in caſu collocandum erit, *ut defuncti pedes, ſi fuerit laicus, ſint verſus altare majus, ſi vero fuerit ſacerdos, caput ſit verſus ipſum altare*. Nota *to ſi fuerit ſacerdos*, ut hinc edicas, quod pedes quorumcumque defunctorum, licet Diaconorum, & quacumque dignitate effulſerint, ſemper poni debent verſus altare, ſolis ſacerdotibus exceptis, quibus ratione eminentis dignitatis id privilegii conceſſum eſt, & præ ceteris eorum pedes verſus portam Eccleſiæ, & caput verſus altare collocantur. Unde & *tit. de exeq.* §. 17. incipit *corpora defunctorum*, abſolute, & ſimpliciter defunctorum cadavera ponenda decernuntur pedibus verſus altare majus, & ſoli ſacerdotes ab hac lege excipiuntur: *Presbyteri vero habeant caput verſus altare*.

IV. *Cereis accenſis circa corpus*, ſubdit rituale, & loquitur de intortitiis, quibus per viam ad Eccleſiam conſociatum eſt cadaver. His intortitiis accenſis cadaver in medio Eccleſiæ poſitum, etiam ſtipari debet, & quoties continuandæ ſunt exequiæ ſine officio, aut miſſa defunctorum, circa corpus tenentur ab iis, qui eadem detulere per viam; ſi vero dicendum ſit officium defunctorum, aut cantanda miſſa, ponuntur ſuper aliqua candelabra, quæ ejus rationis eſſe debent, qualem deſcripſimus in capite de abſolutione ad tumulum.

DECRE-

DECRETUM LX. CAPITIS, IN ORDINE CLXXII.

Pſalmi *Lauda anima mea Dominum*, & *De profundis* omittantur in precibus poſt officium in die obitus, & depoſitionis Defuncti. S. R. C. 3. Aug. 1737. *in Nolana*.

I. S*Tatim, niſi quid impediat, ut infra monebitur, dicatur officium mortuorum cum tribus nocturnis, & laudibus, ut infra ponitur*, ita habet Rituale, quod ab invitatorio diſerte illud incipiendum eſſe mandat, & ritu duplici peragendum. Poſt antiphonam ad *Benedictus* dicuntur preces in ſingulari numero, & in his omittitur pſalmus *De profundis*. Dictis precibus recitatur oratio *Abſolve* itidem in ſingulari numero, & poſt orationem non adduntur verſus *Requiem æternam*, nec *Requieſcat*, ſive ſequatur miſſa, ſive hac omiſſa, ſtatim procedatur ad orationem *Non intres*. Hæc curſim dedimus, tum quia in Rubrica ſunt ſatis expreſſa, tum quia alibi uberi non caruerunt examine. Quod autem veſperæ cantandæ non ſint, ſatis Rubrica indicat, dum ſuper iiſdem ſilentio habito, dilucide aſſignat, quæ cantari intendit, tria ſcilicet nocturna cum laudibus. Quod ait Gavantus *ſect. 9. cap. 2. n. 6.*, quod veſperæ, ubi pridie matutini, ac conſequenter congruo tempore dici nequeunt, omitti debent, eſt ratio parum relevans, tum quia etiam nocturna, licet extra debitum tempus, dici præſcribuntur, tum quia Cæremoniale Epiſc. *lib. 2. cap.* 38. apud cadaver Epiſcopi veſperas nocturnis præmittendas eſſe mandat. Crederem ego itaque, quod hac in re potius haberi queat ratio ſuffragii, quam officii, ac conſequenter quod qui abundare intendit, liberum illi ſit veſperas nocturnis præmittere, non autem poſtponere, ne defuncti videantur habere ſecundas veſperas, quibus expoliati maneant myſterioſis de cauſis.

II. Nunc videamus, quæ *infra* Rituale monet: *Si vero ob rationabilem cauſam, videlicet ob temporis anguſtiam, vel aliorum funerum inſtantem neceſſitatem, prædictum officium mortuorum cum tribus nocturnis, & laudibus dici non poteſt, depoſito in Eccleſia feretro cum corpore, dicatur ſaltem primum nocturnum cum laudibus, maxime ubi ejuſmodi viget conſuetudo, incipiendo ab invitatorio*, Regem, cui omnia vivunt. Procedit Rituale ad aſſignandas compendioſas exequias, quæ fieri debent interveniente *rationabili cauſa*, & inſuper ſe explicat, quamnam agnoſcat in cauſam rationabilem, *videlicet ob temporis anguſtiam, vel aliorum funerum inſtantem neceſſitatem*, ubi dictio *videlicet* ſtare videtur demonſtrative, & reſtrictive, licet nos rem ad has anguſtias reducendam non eſſe putemus, præſertim cum Rituale ipſum infra in rationabilem cauſam etiam producat ſimpliciter urgentem aliam neceſſitatem: *vel alia urgens neceſſitas*, quare diceremus, quod per ly *videlicet* declarantur quidem rationabiles cauſæ compendioſas uſurpandi exequias, non ita tamen, ut hæ iidem adhiberi nequeant, ſi quæ alia judicio prudentum rationabilis intercedat cauſa.

III. Nonnihil negotii apta eſt faceſſere dictio *maxime*, quam Rituale adjicit; quaſi officium defunctorum, vel ſaltem unum nocturnum dici imponeretur locis, *ubi ejuſmodi viget conſuetudo*, ſecus, ubi non vigeat; at ab hac nos difficultate liberant Juriſperiti, qui advertunt unanimes, per eamdem dictionem ſolam denotari fortiorem rationem eſſe in caſu, in quo ponitur, ſed idem juris eſſe in ſuo contrario, ſeu poſitivo. Quatenus itaque rationabilis adſit cauſa, officium defunctorum decurtari poterit, & redigi ad unum dumtaxat nocturnum cum laudibus, & ſemper erit *primum*, quocumque die contingat dici, & in eo dicetur invitatorium, antiphonæ duplicabuntur, & omiſſo pſalmo *De profundis* dicentur preces, & oratio ut ſupra.

IV. *Quod ſi etiam*, proſequitur Rubrica *ea fuerit temporis anguſtias, vel alia urgens neceſſitas, ut unum nocturnum cum laudibus dici non poſſit, alia prædicta preces, & ſuffragia numquam omittantur*. Compendioſiores adhuc aſſignat exequias, in caſu ſtrictioris, & urgentioris neceſſitatis adhibendas, in quibus diſpenſat etiam ab uno nocturno, & laudibus mortuorum, numquam tamen a precibus, & ſuffragiis aliis, nimirum a reſponſorio *Subvenite*, & oratione *Non intres* cum precibus aliis uſque in finem, quæ ſuper cadaveribus fidelium quocumcumque dici ſpecialiter ſunt inſtitutæ. Quid autem ſentiendum ſit de miſſa, dicetur infra. Uberiora, quæ modo vix libare contenti ſumus; recole in capite de officio defunctorum.

V. Hæc æque fieri ſtatuta ſunt ſuper cadaveribus ſive divitum ſeu pauperum: Eccleſia enim tamquam pia communis mater filios ſuos omnes indifferenter reſpicit, & diligit. Nos tamen aliquid diſcriminis agnoſcere non formidamus; Si enim tumulandi ſunt pauperes, quibus mortuis nihil, aut ita parum ſupereſt, ut ex proprio eleemoſyna pro officio clero elargiri nequeat, clerus, uti ex Ritualis præſcripto eoſdem *gratis*, etiam cum ſubminiſtratione cereorum tumulare debet, ita ſuper iiſdem ſaltem primum nocturnum dicere tenetur; ita enim exigit chriſtiana pietas, & expoſcit charitas, *& Eccleſiaſtici ritus*, Rituali teſte de exeq. §. 2., *ad defunctorum ſalutem, ſimulque ad vivorum pietatem, & exemplum, non ad quæſtum ſunt inſtituti*, unde eumdem non crederemus rationabilem habere cauſam prædictæ omiſſionis. Quapropter quoties de pauperibus agitur, neque ſcrupuloſe nimis ſuper eorumdem facultatibus rimandum erit, nec hæredes, ſeu magis ſucceſſores cogendi erunt ad eleemoſynam præſtandam, ſed clerus lubens id Chriſtianæ pietatis officium, & exemplum gratis peraget, perinde ac ſi ſtips erogaretur.

VI. Quod ſi ſepeliendi ſint divites, aut ii, ex quorum bonis commode eleemoſyna diſtribui valeat, ſi hæc minime ſuppeditetur, crederemus clerum rationabilem habere cauſam abſtinendi a recitatione officii; alligandum enim non eſt 1. *Tim.* 5. 18. os bovi trituranti, & dignus eſt operarius mercede ſua, & aliunde indignus, ut id officii, & charitatis præſtetur illi, qui cum commode poſſit, conſuetam eleemoſynam dare recuſat, charitatemque ſuam erga proximum oſtendere. Alias quippe clerus, Parochique, qui ex ejuſmodi eleemoſynis vivunt, & aliis indigentius conſulunt, fere ſemper defraudarentur ſuis emolumentis, & fideles ipſi retardarentur facile ab hujuſmodi eleemoſynarum elargitione, merito, & beneficio.

DECRETUM LXI. CAPIT. IN ORDINE CLXXIII.

In miſſis defunctorum non pulſentur organa, nec aliud quodvis muſicum inſtrumentum adhibeatur. Benedictus XIII. in Concilio Romano tit. 15. cap. 6.

I. U*Ltra officium defunctorum a Rituali demandatur miſſa ſolemnis inter exequias, & per hæc verba aſſignatur tempus, quo ſacerdos cum miniſtris parari debet, ut in promptu ſine interruptione facile eſſe queat: *Dum in officio dicuntur laudes, ſacerdos cum miniſtris paratur ad celebrandam miſſam ſolemnem pro defuncto*. Agendum hic foret de antiquo uſu non ſepeliendi defunctorum corpora, niſi prævia miſſa, ſed quia quæ ad miſſam præſente corpore ſpectant; uberem alibi diſputationem ſortita ſunt, ſe ſinat Lector remitti ad caput de miſſa in die obitus, ubi quæcumque late pertractata reperiet. Ritus itidem, qui in celebratione ejuſdem miſſæ ſervandus eſt, ſua alibi ponderatione non caruit, & cum hæc ſit miſſa, poſt quam cum candelis accenſis exequiæ debent peragi, dubium non eſt, quod candelæ a clero teneri debent accenſæ ad evangelium, & ad elevationem ſacramenti uſque ad communionem, quemadmodum item alibi dictum fuit.

II. Videamus modo, quæ Rituale de miſſa teneat: *Miſſa vero, ſi hora fuerit congruens, ritu pro defunctis, ut in die obitus, præſente corpore non omittatur*. Hæc adduntur poſt diſpenſationem ſuper officio defunctorum, unde non ambigerem, quod quatenus ob temporis anguſtiam, aliamve rationabilem cauſam ab officio defunctorum ceſſandum foret, non propterea a miſſa, ſeu ſaltem hæc præferenda eſſet, quoties utrique incumbi non poſſet. Ita profecto exigit priſcus Eccleſiæ mos, ut taceam pinguius ſuffragium, quod ex miſſa in defunctos indubie derivat. Quæ dicta ſint, ſi *tempus congruens fuerit* pro celebranda miſſa, poſt meridiem alibi celebrari non poſſe diximus. Conditiones binas alias Rituale adjicit, quarum una eſt, *ſi obſtet magna diei ſolemnitas*, cujus nomine qui dies veniant, in memorato capite de miſſa in die obitus, late pertractatum extitit. Altera eſt, *aut aliqua neceſſitas aliter ſuadeat*; neceſſitatibus quippe omnes parent leges. Quod autem *tit. de exeq.* §. 5. Rituale tenet: *Dum tamen conventualis miſſa, & officia divina non impediantur*, duos ſenſus habere poteſt, videlicet propter miſſam ejuſmodi omittenda non eſſe officia divina, & conventualem miſſam, & quid unquam æquius, cum hæc ſint in præcepto, illa magis pietatis officium? Alter eſt, quod non ſint impedienda, aut turbanda quoad tempus, ita ut anticipari, aut poſtponi non valeant, ſed hora ſecundum ſacros canones præſcripta celebrari debeant; & id quidem conveniens eſt, cum aliter agere ſit contra ritum, atque myſteria, ſed ſi quandoque ob exequias ſolemnes aliter fieri contingat, ſane non gravi culpa, forte nec levi, damnandum id eſt, cum non ſine cauſa attentetur.

III. Quod habet Rubrica *Miſſa ut in die obitus*, denotat qualitatem miſſæ in tali circumſtantia dicendæ, quam ad rem neceſſe eſt recolantur tradita in cap. 10., ne inutiliter eadem repetantur. Nunc a Decreto inſtruimur, quod in ejuſmodi miſſa organa pulſanda non ſint, nec quodvis aliud muſicum inſtrumentum; ejuſmodi enim, quæ jam quadrageſimæ, & adventus tempora prohibita ſunt, profecto minus congruit exequiarum tempore ſive per viam, ſive in Eccleſia inter officium, aut miſſam defunctorum adhiberi, in quibus mœrentes, & ſupplices pro defuncti anima Deum adoramus, unde & Rituale pſalmos per viam voce gravi, quæ profecto muſicum, aliumque quemcumque figuratum cantum pellit, decantandos eſſe docet. Ad rem propius noſtram habet Cæremoniale Epiſc. lib. 1. cap. 28. *In miſſis, & officiis defunctorum, nec organo, nec muſica, quam figuratam vocant, utimur, ſed cantu firmo, quem etiam in tempore adventus, & quadrageſimæ in ferialibus diebus adhiberi convenit*.

IV. Si in laudem defuncti ſermo haberi debeat, non intra miſſam, ſed ſtatim poſt miſſam habendus erit; quæ autem in circumſtantia ejuſmodi ſervanda ſint, dilucide exarantur in cap. de abſolutione. An quando pauperes gratis tumulandi ſunt, uti ſupra ad officium Parochos adſtrinximus, ita adſtringendi ſint ad unam ſaltem miſſam, ut cum miſſa juxta priſcum Eccleſiæ uſum, & ad Ritualis tramitem illi ſepeliantur, ſuccedit quærere. Benedictus XIV. *tom. 2. notif. 17. num. 16.* ab imponendo Parochis hoc onere rite abſtinet; cum enim ſacri canones eoſdem quoſcumque indiſtincte obligent ad ſacrificandum pro populo diebus omnibus feſtivis, & ne dubitemus, quod per impoſitionem ejuſmodi potiſſimum conſulere intenderint ſuffragiis pauperum, ulterius oneris imponendum non eſt Parochis ſuper miſſam, ex cujus eleemoſyna vivunt,

quinim.

Digitized by Google

quinimmo hac detracta, non deſunt aliqui, quibus vix ſupereſſet aliud, unde congrue viverent. Laudabiles tamen forent, qui cum commode poſſint, id ſuffragii pauperibus præſtarent, aut ſi ipſi nequeant, ab aliis admonitionibus, vel eleemoſynarum perquiſitione præſtari curarent, aut ad hunc effectum eleemoſynarum capſulas in Eccleſiis apponi facerent, ut ſcite conſulit idem Benedictus XIV.

V. Quatenus autem inter exequias officium, aut miſſa defunctorum, vel utrumque dici debeant, abſoluto reſponſorio *ſubvenite*, clerus præcedente cruce cum ceroferariis, & acolytho aquæ benedictæ, proficiſcitur in chorum, ubi officium defunctorum, & non circa feretrum a clero dici debet, quem propterea poſt miſſam ad feretrum iterum facit procedere; quinimmo cum diſerte eumdem faciat incedere prælata Cruce, indubium eſt, quod crux ſtatuenda non eſt, & relinquenda ad caput defuncti, ſed præferenda clero, dum ad chorum pergit, ut magis dicitur in Cap. de abſolutione ad tumulum.

VI. Quod ſi neque officium, neque miſſa dicendæ ſint, & ſolemniter peragendæ ſint exequiæ, ſacerdos ad Eccleſiæ portam accipiet pluviale, quatenus in proceſſione illud non detulerit, promptus erit ſubdiaconus, qui crucem arripiet, & acolythus, qui crucem deferebat, accipiet thuribulum, & diaconus ſe collocabit ad ſiniſtram ſacerdotis. Thuriferarius præcedet crucem, a ſiniſtris habens acolythum aquæ benedictæ, & ſe collocabit ad dexteram ejuſdem acolythi retro diacono, qui erit a ſiniſtris celebrantis, dum circa cadaver abſolvitur reſponſorium *ſubvenite*, & reliqua peragentur ut infra. Si vero non ſolemniter habendæ ſint exequiæ, ſufficiet alter acolythus cum thuribulo, qui ut ſupra retro Sacerdoti ſe conſtituet, & in ejuſmodi exequiis una cum acolytho aquæ benedictæ inſerviet, ut dicetur ſtatim.

DECRETUM LXII. CAP., IN ORDINE CLXXIV.

In depoſitione defunctorum in verbis illis: *Non intres in judicium cum ſervo tuo, Domine, quia nullus apud te juſtificabitur homo*; quando eſt mulier, aut plures ſunt defuncti, non poſſunt verba *ſervo tuo* immutari *in ſerva tua*, vel *ſervis tuis* abſque ſacræ Rubricæ læſione, & ſervandum eſt Rituale. S. R. C. 31. Aug. 1697. *in Fanen.*

I. Finita miſſa Celebrans facit reverentiam cruci altaris in medio, & miniſtris genuflexionem, deinde ſe retrahunt ad cornu epiſtolæ, per gradus laterales deſcendentes in planum, ubi celebrans deponit planetam, & manipulum adjuvantibus miniſtris, & accipit pluviale nigrum, & in hujus defectu remanet in alba cum ſtola tranſverſa ante pectus in modum crucis; miniſtri vero deponunt ſolus manipulos, qui ſimul cum planeta ſuper credentiam, vel in alio congruo loco, & hoc deficiente ſuper altare collocantur. Hoc facto celebrans tecto capite una cum Diacono a ſiniſtris ejus capite diſcooperto procedit ad medium altaris, ubi cruci detecto capite ſe inclinat (genuflectit, ſi in altari adſit SS. Sacramentum in tabernaculo incluſum) Diacono genuflectente, & iterum caput tegit. Subdiaconus accipit crucem proceſſionalem, quam ſic tenet, ut imago crucifixi ſit verſus populum, & ipſi ſubdiacono terga vertat. Cum enim Rubricæ aperte velint, quod celebrans ad feretrum ita ſe locet, ut crucem ſubdiaconi reſpiciat, & ei, dum tranſit, ſe inclinet, profecto neceſſe eſt, quod crucifixi imago terga vertat Subdiacono, alias facies ſubdiaconi deberet eſſe verſus portam Eccleſiæ, & ejuſdem terga contra altare. Confeſtim ceroferarii accipiunt candelabra cum candelis accenſis, thuriferarius thuribulum cum navicula incenſi, & alius acolythus vas aquæ benedictæ, & ritualem librum. A quo ritualis liber deferendus ſit, Rubrica XIII. miſſalis, & Rituale *de exeq. præſ. corp.* tacent, ſed ſupplet idem Rituale *de exeq. abſ. corp.* ubi acolytho aquæ benedictæ etiam traditur ritualis liber; hoc autem habent Rubricæ, & præſertim quæ ad ritus, & cæremonias ſpectant, ut una explicet aliam, & cunctæ ſibimet mutuum ſupplementum afferant. Deinde ſubdiaconus medius inter ceroferarios accedit ad medium altaris, nulla prorſus facta genuflexione, aut reverentia ipſi altari, neque a ceroferariis. Meratus *par.* 2. *tit.* 13. *n.* 22. poſt ſubdiaconum facit venire thuriferarium, & acolythum aquæ benedictæ, quos tamen crucem proceſſionalem præcedere debere, ſatis oſtendit generalis regula, de qua dicemus ſtatim. Hi ubi ad medium altaris venerint, hujus cruci genuflectunt, & tum ipſi, tum cetari recenſiti omnes ſtant facie verſa ad altare, donec ſequenti ratione ordinatur proceſſio.

II. Præcedit thuriferarius habens a ſiniſtris acolythum aquæ benedictæ; thuriferarii enim locus ſemper eſt ante crucem, quaſi ſternens odore viam crucifixo ſequenti, & quia in defunctorum exequiis thus, & aqua benedicta ſunt correlativa, cum illo pariter procedit acolythus aquæ benedictæ, quare etſi Rituale ſubdiaconum cum ceroferariis faciat incedere, nulla mentione habita de præfatis acolythis, quos cum Sacerdote venire debere, ejuſdem verba indicare videntur: *Tum ſequitur Sacerdos cum Diacono, & Aſſiſtente, aliiſque miniſtris*, quorum hi alii eſſe non poſſe videntur, niſi duo præfati acolythi; adhuc tamen dubium non eſt, quod iidem acolythi crucem præcedere debent, *præcedentibus*, aperte mandante Rubrica miſſalis de abſolutione ad tumulum, *duobus aliis acolytis, uno cum thuribulo &c.*, per quæ verba ſatis explicatur obſcura Ritualis diſpoſitio, & dicetur infra, quinam eſſe queant miniſtri illi, quos cum Sacerdote Rituale venire facit; Qui acolythi genuflectunt cruci, antequam incedant, & eoſdem ſtatim ſequitur Subdiaconus ferens crucem, medius inter duos ceroferarios cum candelabris accenſis, nulla præmiſſa genuflexione, nec reverentia Cruci altaris.

III. Poſt crucem, Rituale ait, *veniant omnes alii de clero, ordinatim in gradu ſuo*, ſcilicet bini, & bini, incipiendo a junioribus, & euntes ex utraque parte chori, moris inſtar, qui ſervatur in aliis proceſſionibus. Num dum tranſeunt ante altare, hujus cruci genuflectere, an ſolum ſe inclinare debeant, ſuccedit dicere; & dum Rituale, atque miſſale Miniſtris eidem cruci genuflexionem imponunt, idipſum clerus præſtare debere videtur; nos tamen pro ſola reverentia pronunciamus, ſcimus quippe ſpeciali de cauſa genuflexionem in triduo mortis Chriſti a clero cruci demandari faciendam, quare extra prædictum triduum ſolam reverentiam contenti ſumus indicere, licet miniſtri ad differentiam Sacerdotis, cui inſerviunt, ſemper genuflectere jubeantur. *Cum candelis accenſis*, idem Rituale adjicit, unde quilibet in manu candelam accenſam tenere debet.

IV. Tum Sacerdos caput detegit, altari reverentiam facit, & poſtea tecto capite procedit, habens a ſiniſtris Diaconum, qui prius altari genuflectit, & aperto capite, ſicuti & ceteri omnes (ſolus quippe ſacerdos in hac proceſſione incedit tecto capite) progreditur. Rituale ſimul cum ſacerdote incedere facit *Aſſiſtentem*, qui quoties aderit, procedet a dexteris celebrantis, facta prius genuflexione altari. Addit *alioſque miniſtros*, & hos jam diximus eſſe non poſſe thuriferarium, & acolythum aquæ benedictæ, ſed magis erunt miniſtri alii cum pluvialibus, qui in ſolemnioribus exequiis nonnumquam adhiberi ſoleat. Inter eoſdem itidem cæremoniarius numerari poteſt, quatenus ex his duo aſſiſtant, ſi vero unus dumtaxat cæremoniarius interſit, eidem locum facimus ante omnes, etiam thuriferarium, ut ſubmovere valeat impedimenta obviantia in via, aperire aditum inter populi frequentiam, &c. quæ munia ægre ſupplere poſſet thuriferarius, & multo minus cæremoniarius, ſi poſt thuriferarium ante ſubdiaconum incederet, aut ante celebrantem, aut poſt hunc a ſiniſtris, ut nonnulli illum collocant. Quatenus itaque ex cæremoniariis aſſiſtant duo, unus incedet primus omnium, alter ante celebrantem. Si Celebrans pluviali non utatur, Diaconus incedat ante Celebrantem, & tunc non convenit adhiberi Aſſiſtentem, cui propterea procedendi locum nullum aſſignamus. An Sacerdos, & Diaconus, aliique miniſtri, ſi adſint, candelam deferre debeant, videtur, quod non; tum quia Rubricæ tacent, tum quod ſtatim occupari debent in muneribus incompatibilibus. At ſuperius pro proceſſione ad Eccleſiam nos affirmative diximus, & nunc inſiſtimus pro hac proceſſione ad feretrum, tum exemplo ducti a Dominica Palmarum, & feſto Purificationis, in quibus reſpective cuique traditur ramus, & candela, tum quod Cærem. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 11. Prælatis procedentibus ad feretrum aſſignat cuique unum ſcutiferum, qui cereum accenſum portet. Sacerdos itaque, & Diaconus ſuam candelam aliis tenendam tradent, quando v. g. incenſant, aſpergunt &c.

V. Ubi ad feretrum perventum fuerit, thuriferarius, & acolythus aquæ benedictæ ſe conſtituant a parte epiſtolæ inter feretrum, & altare, & ibidem item ſe ſiſtet cæremoniarius, ſi adſit; ſubdiaconus cum ceroferariis per partem evangelii progreditur ad medium ſpatium ante feretrum inter ipſum feretrum, & Eccleſiæ portam, ubi ſe ſiſtit, facie converſa ad altare, & relicto commodo ſpatio Celebranti, & Diacono quamprimum illuc tranſituris; clerus vero ſe collocet circa feretrum hinc inde a lateribus, ita ut juniores ſint cruci viciniores, & ſeniores celebranti, qui ſe ſiſtit contra Crucem ſubdiaconi in capite loci inter altare, & feretrum, aliquantulum verſus cornu Epiſtolæ, ne altari directe terga vertat. Diaconus erit a ſiniſtris ejus, & prope illum a retro thuriferarius, & acolythus aquæ benedictæ.

VI. Ita expreſſe omnes collocat Rubrica XIII. Miſſalis, quæ etſi diſponat pro abſolutione ad cenotaphium, dubium non eſt, quod item procedit pro exequiis præſente corpore ſi cadaver ſit Laici; ſi vero cadaver ſit Sacerdotis, non leve exurgit dubium, quia cum juxta Rituale ad differentiam laicorum caput demortui Sacerdotis poni debeat verſus altare, & ejuſdem pedes verſus Eccleſiæ fores, & aliunde idem Rituale ſubdiaconum cum cruce aperte collocet ad caput defuncti, & Sacerdotem ad pedes ejuſdem contra crucem, videtur, quod ſubdiaconus eſſe debeat ad caput defuncti ſacerdotis inter feretrum, & altare, & Sacerdos ad pedes inter feretrum, & Eccleſiæ januam. Verum Gavantus *part.* 2. *tit.* 13. *lit. m*, Meratus *ibidem num.* 24. Caſtaldus *cærem. lib.* 2. *cap.* 39. Baruffaldus *tit.* 36. *num.* 249. aliique inſigniores, quibus indubie eſt adhærendum, ſubdiaconum ſemper collocant inter Eccleſiæ fores, & tumulum; & celebrantem inter feretrum, & altare, quando cadaver, licet Sacerdotis, præſens non eſt; quinimmo ſi demas Gavantum, quem perperam pro ſua ſententia Baruffaldus allegat, idipſum ſervandum eſſe docent, quamvis exequiæ fiant corpore Sacerdotis præſente.

VII. Ducuntur autem, quia allegata Rubrica abſolute, & ſimpliciter, ac ulla abſque diſtinctione ſubdiaconum ut ſupra conſtituit, & cum inſuper celebrantem velit aliquantulum verſus cornu epiſtolæ, ne cruci altaris directe terga vertat, quis unquam dicere poteſt, quod quando fit abſolutio ad cenotaphium Sacerdotis ſubdiaconus ſe ſiſtere debeat ad caput imaginarium defuncti, humeris ad altare directe verſis? Quæ

cum

Digitized by Google

cum non minus militent, quando præſens eſt corpus Sacerdotis, idipſum dicendum venit; nimis enim expreſſa eſt producta Rubrica, quæ licet fortaſſe dumtaxat agat de abſolutione ad cenotaphium, quia tamen hoc repræſentat corpus defuncti, Celebrans, & ſubdiaconus ſe collocare deberent, perinde ac ſi cadaver præſens foret. Et præſertim quia alias, ut dicebamus, ſubdiaconus directe terga verteret cruci altaris, quod apprime indecens eſt, & deforme, quinimmo unica, & potiſſima ratio, ob quam eadem Rubrica celebrantem ſtatuit aliquantulum ex parte Epiſtolæ.

VIII. Ad Rituale ſcite reponit Meratus, quod eatenus ſubdiaconum ad caput defuncti abſolute collocat, quatenus defuncti communiter non ſunt perſonæ ad gradum presbyteratus evectæ: inſtar enim legum, quæ adaptantur iis, quæ regulariter, non quæ raro eveniunt, & ſimpliciter latæ, cenſentur veræ, etſi in uno, vel altero caſu deficiant; in prædicta diſpoſitione proceſſit, & propterea deficit quando præſente Sacerdotis cadavere celebrantur exequiæ; pro quo caſu ubertim ſupplet allegata Rubrica, quæ cum ſit modernior, & reformata, limitat, explicat, & corrigit Rituale, cujus diſpoſitio alias aperte contraria foret rationi, ob quam eadem Rubrica celebrantem collocat aliquantulum ex parte Epiſtolæ, cum tamen ad vim legis aſſequendam, & contrariæ, ſi quæ eſt, diſpoſitionem limitandam, nihil cenſeatur potius, quam ratio, cui lex nova innititur.

IX. Omnibus ut ſupra circa feretrum conſtitutis, celebrans caput detegit, & junctis manibus, Diacono, vel in hujus defectu, thuriferario tenente librum, *abſolute*, ideſt nihilo præmiſſo, neque *oremus*, incipit orationem *Non intres*, in qua a præſenti Decreto edocemur to *Servo tuo* immutandum non eſſe *in ſerva tua* ſi cadaver ſit mulieris, nec *in ſervis tuis*, ſi ſuper plurium cadaveribus ſimul peragantur exequiæ, ſed ſemper dicendum eſſe *ſervo tuo*, & conſequenter etiam *Non ergo eum quæſumus*, & adhuc infra *Qui dum viveret, inſignitus eſt &c.* Equidem Rituale hoc pacto orationem exarat, in ea non ponit literam *N.* ut cum nomine oratio concordari debeat quoad genus, & caſum, & inſuper nullam ſuper hoc inſerit annotationem, uti facit in orationibus ceteris, unde non abſque læſione Rubricæ prædicta attentaretur variatio. Stat autem ad latinitatis leges *ſervo tuo*, etſi cadaver ſit mulieris, quia maſculinum ſub ſe aptum eſt comprehendere fœmininum, unde in profanis, & ſacris legibus multoties habetur *Qui* vel *ſi quis*, quin a lege fœminæ cenſeantur excluſæ. Quod ſi plures fuerint defuncti, quadrat adhuc *ſervo tuo*, & tunc ita accipitur, ut de unoquoque dictum ſeorſim putetur, praxis inſtar, quam Eccleſia ſervat in divino officio, in quo, etſi celebretur pro pluribus puta Pontificibus, vel confeſſoribus, nihilominus dicit in ſingulari numero *Sacerdos, & Pontifex, & ſimilabo eum &c.* quemadmodum in tomo primo proſecuti fuimus uberiori calamo. Digna, quæ ponderentur, hujuſce ſunt ea verba orationis, *Non intres in judicium*, & *non eum tua judicialis ſententia premat*, quaſi arbitretur Eccleſia, nondum factum eſſe judicium, cum celebrantur exequiæ; ſed quoniam de hoc jam actum eſt, ubi expoſita ſunt ea offertorii verba, *Ne abſorbeat eas tartarus &c.* ad ibi dicta ſe ſinat Lector remitti.

X. *Vel ſervis tuis* dum ait Decretum, diſerte nos edocet, quod de pluribus ſimul celebrari poſſunt exequiæ, id tamen regulariter, & frequenter non eſt attentandum, ſed ſolum in caſu neceſſitatis, vel in quo via aliter fieri poteſt, uti evenit tempore belli, aut peſtis. Exequiales preces conſulto ab Eccleſia in ſingulari numero exaratæ ſunt, & nuſquam notat in plurali numero eſſe accommodandas, ſi exequiæ fiant pro pluribus, argumentum ſane non leve, exequias ſaltem ordinarie pro uno dumtaxat eſſe peragendas, & nonniſi urgente neceſſitate pro pluribus tolerari; hoc ipſo enim, quod pro pluribus ſimul fiunt, precum fructus inter eos dividitur, qui unicuique integer ex intentione Rubricæ debet præſtari.

XI. An belli tempore ſuper acervum cadaverum, antequam intumulentur, exequiales preces dici valeant, ſi conſtet eadem admixta eſſe ex fidelibus, & infidelibus, nobis lubet quærere, & affirmative reponere non dubitamus; cadavera enim fidelium jus habent ad eaſdem preces, & ex his ſuffragium conſequuntur eorum animæ, unde non videntur privari poſſe prædictis precibus, quas a projectione canibus ſola proferentis intentio potis eſt liberare.

XII. Rituale proſequamur: *Deinde cantore incipiente, clerus circumſtans cantat ſequens reſponſorium* Libera me, Domine. *Cantore incipiente*, unde deprehenduntur male agere, apud quos celebrans illud incipit. *Clerus circumſtans*, ergo non eſt una dumtaxat parte, ſed a clero utriuſque partis reſponſorium cani debet. *Reſponſorium*, non verſus ejuſdem reſponſorii, qui cantatur a duobus cantoribus, ſcilicet ab uno ex utraque parte, qui ſi in medium cantaturi procedant, ſe quidem vertant contra crucem proceſſionalem, ſed oblique, & tranſverſe verſus reſpectivum cornu Evangelii, & Epiſtolæ aliquantiſper ſe collocent, ne cruci altaris majoris directe terga vertant. Verſus autem *Requiem æternam* dici debet cum *Dona ei*, & *luceat ei* in ſingulari numero, ut notant Auctores, & diſerte ſignat Rituale ipſum. Verſus iſte ſi dicatur a duobus acolythis ſe collocantibus prope crucem proceſſionalem, ut obſervari a nonnullis vidi, facie verſa ad crucem altaris majoris, mos hujuſmodi Rituali videtur abſonus, juxta quod preces cunctæ dicendæ videntur contra crucem proceſſionalem, unde quatenus tolerari valeat, ſe ſaltem ita collocare debent hinc inde a lateribus crucis proceſſionalis, ut huic non videantur terga vertere. Quod autem identidem ex reſponſorio repetitur, a toto clero circumſtante decantetur. Hinc elucet regula, quæ teneri debet in decantando ſuperius recenſito reſponſorio *ſubvenite*.

XIII. *Dum cantatur prædictum reſponſorium*, ait Rituale, & Rubrica Miſſalis *circa illius finem* (quod tu intellige, *dum repeti incipitur*) Diaconus, & thuriferarius genuflectunt cruci proceſſionali, & retro tranſeuntes accedunt ad dexteram celebrantis, ubi præmiſſa genuflexione altari ſe conſtituunt ante celebrantem, qui eodem Diacono miniſtrante ſine oſculis, imponit ter incenſum in thuribulum, illud benedicens more ſolito, dicente prius Diacono *Benedicite, Reverende Pater*, & Celebrante *Ab illo benedicaris &c.*, quo facto Diaconus, & thuriferarius per eamdem viam redeunt ad loca ſua, prius genuflectentes cruci altaris, ante quam tranſeunt, & poſtea cruci proceſſionali, contra quam ſe conſtituunt.

XIV. Super incenſi benedictionem, quo defuncti adolentur, tacebant Miſſalia antiqua, & adhuc ſilent Cœremoniale Epiſc. *lib. 2. cap. 11.*, & Rituale *de exeq. præſ. corp.*, ſed ad dubietatem quamlibet eliminandam in Miſſale Rubrica invecta fuit, quæ agens de abſolutione ad tumulum per hæc verba, *Benedicens illud more ſolito*, incenſi benedictionem aperte præſcribit, quæ ceteroquin etiam ab eodem Rituali *de exeq. abſ. corp.* per hujuſmodi verba demandata reperitur: *Interim miniſtratur incenſum, benedicitur, & imponitur in thuribulum*. Quod ſi benedictio incenſi adhiberi debet abſente corpore, utique & hoc præſente, cum adhibeatur ad expellendos Dœmones, & aqua ipſa, qua cadaver aſpergitur, ſimplex non ſit, ſed benedicta. Quod autem diximus de genuflexionibus a Diacono, & thuriferario ut ſupra præſtandis, equidem nec in Rituali, nec in ſæpe memorata Rubrica præſcribitur, ſed tamen eruitur ex generali regula genuflectendi a Miniſtris ad differentiam Sacerdotis, quoties abſcedunt a conſpectu crucis, vel ad hujus conſpectum ſe conſtituunt, aut ante crucem tranſeunt.

XV. Finito reſponſorio non ſolus cantor, aut cantores, ut alicubi obſervatur, ſed juxta Rituale *cantor cum primo choro* (hic erit, qui eſt ex parte celebrantis) dicit *Kyrie eleiſon*, ſecundus chorus reſpondet *Chriſte eleiſon*, & deinde omnes ſimul dicunt *Kyrie eleiſon*. Mox ſacerdos intonat intelligibili, & alta voce *Pater noſter*, & ſecreto una cum circumſtante clero proſequendo cetera ejuſdem orationis, accipit aſperſorium de manu Diaconi, huic prius miniſtratum ab acolytho retro ſtante, & *facit profundam* (ſic ſtatuit Rituale) *inclinationem cruci, quæ eſt ex adverſo, Diacono, ſeu Miniſtro genuflectente*; habet vero ſæpe citata Rubrica, *& facit altari reverentiam* nulla mentione habita de Diaconi genuflexione.

XVI. Rituale, & Rubrica diſſidere videntur, dum illud reſpective inclinationem, & genuflexionem præcipit cruci proceſſionali, hæc vero ſolius ſacerdotis reverentiam altari; at facilis eſt conciliatio, ut videlicet utrique ſit inclinandum reſpective, & genuflectendum prius cruci proceſſionali, quam habent ex adverſo, & ex cujus conſpectu ſe ſubducunt, & poſtea cruci altaris, ante quam tranſeunt. Conſonat hæc expoſitio eidem Rituali, ex cujus præſcripto cum ultra inclinationem cruci proceſſionali, ex cujus conſpectu diſcedit, ſacerdos iterum ſe inclinare teneatur eidem cruci, quando ante eam tranſit, utique & tranſiens ante crucem altaris majoris, huic debebit reverentiam facere. Nil aliud in Rubricis frequentius indictum, quam inclinatio cruci altaris majoris, quoties ante hanc ſacerdoti tranſire contingit, uti & reverentia cuicumque cruci, quam ex adverſo quis habet, & ante eam orat, quoties debet diſcedere, & hoc ſervatur in humanis ipſis, atque civilibus, & aliter facere cenſetur contra virtutem obſervantiæ; quare dubium non eſt, quod ſacerdos ſe debet inclinare cruci proceſſionali, ex cujus conſpectu recedit, & reverentiam facere cruci altaris majoris, ante quam tranſit. Diaconus vero vice inclinationis genuflexionem peraget ex generali illa regula ab ipſo genuflectendi, quoties ſacerdos cruci inclinationem exhibet. Hinc facile habes cauſam, ob quam Diacono, & thuriferario genuflexiones nos impoſuimus erga cruces proceſſionalem, & altaris, quando celebranti incenſum miniſtraturi procedunt.

XVII. Statim Sacerdos habens Diaconum a dextris tenentem per fimbriam, & elevantem ſiniſtra manu anteriorem partem pluvialis, progreditur circumiens feretrum per latus dexterum, ter hoc aſpergens, ſcilicet in pede, medio, & capite, deinde ter aſpergit ſiniſtrum latus, ſed prius in capite, deinde in medio, & pede. Et hoc, ſive cadaver præſens ſit, ſeu abſolutio fiat ad cenotaphium, cum ſolo diſcrimine, quod ſi cadaver ſacerdotis ſit, & præſens, cum tunc caput ſacerdotis ſit verſus altare, a parte dextra primo aſpergitur caput, deinde medium, & pedes, & a parte ſiniſtra prius aſperguntur pedes, poſtea medium, & caput. Facta aſperſione celebrans reddit aſperſorium Diacono, ubi ab eo illud recepit, & ibidem de manu ejuſdem ſine oſculis recipit thuribulum, Diacono a thuriferario ſubminiſtratum, & eodem prorſus modo, quo aſperſit, procedit circumiens feretrum, atque ter ex utraque parte incenſat. *Circumiens tumulum, aſpergit illum*, ait allegata Rubrica, cui conſonant verba Ritualis, *circumiens feretrum, aſpergit corpus defuncti*; hæc autem deſignant nobis, quod aſperſio, & incenſatio fieri non debent a ſacerdote ſiſtente in medio, ſed ab eodem procedente, ac conſequenter non prius in medio, & poſtea in lateribus, ſed prout ſupra monuimus. Rituale ſolummodo aſperſionem, & incenſationem mandat, ſed non trinam, ſed ſupplet memorata Rubrica dicens *ter a parte dextra, & ter a ſiniſtra*.

XVIII.

XVIII. Jam diximus, quod Sacerdos, & Diaconus, dum ad aſpergendum procedunt, debent reſpective ſe inclinare, & genuflectere tum cruci proceſſionali, tum altaris majoris, non ſic vero, quando ad incenſandum incedunt; cum enim tunc crucem proceſſionalem ex adverſo non habeant, nec ab ejuſdem conſpectu diſcedant, ſed accepto thuribulo continuatim ad incenſandum procedant, dictæ cruci nec inclinare, nec genuflectere debent, ſed ſolum cruci altaris majoris, ante quam tranſeunt. Quoties itidem ſacerdos ut ſupra aſpergens, vel incenſans, tranſit ante crucem Subdiaconi, huic ſacerdos *profunde* inclinat, & Diaconus genuflectit; etſi enim de hoc Rituale taceat, præſcribitur tamen aperte a laudata Rubrica. Peracta incenſatione in priſtino ſuo loco ſe reſtituunt, & dubium eſt, an cruci, cuinam, altariſne, vel proceſſionali, aut utrique ſe inclinare, ſeu genuflectere debeant? Hoc ex Rubricis, cum taceant, decidi non poteſt, & varia eſt, ac difformis Eccleſiarum praxis; nos tamen advertentes, quod cum ſe debeant conſtituere aliquantiſper ex parte epiſtolæ, ubi a Rubrica primitus fuerunt collocati, minime tranſeunt ante crucem altaris majoris, adeoque huic reſpective inclinationem, & genuflexionem facere non tenentur, bene vero cruci proceſſionali, ante cujus conſpectum oraturi ſe debent conſtituere. A ſimili hoc eruitur, & adhuc qualitas inclinationis, ſcilicet *profunda*, nam ſacerdos, dum ad altare celebraturus pervenit, juxta Rubricam v. num. 2. Cruci altaris ſe debet profunde inclinare, nunquam vero cruci altaris majoris, niſi quando *ante eam* tranſit, quod reapſe non evenit in prædicto ſacerdote aliquantiſper ſe ſiſtente ex parte epiſtolæ.

XIX. Inclinationis qualitas, nempe *profundæ* innuitur etiam a Rituali, quod *profundam inclinationem* imperat cruci proceſſionali, quando ſacerdos ut ſupra aſperſurus ab illius conſpectu recedit, & eidem cruci ſimiliter *profundam inclinationem* fieri mandat ſæpe allegata Rubrica, quando ſacerdos ante eam tranſit in aſperſione, & thurificatione. Scrupulum quemdam apta eſt ingerere eadem Rubrica, quæ dum cruci proceſſionali *profundam* diſerte jubet inclinationem, & cruci altaris ſolam *reverentiam* abſque expreſſione *profundæ*, videtur diſtinguere inter cruces, ita ut proceſſionali, quæ in hac functione principalius inſpicitur, ſit facienda profunda, ſecus cruci altaris. Verum etſi Rubrica 11. *num.* 1. ſacerdoti committat ſolum *reverentiam* cruci Sacriſtiæ, a qua diſcedit, & cruci altaris majoris, ante quam tranſit, adhuc quia *num.* 2. cruci altaris ad quod celebraturus accedit, *profundam inclinationem* indicit, communiter hinc eruunt Auctores, quod reverentiam, quæ fieri debet cruci Sacriſtiæ, & altaris majoris ſimiliter debet eſſe *profunda*; quidni igitur & ſimiliter nobis licebit arguere ex *profunda* inclinatione, quæ cruci proceſſionali indicitur, ad inclinationem faciendam cruci altaris majoris? *Reverentia* autem eſt nomen genericum, quod ſub ſe habet plures ſpecies, ſcilicet inclinationes omnes, profundam, mediam, & infimam, immo & genuflexionem ipſam, unde ut rite obſervat Gavantus *par.* 2. *tit.* 2. *lit.* a. in Rubricis ponitur juxta ſpecificam ſignificationem, quæ rei convenit, cui indicitur reverentia, & conſequenter cum *num.* 2. reverentia, quæ cruci appropriatur, ſit *profunda*, talis fieri debet a ſacerdote cuicumque cruci, cui facienda mandatur; profunda enim inclinatio non præſcribitur cruci, quia ante eam orari debeat, ſed quia repræſentat Chriſtum crucifixum, quod eſt commune crucibus omnibus. Profunda denique inclinatio importat magnam capitis, & humerorum incurvationem ad differentiam mediæ, quæ fit capitis, & humerorum modica incurvatione, ac infimæ, quæ ſolam capitis expoſcit inclinationem.

XX. *Si tranſit ante Sacramentum, genuflectit*, inquit Rituale de ſacerdote ut ſupra aſpergente, & incenſante, quod debet intelligi, ſive ſacramentum ſit incluſum in tabernaculo altaris majoris, ſive in quocumque alio, ante quod eidem tranſire contingat; Rituale enim ſimpliciter loquitur, & præ cruce id obſequii indubitanter expoſcit realis præſentia Chriſti, ubicumque hic reperiatur. Dubium exurgit, an ſi ſacramentum lateat in tabernaculo altaris majoris, ultra genuflexionem ſacramento fieri poſtea etiam debeat reverentia cruci, cui jam ex præcepto Rubricæ fieri debet? Id nonnulli imperiti præſtant, & favorabilem habere putant Rubricam 11. Miſſalis, quæ *num.* 2. cruci altaris, in quo ſacerdos debet ſacrum facere, profundam inclinationem aſſignat, & poſtea ſubdit: *Si autem in eo ſit tabernaculum SS. Sacramenti, genuflectens debitam facit reverentiam*; hanc autem Rubricam ita intelligunt, ultra genuflexionem, quæ fit SS. Sacramento, cruci altaris debita fieri debeat reverentia, & conſequenter etiam in ſimilibus caſibus omnibus. Diximus *nonnulli imperiti*, quia ut advertunt Tonallius *lib.* 2. *tit.* 2. *rubr.* 2. *num.* 2., aliique, non aſſequuntur Rubricæ ſenſum, nec vim verborum, quibus Rubrica conſtat; non enim *genuflectens*, cum ſit *participium*, *reddit ſenſum*, *quod ſacerdos per* genuflexionem facit *debitam reverentiam*, ideſt, quod in eo caſu genuflexio eſt reverentia per Rubricam præſcripta, & quæ fieri debet, ultra quam nulla alia cruci addi debet. Et revera cum per genuflexionem fiat reverentia Chriſto præſenti, opus haud eſt, quod addatur alia ejus imagini.

XXI. Sacerdos itaque peracta incenſatione, & cruci proceſſionali reverentia præſtita, ſe conſtituit in priſtino ſuo loco, facie verſa ad eamdem crucem, ubi Diacono tenente librum apertum ante eum, ita tamen ut directe non vertat terga eidem cruci, junctis manibus dicit *& ne nos inducas* cum reliquis verſiculis, & oratione. Quod ſacerdos *junctis manibus, & Diacono tenente librum*, prædictas preces debeat dicere, expreſſe in laudata Rubrica XIII. ſtatuitur, in hoc ſolum diſſimili a Rituali, quod hoc ſuſtentationem libri conſignat acolytho, ſeu alteri miniſtro. Attamen Corſettus ſcite nos admonet, quod Rituale ita præſcribit, quia exequiæ multoties aguntur ſine ſacris miniſtris, quo in caſu opus eſt, acolythus præſtet munia, quæ præſtari debent a Diacono, quando intereſt. Hac item de cauſa aliis ſimilibus disjunctivis Rituale ſæpe utitur, commendatque disjunctive acolytho, Diacono, ſeu alteri clerico officia plurima, ut porrectionem aſperſorii, ſublevationem pluvialis &c., quæ ad Diaconum, quando intereſt, privative ſpectant.

XXII. Verſus *A porta inferi &c.* qui prævie ad orationem dicuntur, in ſingulari dicuntur numero, uti & oratio ſequens, quæ inſuper adaptari debet quoad genus maſculinum, vel fœmininum, & cum in eadem habeatur littera *N.*, exprimendum erit nomen defuncti. An autem etiam dignitas? Utique; nam orationi hanc rubricam Rituale adjicit: *Si defunctus fuerit ſacerdos, in oratione dicatur Pro anima famuli tui ſacerdotis, quam hodie &c.*, dum autem ſacerdotalem dignitatem exprimendam edocet, inſimul inſtruit, idipſum eſſe de aliis quibuſcumque dignitatibus, juxta alibi dicta expreſſione dignis. Verum dum Rubrica omiſſa littera *N.* notat *Pro anima famuli tui ſacerdotis*, nonnemini fortaſſe videbitur omittenda expreſſio nominis, quoties exprimitur dignitas. At littera *N.* cum inveniatur in textu orationis, neceſſe non fuit eamdem invehi in Rubricam, cujus mens erat ibibi indicendi expreſſionem dignitatis, ultra quam jam prædicta littera *N.* expreſſionem nominis ubertim indicat.

XXIII. *Finita oratione, corpus defertur ad ſepulcrum, ſi tunc deferendum ſit, & dum portatur, clerici cantant Antiphonam* In Paradiſum. In hanc rubricam plurimi peccant, qui etſi cadaveris ſepultura differenda non ſit, adhuc hoc loco illud ad ſepulcrum minime deducunt, & quod pejus eſt, nihilominus ſuper cadaver in medio Eccleſiæ perſiſtens, cantant Antiphonam *In paradiſum*. Occaſione deductionis corporis ad ſepulcrum alluditur deductioni, quam per Angelos fieri precamur animæ ejus in paradiſum; quare ſi tunc corpus ad ſepulturam non deferatur, illuditur alluſio, & Antiphona fit impertinens, unde ſatis congrue infra per rubricam omitti mandatur; *Quod ſi corpus tunc ad ſepulturam non deferatur, omiſſa reſponſoria* In paradiſum &c.

XXIV. *Cum autem pervenerit ad ſepulcrum, ſi non eſt benedictum, ſacerdos illud benedicit, dicens hanc orationem;* Deus, cujus miſeratione &c. Sepulcra de more eſſe benedicenda, diſerte eruitur ex cap. *de ſepulturis*; & id verum eſt, tametſi Eccleſia, in qua ædificatum eſt ſepulcrum, benedicta jam fuerit, vel conſecrata, tum quia Eccleſia non benedicitur ad uſum ſepulcri, quod ex ſua fundatione non patitur, ſed ſolum ex privilegio, & tolerantia, tum quia adhuc nova adhibetur materia in ædificatione ſepulcri, ſuper quam Eccleſiæ benedictio non cecidit. Secus eſt, ſi pro ſepulcro fiat fovea in cœmeterio, cum hoc in uſum ſepulcri jampridem benedictum fuerit, nec ulla materia ſuperaddatur de novo, ſed tantum humus effodiatur. Quod ſi in cœmeterio conſtruantur ſepulcra, uti fit in clauſtris Regularium, tunc utique iiſdem ratione materiæ novæ benedictio adhibenda foret. Si vero intra Eccleſiam dumtaxat excavetur pavimentum, & ibi cadaver ſepeliatur, vix hoc evenire poteſt ſine ſuperadditione novæ materiæ, qua adhuc non interveniente nos crederemus locum benedici debere, quia materia Eccleſiæ benedicta non eſt in uſum ſepulchri.

XXV. *Dicta oratione, ſacerdos aqua benedicta aſpergat, deinde incenſet corpus defuncti, & tumulum.* Aſſignantur ea, quæ præſtari debent in benedictione ſepulcri, unde ſacerdos memoratam dicat orationem, qua dicta aſpergit prius, & incenſat cadaver, tamquam nobilius, quo ſicut organo ad omnia bona opera uſus eſt Spiritus Sanctus. Deinde aſpergit, & incenſat tumulum, utpote qui nonniſi ratione cadaveris in illum inferendi aſpergitur, & thurificatur. Quod ita intelligi volumus, ut aſperſo cadavere ſtatim aſpergatur ſepulcrum, & hoc incenſetur illo incenſato. An una, vel triplici vice aſperſio, & incenſatio fieri debeant, Rituale non explicat, ſed triplici ductu non dubitarem eſſe faciendas, exemplo ducto ab incenſatione, & aſperſione ſuper feretrum, ſuper cujus quantitatem etſi idem Rituale non explicet, rubrica miſſalis trinam præſcripſit; & præſertim quia triplex hic numerus deſervit in ſignaculum SS. Trinitatis, quo dum viveret, defunctus inſignitus extitit. Quoniam vero aſperſio, & thurificatio modo fieri non debent a ſacerdote circumeunte ſepulcrum, & feretrum, ſed ſtante in loco ſuo, aſperſio, & incenſatio non fiunt ex utraque parte, ſed ſolum ex una, & prius in medio, deinde a dextris, & poſtea a ſiniſtris. Aſperſorium, & thuribulum ſine oſculis miniſtrabitur ſacerdoti a Diacono, & in hujus defectu ab Acolytho, & reſpective elevabitur itidem fimbria pluvialis, dum ſacerdos ut ſupra aſpergit, & thurificat. Ut thuribulum fumigans in promptu ſit, dum eo poſt orationem ſacerdos uti debet, incenſum ante orationem miniſtrante de more Diacono in illud collocabit, benedicetque modo ſolito.

XXVI. *Quod ſi corpus tunc ad ſepulturam non deferatur, omiſſa reſponſoria* In paradiſum &c. Jam diximus, quod finita oratione *Deus, cui proprium eſt*, cadaver ad ſepulcrum deferendum eſt, & quatenus tunc non deferatur, abſtinendum eſt ab Antiphona *In Paradiſum*, nunc aſſignandi forent caſus, in quibus ſtatim cadaver ſepulturæ non debet tradi; hi autem ſunt plurimi, & præcipue ſi nondum congruæ horæ elapſæ

pſæ

Digitized by Google

pſæ ſunt ab expiratione, ſi nondum ſepulcrum perfectum eſt, aut ſi conſtruendus ſit proceſſus circa demortui qualitates &c. Quoties defunctus ad ſepulturam ſtatim defertur, ad ſepulcrum itidem ordinatur proceſſio, in qua ſervantur omnia, quæ ſuperius fieri ſtatuta ſunt, tum circa modum procedendi cruciferi, cleri, ſacerdotis, & miniſtrorum, atque ſiſtendi, tum circa collocationem cadaveris, quod intortitiis circumdatum, manibus attollitur, & ad ſepulcrum deducitur ab iiſdem, qui in Eccleſiam illud intulere, illudque deponitur prope ſepulcrum. In hac proceſſione clerus cantat antiphonam *In paradiſum*, caput inclinat cruci proceſſionali, ſi ante eum cruciferarius tranſeat, & ita ſe collocat, ut congruum relinquat ſpatium celebranti, & miniſtris ejus ante feretrum, & ſepulcrum, quæ ut ſupra debent aſpergi, & thurificari.

XXVII. *Et omiſſa benedictione ſepulcri, ſi jam eſt benedictum*. Quod jam benedictum eſt, ulteriori benedictione non eget, & ideo rite benedictio ſepulcri omittenda præſcribitur, ſi jam fuerit benedictum, ſive poſtea hoc benedictum fuerit illico, ac fuit conſtructum, licet nullum in illud cadaver fuerit illatum, ſeu benedictum fuerit præſente alio cadavere, & in eodem ſepulto. Dignum, quod advertatur redditur, quod omittenda ſolummodo decernitur *benedictio ſepulcri*, unde fit dubium, ſi nihiluſecius cadaver benedici debeat? Quoniam tamen non indicitur hoc loco aſperſio, & incenſatio cadaveris, niſi occaſione, & ratione benedictionis ſuper ſepulcrum habendæ, idcirco ſi ſepulcrum jam benedictum fuerit, omittenda etiam erit aſperſio, & incenſatio cadaveris. Hæc Ritualis verba ſuper iis, quæ modo dedimus, te facile inſtruent: *Cum autem pervenerit ad ſepulcrum, ſi non eſt benedictum, ſacerdos illud benedicit, dicens hanc orationem* Deus &c., *& dicta oratione ſacerdos aqua benedicta aſpergat, deinde incenſet corpus defuncti, & tumulum*, ubi tam orationem, quam aſperſionem, & incenſationem cadaveris, & tumuli ad benedictionem ſepulcri ſatis pertinere denotatur, quæ poſtea omittenda decernitur, ſi ſepulcrum jam eſt benedictum.

XXVIII. *Proſequatur officium ut infra, quod nunquam omittitur*. Omiſſa ut ſupra Antiphona *In paradiſum*, quando cadaver ad ſepulcrum non defertur, & adhuc, quando defertur, omiſſa benedictione ſepulcri, *ſi jam eſt benedictum*, non propterea omittendum eſt reliquum exequiale officium, quod juxta rubricam *nunquam omittitur*. Perſolvitur autem ſuper cadaver juxta ſepulturam poſitum, ſi ad ſepulcrum ſit deferendum, ſin autem, ſuper feretrum in medio Eccleſiæ periſiſtens. Rituale namque, dum in caſu non ſubitæ delationis cadaveris ad ſepulturam, proſequendum judicit officium, quin notet id præſtari debere in tranſlatione cadaveris ad locum, in quo ſervari debet, utique continuandum eſſe deſignat ſuper cadaver in eodem loco conſiſtens. Et quidem ſi cadaver hic aſportandum foret ad locum, ubi ſervari debet, non eſſet ratio omiſſionis antiphonæ *In paradiſum*, cujus alluſio adhuc quadrare poſſet.

XXIX. Nunc videamus, quodnam ſit officium, quod nunquam omittitur: *Et intonat Antiphonam* Ego ſum. Hoc itaque officium, quod omiſſioni non manet obnoxium, incipit ab antiphona *Ego ſum* uſque ad finem precum, quæ in Rituali exaratæ inveniuntur, & a nobis infra fient expoſitæ. Cum præcedenter hic Rituale de ſacerdote elocutum fuerit, dubium non eſt, quod to *& intonat* ejuſdem ſacerdotis facit muneris prædictam intonare Antiphonam, & non cantoris, cui ſuperius intonationem reſponſoriorum committi vidimus. Ante pſalmum de more antiphona dumtaxat inchoatur, & intonatur in cantu Gregoriano ſecundi toni, in quo ſtatim cantores inchoant canticum *Benedictus*, & clerus alternatim illud proſequitur, in cujus fine dicitur *Requiem æternam* cum *Dona ei*, & poſtea integra repetitur Antiphona. Ea quo prævie ad *Benedictus* Antiphona hic dumtaxat inchoetur, & ſubſequenter integra repetatur, perperam nonnulli inferunt ad ſimilia pro eadem Antiphona, quando ad *Benedictus* dicitur intra officium defunctorum, quod ut ſupra nonnumquam exequiis interſeritur; miror enim, illi non viderint rubricam *& duplicantur antiphonæ*, quæ non minus cadit ſuper Antiphonam ad *Benedictus*, quando etiam juxta Eccleſiæ morem in precibus extra officium ritus duplex non ſervaretur, bene in officio, quando eſt ſolemne, ut alibi ponderavimus.

XXX. *Poſtea ſacerdos dicit* Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter. Alterutrum modo Rituale non præſcribit cantum, quem nihilominus bene ſervatum iri credimus, ita ut ſacerdos incipiat *Kyrie*, clerus omnis reſpondeat *Chriſte*, ſacerdos iteret *Kyrie*, & poſtea intonet *Pater noſter*; & hæc oratio, etſi Rituale taceat, de more ab omnibus ſecreto debet proſequi, & *interim ſacerdos corpus aſpergit*, & aſperſionem ejuſmodi debere eſſe trinam, ſcilicet in medio, a dextris, & a ſiniſtris ſine circuitione circa feretrum, ſatis evincunt ſuperius tradita. Facile quis credet, quod aſperſorium de more a Diacono ſubminiſtrari debeat, ſed cum hic in ſuſtentatione libri ſit occupatus, illud accipiet ſacerdos a reſpectivo acolytho, qui & opportune accurret ad elevandam pluvialis fimbriam. Aſperſo corpore ſacerdos dicit: *Et ne nos inducas* cum reliquis verſiculis in ſingulari numero, clero reſpective ad quemcumque reſpondente. Deinde dicit orationem *Fac quæſumus*, pro quocumque agantur exequiæ, cum eamdem abſolute, & indiſtinctim Rituale aſſignet, quin pro altera libertatem faciat, uti præſtat, quando agit de abſolutione ad cenotaphium. Quoniam vero, ſi cadaver fuerit fœminæ, eamdem quidem orationem aſſignat, ſed mutatis mutandis in fœminino genere, conſequenter etiam edocet in plurali numero eſſe uſurpandam, ſi pro pluribus officium fieret, & ſimiliter adaptandas eſſe orationes reliquas, atque verſiculos. Quod ſi inter eos, de quibus officium agitur, adſint fœminæ, etſi hæ ſint numero plures, maſculinum genus erit in uſum, utpote quod aptum eſt recipi pro fœminino, hocque etiam comprehendere, niſi omnes eſſent fœminæ, tunc quippe genus fœmininum foret adhibendum.

XXXI. Deinde ſacerdos admota pectori ſiniſtra manu, cum dextera ſignum crucis faciens ſuper feretrum, dicit *Requiem æternam dona ei* elevante acolytho pluvialis fimbriam, & per clerum reſponſo *Et lux perpetua*, cantores cantant *Requieſcat* in ſingulari numero, & a clero reſpondetur *Amen*. Equidem de cruce ſuper feretrum facienda ad *Requiem æternam*, & de cantando *Requieſcat* a cantoribus Rituale ſilet, ſed id diſerte mandat Rubrica XIII. Miſſalis, cujus diſpoſitionem rationis paritas ad caſum indubie protendit. Quod autem verſus præfati in ſingulari numero dici debeant, dubitationi non ſubeſt, cum taliter in Rituali ipſo exarati inveniantur, nec ſerviant in ultimum vale defunctis omnibus, pro quibus ſubdi debet, quod ſtatim dicemus. Acolythus denique debet ſublevare pluvialis fimbriam, quia Diaconus in ſuſtentando libro ſupponitur impeditus.

XXXII. De more Eccleſiæ, quæ ſemper in fine precum Requiem deprecatur defunctis omnibus, in horum ſuffragium ſacerdos debet ſubdere: *Anima ejus, & animæ omnium fidelium defunctorum &c.*, & a clero reſpondetur *Amen*. An verſus iſte in cantu dici debeat, dubium exurgit, quod Rubrica non obſtante contrario uſu affirmative reſolvere videtur; habet namque: *Deinde a ſepultura in Eccleſiam, vel Sacriſtiam revertentes, dicant ſine cantu Antiphonam* Si iniquitates *cum pſalmo &c.* Dictio *Deinde* juriſperitis interpretibus ſtat pro *deinceps*, ſeu *poſtea*, unde quidem denotat, ſequentia ſine cantu eſſe dicenda, ſed *in cantu* præcedentia, inter quæ & præfatus connumeratur verſus. Crederemus tamen uſum ſubmiſſe dicendi illum cuſtodiri poſſe.

XXXIII. His peractis omnes ordine, quo venerant, recedunt, inclinantes caput cruci proceſſionali, ſi ante ipſos tranſeat, & ſine cantu dicta Antiphona *Si iniquitates*, euntes dicunt pſalmum *De profundis*, & in ejus fine *Requiem æternam dona eis* in plurali numero, cum dicatur in ſuffragium defunctorum omnium, & in horum ultimum vale deſerviat. Antiphona *Si iniquitates* ſolummodo inchoatur ante pſalmum, an autem poſt pſalmum ſit repetenda, ac ſubdenda ſit oratio *Fidelium*, affirmat Baruffaldus *tit. 36. n. 176.* At cum nihil ejuſmodi Rituale notet, licet quoad Antiphonas, & orationes ſemper abunde ſe explicet, nos clerum tali onere gravare non poſſumus, quinimmo convenientius Rubricæ fore credimus, ſi ab earumdem recitatione abſtineat.

XXXIV. Baruffaldus *n. 177.* ſcite notat, quod pſalmus *De profundis* in tranſitu dici debet, nec finiri a clero ſiſtente ante altare majus, habet quippe textus: *Deinde a ſepultura in Eccleſiam, vel in Sacriſtiam revertentes dicant*. Senſus hujus Rubricæ eſt, quod ſi cadaver ſepultum ſit in cœmeterio, tunc præfatus pſalmus dici debet in tranſitu de cœmeterio in Eccleſiam, ſi vero humatum ſit in Eccleſia, in tranſitu de Eccleſia ad Sacriſtiam. Ceterum dummodo preces iſtæ dicantur in tranſitu, nihil referre credimus, ſive clerus tranſeat in Eccleſiam, Sacriſtiam, chorum, aut quemcumque pro opportunitate, aut circumſtantiis alium commodiorem locum; conſulto enim Rubrica utitur disjunctiva *vel*, licet poſtea Eccleſiam, & Sacriſtiam nominet, quia hæc ſunt loca, in quæ regulariter fit ille tranſitus.

XXXV. *Revertentes dicant*, ſunt Ritualis verba, quæ licet cadant ſuper clerum omnem, juxta conſuetum Eccleſiæ morem adhuc debent intelligi, ita ut non ab omnibus ſimul integre preces illæ dici debeant, ſed quod unus, & hic erit ſacerdos, intonet Antiphonam, & clerus alternatim recitet ſequentem pſalmum. Ex clero itaque duplex efformabitur chorus, unus juniorum ſtatim poſt crucem incedentium, ſeniorum alter prope ſacerdotem progredientium, & pſalmus alternatim per verſiculos recitabitur, ſenioribus incipientibus, & junioribus reſpondentibus.

XXXVI. Interea dum clerus recedit, ii, ad quos attinet, ſepeliunt defuncti corpus, nec removentur ſaltem intortitiorum aliqua, donec ſepultura fuerit clauſa. Quod ſi cadaver ad ſepulcrum non fuerit deportatum, intortitia quidem extingui poterunt, ſed nunquam ſine cereo aliquo ardenti debet corpus deſeri, donec tumulatum fuerit. Conſultius autem erit, ſi poſtquam ab Eccleſia receſſerint fideles, aſportetur cadaver in Cappellam aliquam, & ibi ſervetur uſque ad horam ſepulturæ.

AD CAPUT XV.

De Exequiis Adultorum.

APPENDIX.

DECRETUM PRIMUM Cap. In Ord. 475.

An in exequiis Defunctorum Sacerdotum præſente corpore, ſubdiaconus ſe ſiſtere debeat ad caput defuncti Sacerdotis, vel ad pedes juxta opinionem P. Merati? Reſponſum fuit: Servetur Rituale Romanum, & in exequiis Defuncti Sacerdotis præſente corpore locetur crux ad caput defuncti inter feretrum, & altare. S. R. C. 3. Sept. 1746. *in una Maſſæ, & Populoni.*

RUunt itaque, quæ cum Merato, aliiſque nos ipſi dedimus tom. 3. quare ſubdiaconus cum cruce ſe collocare debe-

Digitized by Google

debebit inter feretrum, & altare, & non inter feretrum, & Eccleſiæ januam, quoties exequiæ peragendæ ſunt ſuper cadaver Sacerdotis, quod præſens ſit; ſecus vero, quando præſens non eſt, ſed exequiæ peraguntur ſuper tumulum, ſeu cenotaphium, etſi hoc repræſentet præſentiam Sacerdotis, de quo aguntur. Conſonum undique id eſt Cæream. Epiſcop. ſub Benedicto XIII. noviſſime avulgato.

CAPUT DECIMUMSEXTUM

De Exequiis Parvulorum.

I. PArvulorum nomine veniunt, quotquot nondum attigerunt rationis uſum, quales communiter cenſentur, qui ſeptimum non compleverunt annum, niſi malitia ætatem ſuppleat, quo in caſu non parvulorum, ſed adultorum exequiæ iiſdem adhibendæ forent. Fide certum eſt, quod homo quilibet, etſi ex fidelibus, & ſanctis parentibus progenitus, contrahit originale peccatum, ad quod delendum in nova lege baptiſmum Chriſtus inſtituit, ex quo qui non renatus decedit, Joan. 3. *non poteſt introire in regnum Dei*; unde Eccleſia in parvulis baptiſmum rite exigit; qui enim ſine baptiſmo moriuntur, pœna damni ut minimum plexi veniunt, & a facie Dei in æternum projecti, quare & indigni ſunt Eccleſiaſticis precibus, & ſepultura.

II. *In funere parvulorum ut plurimum non pulſantur campanæ, quod ſi pulſentur, non ſono lugubri, ſed potius feſtivo pulſari debent.* Pro adultis pulſantur campanæ, ut pro eis fideles orent; at cum parvulorum animæ a corporibus vix egreſſæ, cæleſtibus illico perfundantur gaudiis, haud noſtris orationibus indigent, ut propterea pulſari debeant campanæ. Pulſari tamen minime prohibentur, ſed quatenus pulſentur, ſono feſtivo pulſari mandantur ad denotandam lætitiam noſtram ſuper eorum certam ſalutem, ſicuti in adultorum exequiis lugubri ſono pulſatur ad conteſtandum dolorem noſtrum ſuper illorum amiſſionem, maxime cum non ſimus certi de eorumdem ſalute, & inter ſpem dubitemus admodum, quod eos detineant purgatorii pœnæ, quas ægre effugit, qui vitam ſine crimine traduxit. Non tamen crederem textum comprehendere campanarum ſonum ad convocandum ad funus clerum, quem ad effectum campanas conſueto more pulſari poſſe arbitror.

III. *Induitur juxta ætatem*, vel in faſciis ſcilicet cadaver involvitur, aut induitur veſtibus ætati congruis, & juxta ætatem itidem, ſeu corporis magnitudinem collocatur ſeu in parvo feretro, vel ſuper pulvinari. Ab his omnibus removenda ſunt lugubria quælibet, & dummodo quæ adhibentur, in argumentum innocentiæ pueri, virginei candoris, & indefectibilium gaudiorum, quibus ejuſdem anima fruitur, apta ſint deſervire, quilibet pro libito abundare poteſt in adornando puero, aut feretro, vel panno, puta per appoſitionem Angelorum, ſtellarum &c. De cruce, quæ in adultorum manibus ponitur, & de lumine, quo eorumdem corpora non deferuntur, quoad parvulos rituale ſilet, ſed cum illa myſticis, & ſymbolicis innitantur rationibus, quæ de parvulis non minus militant, ſigna ejuſmodi non ſunt omittenda. Ubi itaque corpus de more honeſte compoſitum erit, loco decenti collocabitur cum lumine, & hoc deſignat lucem æternam, quæ in cælis eidem lucet. Si fieri poteſt, in ejuſdem manibus, aut in harum una ponatur parvula crux, quæ ut alba ſit, ex cera componi poterit, & nihil vetat, eamdem varie ornari, pingi, & inaurari. Si in manibus poni nequit, ponatur ſuper pectus ejus, in faſciis, vel in coopertorio bene firmata, & deſervit in ſignum fidei, qua in baptiſmate corpori Eccleſiæ puer aggregatus extitit.

IV. *Et imponitur ei corona de floribus, ſeu de herbis aromaticis, & odoriferis*, & per hæc verba ritualis liber parvulorum capitibus ſpeciale ornamentum decernit, & inſimul cauſam ſubdit *in ſignum integritatis carnis, & virginitatis*. Lavorius *tit. 2. cap. 1. num. 556.* adjicit rationem, aliam, videlicet ut in memoriam revocetur ævi hujus parvitas; flores enim ſpectatiſſima via floreſcunt, & ſuaviter olent, quod & celerrime marceſcunt, & putent peſſime, in quibus propterea apparet probe ævum noſtrum, ac præcipue eorum infantium, qui vix ab ortu tranſeunt ad occaſum. Quicumque flores, ſeu veri, vel ficti ad hanc coronam efformandam adhiberi valent, veri tamen aptiores eſſe videntur, & præcipua allegatæ rationi Lavorii, licet hæc adhuc ſtet integra, in quantum ficti repræſentant veros, & horum loco, qui fortaſſe commode haberi non potuerunt, adhibentur illi. *Seu* eſt dictio disjunctiva, unde facit liberum defuncti caput redimere corona de floribus, aut de prædictis herbis, & hoc fortaſſe ad parentum commodum, ſed nec refragor eamdem hic copulative ſumi poſſe, non ut ſenſus ſit, quod ſit neceſſe coronam & de floribus, & de herbis efformare, ſed quod pro libito de utriſque poſſit effici. Cur vero flores, & herbæ aromaticæ, & odoriferæ prælectæ fuerint, obvia eſt ratio, ut nempe denotetur, quam bene oleat carnis integritas, & virginitas naribus illius Dei, qui virgo uſque ad mortem permanſit, & nedum ex virgine naſci voluit, ſed ex virginis utero abſque ulla partium dilatatione, ac læſione minima integritatis virgineæ carnis proſiluit.

V. Hujuſce coronæ privilegio parvulos dumtaxat rituale donat, ſed quoniam cauſam explicat, ſcilicet *in ſignum integritatis carnis, & virginitatis*, non deſunt uſus plurimi, qui in hoc ſimiliter diſtinguunt fœmineum virginalem ſexum, & qui illud commune faciunt quibuſcumque virginibus utriuſque ſexus, licet adultis, atque decrepitis, quales præſumuntur eſſe, quotquot matrimoniali vinculo uſque ad mortem permanſerunt liberi. Sane Theologi virginibus beatis omnibus indiſcriminatim concedunt aureolam ob reportatam victoriam in præliis caſtitatis, quæ Hieronymus inter omnia Chriſtianorum certamina tamquam *duriora* qualificat, *& in quibus eſt continua pugna, & rara victoria*, & D. Thomas *in ſupplem. quæſt. 96. art. 12.* periculoſiora facit præliis ipſis martyrum: *Pugna martyrum eſt fortior ſecundum ſeipſam, & vehementius affligens, ſed pugna carnis eſt periculoſior, in quantum eſt diuturnior, & magis nobis imminet e vicino.* Si itaque virginali corona donantur parvuli, in quibus carnis integritas donum naturæ eſt, non præmium victoriæ, multo utique magis donandi videntur adulti, qui quod a natura conſecuti ſunt, uſque ad mortem virtutem cuſtodierunt inter duriora, periculoſiora, & diuturniora caſtitatis prælia, quæ cum utrique ſexui ſint communia, commune & eſſe debet præmium reportatæ victoriæ. Quæ procul dubio apparent valida a dicteriis præfatum expurgare uſum, cui ſuffragium adjicit conſuetudo communiter in Eccleſia recepta, ad feretrum apponendi defuncti virtutum ſymbola, quæ inter facile connumerari poteſt prædicta corona, tamquam virginitatis ſignum.

VI. Hæc quoad beatos, qui coronantur a Deo, cujus oculis cuncta ſunt perlucida, nulli errori ſubjacent, ſed quia quoad recens defunctos, de quorum integritate carnis nonniſi præſumptionibus, & his valde dubiis, Eccleſia poteſt eſſe conſcia, maximis errorum periculis manent obnoxia, rite Eccleſia contenta fuit talem honorem decernere parvulis, de quorum integritate certa eſt, & a ſimili pro adultis lege abſtinuit. Quoniam tamen Caſalius *de vet. Chriſt. rit. cap. 66.* meminit antiqui moris apponendi ſuper capita infantium, & fœminarum virginum, licet adultarum, coronam florum, & hac ex Sanctis Patribus redimitas fuiſſe probat Dei Genitricem, Macrinam ſororem Gregorii Niſſeni, aliaſque plures, haud dubitarem ultra parvulos utriuſque ſexus id honoris præſtari poſſe virginibus fœminis, quæ præ viris a natura ipſa in cuſtodiam virginitatis repagula quædam conſecutæ dicuntur. Huc fortaſſe ſpectat, quod Eccleſia ſanctas fœminas, de quibus aliter ſibi non conſtat, titulo & virginum officio ſpecialiter honorat, ubi ſanctos viros nulla virginitatis ratione habita, catalogo confeſſorum indiſcriminatim aggregat.

VII. Dixi *de quibus aliter ſibi non conſtat*, ut quemadmodum eadem Eccleſia ultra uxoratas ex ſanctis fœminis titulo, & officio virginum jure privat illas, quas peccato virginitatis jacturam feciſſe compertum eſt, eaſque adſcribit choro ſanctarum mulierum, ut videre eſt in S. Margarita de Cortona, ita hinc eruatur, corona florum honorandas non eſſe illas, quæ licet nuptæ non fuerint, per notorium peccatum carnis integritatem amiſerunt. Nota tu *per notorium peccatum*, quia per hoc jus deperditur, non per privatum, & quia peccatum non intereſt, quando virgo per vim oppreſſa, ſuæ virginitatis jacturam cogitur deplorare, uti apud Deum virgo permanet, ita apud nos privanda non eſt virginali corona; quam ad rem ſcite S. Lucia Tyranno dixit: *ſi invitam juſſeris violari, caſtitas mihi duplicabitur ad coronam.* Uxoratæ denique non continuo omnes a præfato honore repellendæ ſunt, ſed præ non uxoratis tamquam majori laude, & honore dignæ, excipiendæ veniunt illæ, quas inter matrimonii commoda, faciliorave pericula virginitatis florem cuſtodire validas fuiſſe conſtat; has enim etiam Eccleſia ipſa honorat cultu virginum, & præ illis extollit maxime.

VIII. Unde digreſſi fuimus, redeuntibus illico occurrit nobis, quod in parvulorum funere crux *ſine haſta* deferri mandatur, qua de re *tit. 40. num. 12.* Baruffaldus ſcribit: *Crux, quæ in proceſſione defertur, ſignificat Eccleſiam in hoc mundo peregrinantem, & militantem ſub vexillo Domini, & Ducis noſtri, quod cum non omnino verificetur in infantulis, qui per breviſſimum temporis ſpatium militiam, ſeu peregrinationem in hoc mundo ſuſtinuerunt, ideo brevis eſt crux, quia breve fuit eorum iter in hac terra.* Congruitatis ſpecimen quoddam habet iſta ratio, ſed non ſatis arridet nobis, & fortaſſe minus quadrat caſui; nam cum in brevi ſpatio, in quo infantuli in terris commorati ſunt, inter certamina non fuerint conſtituti, eorumdem vita in veriori ſenſu *militia* dici nequit, quinimmo nec *peregrinatio*, niſi quatenus a patria aberant. Verum quidquid ſit de ratione iſta, nos crederemus magis, quod crux ſine haſta defertur ad denotandum, quod ſolis crucis meritis, & nullis eorum propriis parvuli ſalvi ſunt, unde Eccleſia in oratione *Omnipotens & mitiſſime Deus*, quam inter Exequias eorumdem parvulorum recitat, conſulto ad rem hanc canere creditur: *Qui omnibus parvulis renatis fonte baptiſmatis, dum migrant e ſæculo, ſine ullis eorum meritis vitam illico largiris æternam.*

IX. Pſalmi omnes, qui in ſepeliendis parvulis decantantur, laudis ſunt, & lætitiæ, & in eorumdem fine non precamur eis *Requiem æternam*, qua jam indefectibiliter potiuntur eorumdem animæ, ſed per verſum *Gloria Patri* magis gloriam damus SS. Trinitati, quæ eoſdem pueros ad cælorum regnum miſericorditer vocare dignata eſt, ubi cum Patre, & Filio, & Spiritu Sancto vivent in ſæculorum ſæcula. Ob parvulorum gloriam lætandum eſſe ſatis rituale oſtendit, dum ubi in adultorum funeribus *voce gravi* pſalmos cantandos mandat, parvulorum illos in tono feſtivo exarat, unde nec ambigimus in notis muſicalibus decantari poſſe, licet in exequiis adultorum id maneat prohibitum. Unus eſt pſalmus, ſcilicet *Laudate pueri*, qui

Digitized by Google

qui in tono ſecundo, qui quodammodo lugubris eſt, deſcribitur. Cum pſalmus iſte cantetur in elatione cadaveris, Eccleſia aliquid indulgendum eſſe cenſuit dolori, quaſi illum compatiens, quam in filiorum amiſſione natura inſpirat parentibus, licet hi muniti fide, probe credant illos inter cœleſtia gaudia. Inſimul tamen eoſdem parentes edocet, per filiorum æternam lætitiam demulcendum eſſe luctum, nec contriſtandum, ſicut ceteri, qui non habent fidem, dum ad eoſdem nullo reſpectu habito, in domo ipſa ſuper cadaver pſalmum cantat in tono ſecundo, qui flebilis quidem eſt, ſed diverſas notas habet, quæ non uniſonam vocem formant, nec ſemper gravem, ubi in exequiis adultorum, quorum quilibet, etſi nihil conſcius ſibi ſit, in hoc tamen non juſtificatus eſt, in parentum gratiam ſuper cadaver in domo a cantu abſtinet, & ſubmiſſa tantum voce recitat pſalmum *De profundis*, & nonniſi extra domum cantum incipit, & adhuc in voce gravi, quam licet nos ad ſecundum tonum elongari poſſe diximus, cum tamen in veriori ſenſu apta non eſt ſuſtinere.

X. In virginei candoris ſignum, & lætitiæ argumentum uſus ſtolæ albæ Parocho indicitur in exequiis parvulorum, quos aliqui in illo *Apoc. 7.* deſignatos volunt: *Amicti ſtolis albis*, uti martyres in ſequentibus verbis: *Et palmæ in manibus eorum*. Cerei, etſi eorumdem rituale non meminerit, indubie adhiberi debent; ſunt enim inter cæremonias Eccleſiæ coævas, quibus obſequium exhibetur puerorum membris, olim templis Spiritus Sancti, & inſimul denotetur, eorumdem animas vivere, & immortalitatis dono gaudere, corporeque expectare reſurrectionem, ac fruitionem lucis æternæ, qua jam perfruuntur animæ. Rituale *tit. 33. §. 6.* adultorum corpora, antequam efferentur, interdum aqua benedicta aſpergi mandat, & hic ritus, tamquam qui jam inter exequias ipſas præſcribitur, & deſervit ad expellendos dæmones, ne cadaveribus illudant, utique ſervari poterit, ſecus vero ille, in quo interim pro defuncto fundi tubantur preces, quibus ſicut adulti, non egent pueri, de quibus loquimur.

DECRETUM I. CAPITIS, IN ORDINE CLXXV.

In exequiis parvulorum in feria V. & VI. & Sabbato majoris hebdomadæ poteſt omitti *Gloria Patri* in pſalmis, qui dicuntur, pro conformitate temporis. S. R. C. 16. Janu. 1677. *in Hiſpalen.*

I. UTI in exequiis adultorum, ita in parvulorum pro elatione cadaveris ad domum defuncti ordinatur proceſſio. Præcedit clericus aquæ benedictæ, ſequitur cruciferarius inter ceroferarios, poſtea clerus per ordinem, & ultimo loco Parochus ſuperpelliceo, & ſtola alba indutus, & adhuc pluviali albo eumdem uti poſſe credimus. Una cum clero, vel ſaltem hujus aliquibus, ſi clerus multus fuerit, & cum clerico aquæ benedictæ domum ingreditur, & accepto aſperſorio ter aſpergit corpus, in medio, a dextris, & a ſiniſtris. Deinde ſtatim intonat antiphonam *ſit nomen Domini*, & cantores inchoant pſalmum *Laudate pueri*, clero alternatim in cantu eumdem proſequente. Pſalmus iſte veluti ſtat loco pſalmi *De profundis*, qui in exequiis adultorum dicitur, quare ſicut hic ſuper cadaver ante elationem dicitur, ita ille ante elationem ſuper corpus dici debet. Quod expreſſum magis habes in verbis illis: *Dum portatur ad Eccleſiam, dicatur pſalmus Beati immaculati*; ſi enim pſalmus iſte dicendus eſt, dum cadaver portatur ad Eccleſiam, cum ad hanc ſtatim ab elatione deferatur, conſequens eſt indubium, præcedentem Pſalmum *Laudate pueri* ſuper corpus ante elationem dici debere.

II. Pſalmo *Beati immaculati*, qui per viam dici mandatur, nulla præmittitur Antiphona, neque poſtponitur, quare dum repetitur Antiphona *ſit nomen Domini*, elevabitur cadaver, iſtaque abſoluta cantores mox intonabunt pſalmum *Beati immaculati*, quem clerus alternatim proſequetur uſque ad Eccleſiam. Pſalmus iſte eſt pſalmus 118., qui in ſuo ſinu nedum comprehendit ſequentem pſalmum *Retribue*, ſed etiam pſalmum *Legem pone* cum omnibus aliis, qui in Breviario diſtributi ſunt ad Tertiam, Sextam, & Nonam; quare conſurgit dubium, num integer dici præſcriptus ſit, an vero dumtaxat uſque ad *Retribue*? Videtur, quod totus, quia abſolute, & ſimpliciter indicitur, adeoque cum verſibus omnibus, qui eum complent. Verum cum ut ſupra diviſus, & in plures pſalmos diſtributus habeatur in Breviario, & Romano uſu, ac communi acceptione omnes conſiderentur ut pſalmi diſtincti, & diſtincto etiam nomine ſecernantur, per abſolutam indictionem ſolus pſalmus *Beati immaculati* uſque ad *Retribue* jure venire cenſetur, non autem reliqui, cum quibus in ſacris litteris jungitur, non in Breviario, ex quo clerus illum legit. Accedit, quod a Rituali ipſo *tit. de commendatione animæ* producitur tamquam pſalmus diſtinctus a ſequenti *Retribue*, & fere omnem dubitationem abigit Breviarium, quod *eodem tit. de commendatione animæ* præfatum pſalmum volens integre recitandum indicere, per hæc verba ſe diſerte explicat: *Et totus pſalmus* Beati immaculati *per horas diſtributus.*

III. *Si tempus ſupereſt*, Rituale ſubdit, *dici poteſt pſalmus* Laudate Dominum de cælis *cum aliis duobus ſequentibus, & in fine* Gloria Patri &c. *Si tempus ſupereſt*, ergo integrum non eſt, alterum concinere, ſed nonniſi terminato pſalmo *Beati immaculati*, recitandus eſt pſalmus *Laudate Dominum de cælis*, qui dumtaxat in ſubſidium ponitur. Pſalmus autem iſte dici debet cum duobus aliis, cum quibus in Breviario junctus reperitur, quaſi omnes unus pſalmus forent, quin in cujuſvis fine interjiciatur verſus *Gloria Patri*; ſed hic verſus ſolum additur in omnium fine, uti reapſe in Breviario ſervatur. Quod ſi circa hos pſalmos adeo aperte Rituale ſe explicat, etſi hoc pacto in Breviario deſcripti ſint, quis adhuc dubitat, quod etiam ſe magis explicuiſſet circa pſalmum *Beati immaculati*, qui in Breviario a ceteris ſejunctus habetur, quoties totum dici voluiſſet?

IV. Ad Eccleſiam ſi proceſſio deveniat nondum abſoluto aliquo ex dictis pſalmis, omittitur, quod de pſalmo ſupereſt, & pſalmus concluditur cum *Gloria Patri*, ut in ſimilibus dictum eſt de exequiis adultorum; ſi vero ob itineris longitudinem pſalmi deſint, continuari poterit pſalmus *Beati immaculati* incipiendo a *Retribue ſervo tuo* ſemper interjecto verſu *Gloria Patri*, quoties in Breviario notatur. Cur autem pſalmi hic ſine antiphona dicantur contra conſuetum Eccleſiæ morem, ſcite dixeris, ſi hoc factum putes ad deſignandum parvulorum iter in hoc mundo, quod expers fuit quibuſcumque bonis operibus, & quod ipſi pueri ſalvi facti ſunt ob ſolam Dei miſericordiam, cui propterea concinuntur pſalmi laudis.

V. *Cum autem pervenerit ad Eccleſiam*; ſcilicet cum cadaver Eccleſiam intrat, *dicatur Antiphona*. Sed quæ? *Hic accipiet*; qua inchoata ſtatim canitur pſalmus *Domini eſt terra*, quo abſoluto repetitur antiphona. Poſtea Sacerdus dicit *Kyrie*, clerus reſpondet *Chriſte*, & iterum Sacerdos dicit *Kyrie eleiſon*: *Pater noſter*, qui ſecreto continuatur ab omnibus, & interim Sacerdos corpus aſpergit ter, in medio, a dextris, & a ſiniſtris, quin circumeat feretrum. Abſoluta oratione dominicali, Sacerdos dicat *& ne nos inducas* cum aliis notatis verſibus, ad horum quemlibet reſpondente clero, & deinde orationem recitet. Gavantus *par. 2. tit. 13. lit. b.* aſſignat generalem regulam extra miſſam dicendi orationes manibus junctis, & ideo thuriferarius ad *Kyrie eleiſon* accurret ad ſuſtinendum librum ante Sacerdotem, & ſic vel ipſe, vel clericus aquæ benedictæ pro opportunitate faciet, quotieſcumque Sacerdos debet aliquid ex rituali legere. Feretrum autem collocari debet in medio Eccleſiæ, uti & ceteri omnes ſe conſtituere, quemadmodum diximus agentes de exequiis adultorum.

VI. Abſoluta oratione elevatur cadaver, & defertur ad ſepulturam, & interim præintonata antiphona clerus cantat *Laudate Dominum de cælis*, atque cum duobus pſalmis ſequentibus, quia rituale notat *ut ſupra fol. 61*, ubi cum prædictis pſalmis conjunctus reperitur, unde & cum uno dumtaxat *Gloria Patri* in fine omnium dici debebit, ſicuti ibi cum uno dumtaxat *Requiem æternam* exaratus habetur. Diximus in Decreto 29. præcedentis capitis, quod idem pſalmus in exequiis non debet repeti, unde videre non eſt, quomodo hic præſcribi potuerit pſalmus *Laudate Dominum de cælis*, qui jam in itinere ad Eccleſiam dictus eſſe poteſt. Verum laudato loco diximus, preces itineris ad Eccleſiam quaſi diſtinctam functionem facere, ac alteram exequiarum partem conſtituere a precibus, quæ ſupra corpus recitantur intra Eccleſiam, & ideo tota vis argumenti corruit, cum hic ipſo idem pſalmus in eadem functione, vel in eadem exequiarum parte non repetatur.

VII. Poſt pſalmum integre repetita antiphona, Sacerdos dicit *Kyrie eleiſon*, Clerus *Chriſte eleiſon*, & Sacerdos iterum *Kyrie eleiſon*. *Pater noſter* una cum clero hujuſce orationis proſequendo reliqua. Hic non fit cadaveris aſperſio, ſed congruo tempore Sacerdos alta voce dicit *& ne nos inducas* &c., *Sinite* &c., & *Dominus vobiſcum*, ad unumquemque verſum reſpective reſpondente clero. Ubi in exequiis adultorum dicimus verſum *A porta inferi* deprecantes Deum, ut ab infernali pœna defunctum liberet, & ſubdimus verſum *Domine, exaudi orationem meam*, ut nos exaudiat Deus in laudata prece, in parvulorum exequiis loco verſus *A porta inferi* dicimus verſum *Sinite parvulos* &c., nec ſubdimus verſum *Domine, exaudi*, quia de puerorum æterna ſalute jam ſecuri, non habemus, unde pro ea Deum deprecemur, nec poſtulemus exaudiri, adeoque ſiſtimus in verſiculo, in quo ſecuritatem ſuper ſalute parvuli exprimimus, & tranſimus illico per verſum *Dominus vobiſcum* ad ſalutatione illa antiquiſſima deprecandam Dei ſocietatem circumſtantibus omnibus, pro quibus, & pro ſe ſtatim Sacerdos ſubdit orationem, in qua non pro defuncto, ſed pro iiſdem omnibus precatur. Idipſum eſt de præcedenti oratione, ut eamdem una cum ritu ejuſdem prævio conſideranti patebit.

VIII. In ejuſmodi orationibus dicitur *hujus parvuli*, nec rituale notat mutandum eſſe genus, ſi cadaver fuerit puellæ, unde emergit dubium, an caſu fieri debeat? Ea, quæ dedimus ſuper oratione *Non intres*, ſatis indicant retineri poſſe *parvuli*, præſertim cum in textu deſit littera *N.*, quæ dicit non expreſſionem nominis, licet nec refragemur, immutari poſſe in *parvulæ* juxta morem, quem in aliis orationibus Eccleſia ſervat. Ceterum ſatius eſſe nullam mutationem facere, evincunt ea, quæ late tradimus in capite *de commendatione animæ*.

IX. Parvulorum exequiæ id ſpeciale habent, quod ea, quæ in iiſdem dicuntur, dum cadaver ad tumulum defertur, rubrica non omiſſioni ſubjacent *etiamſi tunc non portetur ad tumulum*, ubi in caſu ſimili in adultorum exequiis mandantur omitti. Quod adultorum exequias tam cauſam dedimus, ob quam omittitur antiphona *In paradiſum*, quia nempe illuderetur alluſio, quæ fit in eadem antiphona ſuper aſportatione cadaveris ad ſepulcrum cum aſportatione animæ defuncti in paradiſum, quam per Angelos in eadem precamur fieri; cum autem in parvulorum exequiis nihil hujuſmodi habeatur, ſed ſolum in tali circumſtantia detur ut ſupra laus miſericordiæ Dei, quæ parvulum

Digitized by Google

lum ad cælorum regnum vocare dignata eſt, idcirco rite dicenda ſtatuitur, tametſi cadaver ad ſepulturam non aſportetur.

X. *Deinde ſacerdos corpus aſperget aqua Benedicta, & thurificet, ſimiliter & tumulum; poſtea ſepeliatur.* Sunt verba ritualis Romani, quæ poſt laudatam orationem corpus aſpergendum, & thurificandum eſſe mandant, antequam ſepulturæ tradatur. Quoniam vero ſimilem aſperſionem, & thurificationem indicit erga tumulum, duo fiunt dubia, & primum eſt, an tumulus ut ſupra aſpergi, & thurificari debeat, ſi jam fuerit benedictus? Ad quod reponimus negative; Ut enim vidimus in Decreto 38. præcedentis capitis ſepulcrum adultorum, ſi jam fuerit benedictum, cum in illo ſepeliuntur cadavera, iterum benedici non debet ex præſcripto ejuſdem ritualis, cujus diſpoſitionis ratio cum æque militet reſpectu ſepulcri puerorum, idcirco nec hoc iterum benedici debebit, ſi jam fuerit benedictum, Rituali ipſo *tit. de exeq. adultor.* diſpoſitionem, quam impræſentiarum facit circa puerorum tumulum, aperte exponente, atque limitante ad caſum jam non benedicti tumuli.

XI. Secundum dubium eſt, an aſperſio, & thurificatio corporis modo præſcribatur occaſione benedicendi tumuli, ita ut ſi tumulus ſit benedictus, ſicut hujus aſperſio, & thurificatio omittitur, ita omittenda ſit aſperſio, & thurificatio corporis? Ita reapſe eſſe videtur ex iis, quæ tradidimus de exequiis adultorum, quorum corpora ſimiliter benedici omittuntur quando omittitur benedictio ſepulcri. Verum benedictionem, quæ ſuper adultorum corpora omittitur in caſu jam benedicti tumuli, ex Ritualis textu adeo diſerte patet non eſſe præſcriptam, niſi occaſione benedicendi tumuli, & omittendam, quoties tumulus jam fuerit benedictus, ut mirer, quod inde quid inferri valeat contra præſentem benedictionem, quæ ex textu magis apparet demandata ratione corporis, quam ratione tumuli. Deinde adultorum corpora adhuc omiſſa præfata aſperſione, intra Eccleſiam bis aſperguntur, & ſemel thurificantur, prima ſcilicet vice aſperguntur, & ſimul thurificantur poſt reſponſorium *Libra*, ſecunda vero vice tantum aſperguntur, quando poſt *Benedictus* ſunt prope ſepulcrum jam jam tumulanda; ſi autem præſens omitteretur aſperſio, & thurificatio, una tantum vice aſpergerentur pueri, & eis penitus denegaretur thuris honor, cujus utique ſunt indubie magis digni, utpote cælorum accolæ.

XII. Liceat nobis aliud excitare dubium, videlicet num dum ſacerdoti in exequiis parvulorum porrigitur aſperſorium, & thuribulum, debeant res porrectæ oſculari, & ſacerdotis manus? Equidem oſcula hujuſmodi cedunt in ſacerdotis reverentiam, ſed quia ſolemnitatem etiam dicunt, quamdamque ſuavitatem important, quæ minus conveniunt dolentibus de proximorum obitu, idcirco illa ab exequiis adultorum, & a defunctorum miſſis repelluntur. Depelluntur itidem a functionibus quibuslibet, in quibus expoſitum patet SS. Sacramentum, ex eo ſolum titulo, quod minus decet ſpecialem reverentiam ſacerdoti exhiberi in præſentia reali Chriſti. Verum cum in caſu noſtro deſit Chriſti ſacramentalis præſentia, nec ſolemnitas, aut ſuavitas incongruant exequiis parvulorum, quæ ſunt lætitiæ, & gaudii plenæ ob pretioſam in conſpectu Domini mortem Sanctorum ejus, nos non videmus, cur præfata reverentia ſacerdoti denegari debeat. Dum autem ſacerdos imponit incenſum in thuribulo, prius debet illud benedicere more ſolito, ſicut jam etiam faciendum eſſe diximus in exequiis adultorum.

XIII. Facta ter, in medio, a dextris, & a ſiniſtris ſine circuitione, aſperſione, & thurificatione, illi, ad quos pertinet, ſepeliunt cadaver, & clerus juxta Rituale a ſepultura revertitur in Eccleſiam, dicens Antiphonam *Benedicite* cum ſequenti cantico. Supponit Rituale puerum tumulatum fuiſſe in cœmeterio, & ideo clerum reverti facit in Eccleſiam; quod ſi ſepultus fuerit in Eccleſia, clerus ut ſupra dicet in receſſu a tumulo, ſed non revertens in Sacriſtiam, uti fit de pſalmo *de profundis* in exequiis adultorum, ſed accedens ad altare majus, ante quod juxta Rituale terminatur canticum, & repetita antiphona, a ſacerdote dicitur *Dominus vobiſcum*, cum oratione *Deus, qui miro ordine* ſub concluſione brevi. Canticum *Benedicite* terminandum eſt ſine *Gloria Patri*; ubi enim unicuique ex pſalmis, qui dicuntur in his exequiis, Rituale poſtponit verſum *Gloria Patri*, illumque dicendum eſſe mandat, nihil ejuſmodi præſtat de præfato cantico *Benedicite*, prædicti verſus omittendi argumentum evidens juxta Eccleſiæ morem in laudibus officii divini, & maxime quia jam ſuperfluit, cum ejuſdem loco ſtet verſus *Benedicamus Patrem, & Filium &c.* qui prope finem ejuſdem cantici dicitur, & in quo laus Trinitati datur.

XIV. Quod poſt orationem addi debeat verſus *Dominus vobiſcum* cum verſu *Benedicamus Domino*, & verſu *Fidelium animæ*, nonnemini videri poteſt, cum verſus iſti deſerviunt in complementum orationis ultimæ, & quia alias in fine non precaretur Requies defunctis omnibus contra conſuetum Eccleſiæ morem. Verum cum nihil Rituale ſubdat, quod indubie non prætermiſiſſet, ſi ſubdendum foret, credendum eſt nihil ſubdi voluiſſe ad denotandum breve parvulorum iter, & ſine ſequela operum. Ad idipſum fortaſſe reſpexit, dum poſt ultimam orationem ante cleri diſceſſum nihil pariter ſubdit, etſi in exequiis adultorum adjiciat ℣℣. *Requiem æternam &c.*

XV. Ex eo, quod canticum *Benedicite*, quod ſtat loco pſalmi *De profundis* relate ad exequias adultorum, dicatur cum repetitione antiphonæ, & oratione ſiſtendo ante altare majus, ſimiliter in exequiis adultorum faciendum eſſe de pſalmo *De profundis*, nonnulli inferunt, ſed adeo clara eſt diſpoſitio Rubricæ, quæ pſalmum *De profundis* in tranſitu ad Eccleſiam, vel Sacriſtiam dici mandat, ut dubitandi locum nullum relinquat, ſicuti ſuo loco late expoſuimus, ubi & vidimus, quod ſine repetitione Antiphonæ, & oratione dici debet. Cur vero ita diſpoſitum fuerit, difficilius eſt ſtabilire, licet fortaſſe dici poſſit, quod præfatum canticum in exequiis parvulorum ante altare majus finiri præſcriptum eſt, quatenus præcipue ibi fulget crux Chriſti, cui laus datur propter parvulorum gratuitam glorificationem, & ideo etiam cum repetitione Antiphonæ, & oratione, ad denotandum, quod ob talem gratiam abundandum eſt in Dei laudibus, ſeu quod in his nunquam ſatis effundi poteſt. Cum vero pſalmus *De profundis* non dicatur in exequiis adultorum, niſi ad dandum ultimum vale defunctis omnibus, neceſſe non fuit repetere antiphonam, & orationem addere, quia jam conſueto uberius vale iiſdem datur in præfato pſalmo, qui cum non dicatur in Dei laudem, ſed in defunctorum ſuffragium, nec ſpecialiter ante altare majus recitari, aut finiri neceſſe erit.

XVI. Haud dubitamus, quod Decretum 2. cap. 15. dum inhibet in ſecundo triduo majoris hebdomadæ celebrari exequias defunctorum, jubetque officium, & preces recitari privatim, diſpoſitionem faciat de exequiis adultorum, ſed quoniam nedum diſpoſitionis ratio, quam ibi produximus, æque procedit de exequiis parvulorum, ſed hæc inſuper ſola ratio a prædicto triduo potis eſt eas depellere, quod feſtivæ ſunt, adeoque incongruæ tempori, proculdubio præfatum Decretum extendendum eſt etiam ad exequias parvulorum, ita ut in eo triduo celebrandæ ſint privatim, ſine cantu, & ſubmiſſa voce. Quo in triduo præſens Sanctio nos edocet, quod pro conformitate temporis omitti poteſt *Gloria Patri* in pſalmis, qui dicuntur in iiſdem exequiis.

XVII. Nota ro *poteſt*, quia cum ſint preces extra divinum officium, & ut ſupra privatim, & ſubmiſſa, quinimmo ſubmiſſiſſima voce recitandæ ſint, ut dicemus illico, nihil eſt, quod vetet in iiſdem dici verſum *Gloria Patri*. Evidentius id redditur ex noviſſimo quodam Decreto ſub datum 15. Maii 1745., quod reprobandum non eſſe ſtatuit Parochum, qui infirmis SS. Viaticum defert feria 6. in Paraſceve, dummodo private, & ſubmiſſa, quinimmo ſubmiſſiſſima voce recitet pſalmos conſuetos per vias publicas, etiamſi dicat verſum *Gloria Patri &c.*, quia in tali circumſtantia actio talis nihil habet eſſe cum functionibus Eccleſiæ hujus diei, & conſiderandum eſt, quod defertur cum ſtola, atque pluviali albi coloris, quando in feria ſupradicta color paramentorum eſt niger pro Eccleſiæ functionibus. Hucuſque Sacra Congregatio, cujus Decretum e ſimili nos edocet, ro *poteſt* præſentis ſanctionis ita exponendum eſſe, ut in exequiis parvulorum omitti quidem poſſit verſus *Gloria Patri* pro temporis conformitate, ſed quod non minus dici poteſt. Indubie dici debet in Sabbato ſancto a tempore celebratæ miſſæ ad veſperum, tunc enim temporis conformitas magis exigit verſum *Gloria Patri* in fine eorumdem pſalmorum, nec excludit hilares, & feſtivas parvulorum ſolemnes exequias, licet ſub veſperum crederemus congruentius reſervari, quia licet feſtivæ ſint, indiſpenſabiliter tamen ingerunt mortis memoriam, quæ fortaſſe minus congruit tempori illi, quo Chriſtianus populus in lætitia totus eſt ob operatam Chriſti a mortuis reſurrectionem.

XVIII. Hæc eſt cauſa, ob quam exequias hujuſmodi a die Sancto Paſchæ, & Dominicæ Nativitatis depellendas eſſe credimus, vel ſaltem ſub veſperum differendas, in aliis vero quibuſcumque diebus eaſdem admittimus, dummodo ea adhibeatur cautio, ut parvulorum cadavera non inferantur in Eccleſias, quando divina celebrantur officia, aut interturbetur feſtivitas aliqua, quæ in ſepulturæ Eccleſia maxime ſolemnis habeatur, quo in caſu differri poterunt ſub veſperum. Quoties vero in Eccleſia ſepulturæ SS. Sacramentum publicæ adorationi pateat, ſerventur ea, quæ dedimus exponentes præfatum Decretum 2. cap. 15.

DECRETUM II. CAPITIS, IN ORDINE CLXXVI.

Parvulorum ſepulcrum ab aliis debet eſſe ſeparatum. S. R. C. 12. Dec. 1620. *in Civitat. Caſtellan.*

I. EN Ritualis textum: *In primis admonendi ſunt Parochi, ut juxta vetuſtam, & laudabilem Eccleſiarum conſuetudinem, Parvulorum corpuſcula non ſepeliantur in communibus, & promiſcuis cœmeteriorum, & Eccleſiarum ſepulturis, ſed ut pro illis in Parochialibus Eccleſiis, aut illorum cœmeteriis, quatenus commode fieri poteſt, ſpeciales, & ſeparatos ab aliis loculos, & ſepulturas habeant, ſeu fieri curent, in quibus non ſepeliantur, niſi qui baptizati fuerint infantes, vel pueri, qui ante annos diſcretionis obierunt.* Corpuſcula ſunt iſta, quorum animæ in terris nulla peccati macula coinquinatæ fuere, & nunc in cælis certe aſtant ante Deum, paradiſi gaudiis in æternum fruituræ, unde decens viſum eſt miſcenda non eſſe eum corporibus adultorum, quorum animæ labe peccati facile maculatæ fuere, nec certum eſt, quod cæleſtibus imbutæ ſint gaudiis; uti enim illorum animas unus tenet locus, ita convenit, quod eorumdem corpora ſepultura non ſeparet.

Digitized by Google

DECRETUM III. CAP. IN ORDINE CLXXVII.

Parvulorum corpora poſſunt ſepeliri, etiam in Eccleſiis Regularium, ſi ibi eſt ſapulcrum majorum, vel concurrente conſuetudine, ſi ibi pater eligat ſepulturam. S. R. C. 12. Dec. 1620. *in una Civit. Caſtell.*

I. LImitat præcedentem Sanctio præſens, & primo, quod parvoli ſepeliri queant in ſepulcro majorum ſuorum, in quo jam ſepeliuntur quicumque abſque electione ſepulturæ decedunt; unde Gloſſa in tit. 28. de ſepulturis cap. 7. *Si conſuetudo non repugnat, ſepeliuntur in ſepulcro majorum ſuorum.* Urſaya *to. 3. par. 1. d. 23.* id limitat, ſi ſepulcrum fuerit hæreditarium, ſed hæc diſtinctio corruit, ſi tale ſepulcrum, licet hæreditarium, majores cœperint, aut intendant adhibere: tunc enim ſepulcrum illiud illico eſt majorum ſuorum, a quibus infantes invitis parentibus ſeparari non poſſunt, maxime ſi & ipſi ibi ſepeliri intendant.

II. Secunda limitatio eſt, ſi concurrente conſuetudine pater ibi eligat ſepulturam. Habetur in eodem titolo, & capite: *Utrum autem pater quo magis voluerit, minores filios valeat ſepelire, non invenimus a Sanctis Patribus diffinitum, & propterea terræ conſuetudini decernimus relinquendum.* Subdit Gloſſa: *& licet non ſit diffinitum, videtur tamen, quod filie poſſit eligere ſepulturam, quia poteſt ei facere teſtamentum. Inſtit. de pup. ſub. §. igitur. Quod poteſt concedi, dummodo & ipſe ſibi eligat ſepulturam, tamen conſuetudini loci relinquendum eſt, ut hic dicitur.* Idipſum ſentit Hoſtienſis, nec aliter, quam exponimus, firmat Sanctio; quare ſi impubes patrem non habeat, aut conſuetudo reſiſtat, ſepeliendus erit in Parochiali Eccleſia; crederemus tamen etiam reſiſtente conſuetudine ſepeliri poſſe in ſepulcro majorum ſuorum, quia ad id Sanctio ſuffragium conſuetudinis minime expoſcit, ſed ſolum quatenus de electione patris in alio ſepulcro ſepeliri deberet. Recole tamen ulterius tradenda in Decr. 3. & 7. ſequentis capitis.

CAPUT DECIMUMSEPTIMUM.

De Sepultura Eccleſiaſtica.

I. DIcitur ſepultura Eccleſiaſtica, quando cadaver tumulatur in loco ad ſepulturam ab Eccleſia deputato, & benedicto, idque adhibitis certis ritibus, cæremoniis, & precibus, quæ & ad ſolatium proſint vivorum, & ad memoriam, ac utilitatem conducant defunctorum. Neque enim ob id Chriſtiani defunctos ſepeliendos cenſent, quod cum Ethnicis neceſſariam ſepulturam arbitrentur, ut animæ quieſcant, juxta Virgilii *Æneid. 6.* fabulas; neque idcirco ritus adhibent, quaſi ineſſe iis poſt mortem ſenſum aliquem putent, ſed ob multas commoditates, quæ exinde proveniunt tam ad viventes, quam ad ipſos defunctos. Bellarminus *lib. 2. de Purg. cap. 19.* quadruplicem tum vivorum, tum mortuorum utilitatem recenſet. Sepultura utilis eſt vivis. 1. quia per hanc arcetur fœtor, & horror cadaverum, quæ non parum vivis nocerent. 2. quod eo ſtudio teſtentur vivi reſurrectionem futuram, & animarum immortalitatem, alioquin quid ita diligenter corpora curarentur mortua? 3. admonentur propriæ mortis, hinc tituli defunctorum monumenta dicuntur. 4. ſatisfaciunt aliquo modo affectui ſuo, quo proſequuntur defunctos, & in hoc ſenſu ſepulturæ pompam Auguſtinus nuncupat ſolatia vivorum. Cæterum ſepulturæ officium eſſe ſanctum, meritorium, opuſque miſericordiæ, ex Sacra Scriptura paſſim eruitur, unde *Tob. 12.* Sepultura connumeratur inter opera Tobiæ meritoria; *2. Mach. 12.* laudatur Judas Machabæus, quod interfectos in prælio honeſte ſepeliri, preceſque, & ſacrificia pro eis offerri juſſerit; *Matth. 11.* commendatur pietas diſcipulorum, quod Joanne Baptiſta in carcere decollato, venerunt, & tulerunt corpus ejus, & ſepelierunt illud; & *Matth. 27., Joan. 19., Marci 16., & Luc. 23.* Nicodemi, & Joſephi ab Arimathia circa Chriſti corpus ſepeliendum pietas, & religio diligenter commemoratur. Quæ ſugellet, quod dicitur 2. Reg. 2. *Benedicti vos a Domino, qui feciſtis miſericordiam hanc cum Domino veſtro Saul, & ſepeliſtis eum, & nunc retribuet vobis Dominus*; ex his enim facile eſt eruere potiorem, & ſpiritualem utilitatem, quæ ex mortuorum ſepultura vivis obvenit.

II. Utilis eſt mortuis. 1. quia conſulitur honori eorum, adhuc in hominum memoriis viventium; non enim caret ignominia quadam, quod fœditas noſtri corporis aliorum conſpectibus pateat; quocirca non levis pœna judicatur, cum quis a judice privatur ſepultura, & jubetur in patibulo, aut rota pendens eſſe avium eſca. 2. Satisfit deſiderio eorum, quod dum viverent, habuerunt; nemo enim eſt, qui carnem ſuam odio habeat *Epheſ. 5.*, & ideo quiſquis, dum vivit, cupit aptam poſt mortem corpus ſuum honeſte tractari; immo credibile eſt, animos corpore ſolutos, cupere, ut corpora eorum honeſte habeantur, ſicut etiam cupiunt ad ea reverti, ut docet Auguſt. *lib. 12. de Gen. ad litt. cap. 35.* Tertia utilitas naſcitur ex eo, quod a multis deducuntur ad ſepulcrum, unde & multorum orationibus juvantur. Auguſtinus *lib. de cura pro mort. cap. 4. & 5.*, & Gregorius *lib. 4. Dial. cap. 50.* inſinuant quartam, nimirum quod amici, & proximi, dum ad ſacra loca aſcedunt, ſuorum, quorum ſepulcra conſpiciunt, recordantur, & pro eis preces fundunt ad Deum, eoſque commendant patrocinio Sanctorum, in cujus ædibus ſunt ſepulti; & hæc profecto eſt ex cauſis præcipua, qua permoti fuere fideles, ut locum ſepulturæ in Sanctorum templis aligerent, & prope corpora ſanctorum martyrum, quemadmodum rite probat Trombelli *de cultu ſanctor. tom. 1. part. 2. cap. ult.*

III. Celebre eſt caput *Fraternitatem* de ſepulturis *lib. 3. Decr. tit. 18.* cum enim quidam civis Januenſis, cujus majores ab antiquis temporibus habebant ſepulturam apud Monaſterium S. Stephani, apud aliam Eccleſiam ſepeliri elegiſſet, orta eſt quæſtio de corpore illius, & delata Papæ, qui reſcripſit Archiepiſcopo Januenſi, ab antiquo fuiſſe diſpoſitum apud monaſteria, & loca religioſa corpora defunctorum debere ſepeliri, in quibus orationes, & miſſarum ſolemnia frequentius celebrantur; unde qui volunt ibi ſepeliri, non eſſe eis contradicendum. Qui vero relinquunt antiquas Eccleſias, & ſepulturam patrum, & aliorum parentum ſuorum, & ad nova, & minus religioſa loca ſe transferunt, contra antiquam inſtitutionem ſanctorum Patrum facere dignoſci; unde ſi prædictus civis Januenſis contra conſtitutionem, vel conſuetudinem iſtam antiquam, & rationabilem corpus ſuum ſepeliendum mandavit, hoc non præjudicare rationi, ſed viribus diſpoſitionem ejuſdem tamquam illegitimam debere carere, & ideo mandat, quatenus corpus ipſius reddi faciat Monachis S. Stephani, & cum patribus ſuis ſepeliri.

IV. Hinc conſequens fit, quod qui majorum antiqua relicta, novam ſibi eligit ſepulturam, magis religioſam debet eligere, ſicuti qui de una religione tranſit ad aliam, ad ſtrictiorem tranſire debet, quidquid ſcripſerint nonnulli, qui ut prædictum textum a correctione vindicent, violentas admodum eidem explicationes adhibent. Satius itaque erit, libere dicere, quod per cap. *Cum quis* de ſepult. in 6. præfata diſpoſitio in eo caſſata fuit, quod ut libertati ſepulturæ plene conſuleretur, cuilibet integrum nunc eſt, in quocumque loco, etiam minus religioſo, ſepulturam eligere; quid enim aliud volunt ea verba: *ſi quis antiqua dimiſſa, novam etiam in loco minus religioſo elegerit ſepulturam, electionem hujuſmodi (licet jura ſuper hoc videantur eſſe diverſa) nequaquam volumus impugnari.*

V. Quæ licet ita ſint, integra adhuc ſtat ejuſdem capitis ratio, quæ cautius eum, qui ſepulturam eligit in loco magis religioſo, agere deſignat, ſepulturamque hujuſmodi mortuis ipſis magis eſſe proficuam. En, quam profert, rationem *Quia in eis orationes, & Miſſarum ſolemnia tam pro vivis, quam pro defunctis frequentius celebrantur.* Occaſione divinorum proximi, & amici frequentius confluunt ad loca magis religioſa, & ſepulcrorum aſpectus memoriam ibi ſepultorum iiſdem facile ingerit, eoſque excitat ad fundendas preces pro eis ad Dominum, ut rita eruitur ex cap. *Cum gravia 13. q. 2.* In univerſo quidem mundo fiunt orationes communes pro omnibus defunctis, ſed præ communibus plus proſunt ſpeciales, quæ fieri ſolent in Eccleſiis pro ibi ſepultis; quara cum in locis magis religioſis frequentius orationes, & Miſſarum ſolemnia habeantur, dubium non eſſe poteſt, quin ibi ſepulti magis juventur. Huc fortaſſe reſpexit cap. *Ubicumque* 13. q. 2., in quo Concilium Tribnrien. ſtatuit, ut ſi fieri poſſit, primo quis ſepeliatur in Eccleſia Epiſcopali, deinde in Eccleſiis Monaſteriorum, tertio in plebibus, ſeu capellis, ubi decimæ perſolvuntur. Verum opus non eſt plura dicere, cum propter eamdem rationem plurium precum, & orationum Auctores omnes conveniant fructuoſiorem eſſe ſepulturam in locis frequentioribus; quid autem hac in re ſpeciale habeant Regularium Eccleſiæ, in Decreto 17. examinare reſervamus.

DECRETUM I. CAPITIS, IN ORDINE CLXXVIII.

An liceat in Eccleſia Confraternitatum habere ſepulcra, & reſpective poſſint cadavera tumulari abſque licentia Parochi, & in præjudicium jurium parochialium? Sacra Congr. Concil. reſpondit: Licere habere ſepulcra accedente licentia Epiſcopi, & poſſe in ais cadavera tumulari, ſi eligatur ſepultura, abſque licentia Parochi, ſed ſalvis juribus parochialibus. Die 10. Maii 1727.

I. PArochialibus Ecſleſiis de jure communi jus ſepulturæ, vix eſt, qui deneget, iiſdemque aperte conceditur a Clem. *Durum §. Verum.* Non ita eſt de Monaſteriis, quibus quidem Abbas a jure communi concedi cenſet jus ſepulturæ relate ad ſuos, & ad populum, ſi hunc forte habeant, ſed nonniſi ex privilegio exteros tumulare poſſe, ſi careant populo. Hujuſce opinionis non leve argumentum ſuppeditat d. Clem. *Dudum*, in qua Mendicantibus per privilegium fit jus ſepulturæ; fruſtra autem ex privilegio impetratur, quod jure communi conceditur.

II. Operæ pretium eſt ex cap. *Fraternitatem* ea verba in medium producere: *Mortuorum ſepulcra, & cæmeteria apud illas Eccleſias, & Monaſteria ex antiquo eſſe diſpoſita, in quibus religioſorum fratrum conventus ſunt conſtituti* &c. Fagnano enim interprete *in 1. par. lib. 3. Decretal. in d. cap.* illa verba *ex antiquo eſſe diſpoſita* magis videntur referenda ad jus commune, & ad diſpoſitionem, quæ fit per viam legis, quam per viam privilegii. Unde Abbas deprehenditur nimis reſtringere litteram, quæ generaliter loquitur de Monaſteriis, & fundare ſe in divinorum frequentia. Ad rem proculdubio apprime confert cap. *Ubicumque 13. q. 2.*, ubi Concilium Triburien. ſtatuit, ut ſi fieri poſſit, primo quis ſepeliatur in Eccleſia

cleſia

Digitized by Google

cleſia Epiſcopali, deinde in Eccleſiis Monaſteriorum, tertio in plebibus, ſeu cappellis, ubi decimæ perſolvuntur. Abs re quoque non eſt cap. *Agapitus* 16. q. 1., ubi Gregorius arguit Epiſcopum de Urbe Veteri, quod inhumaniter prohiberet miſſas celebrari, & mortuos ſepeliri in Monaſterio S. Gregorii, juberque, ut hoc de cetero permittat abſque ulla contradictione. Non deſunt, qui textum exponunt de Monaſterio habente populum, ſed errant in facto, quia Monaſterium S. Gregorii caret populo. Futile autem eſt, quod ex Clem. *Dudum* producitur, quia privilegium Mendicantium non fuit inutile, quia jus antiquum erat dubium propter varietatem opinionum.

III. Sepulturæ jure gaudent Eccleſiæ aliæ, ſed ex privilegio, quod ſi eſt Apoſtolicum, nulli dubitationi ſubjacet, ſi vero eſt Epiſcopale, de eo nonnulli ambigunt ob d. Clem. *Dudum* §. *Hujuſmodi*. Communius tamen Auctores approbant, quod etiam Epiſcopus valeat id privilegii facere ex cap. *Bon.* 12. q. 2., dummodo id præſtet dimiſſa Parochiali Eccleſiæ Canonica portione. Nunc præſens Sanctio quodlibet dubium edimit, dum *accedente licentia Epiſcopi* Confraternitatibus licere ſtatuit habere ſepulcra; quod & prius ſancitum fuerat in Romana Oratorii 13. Janu. 1698. apud Antonellum deciſ. 17. Hoc autem ipſo, quod ex diſpenſatione Epiſcopi Confraternitas jus ſepulturæ habet, jam quiſque videt quod abſque licentia Parochi tumulare poteſt cadavera illorum, qui inibi ſepulturam elegerunt; inferior enim, qualis eſt Parochus, tollere non valet, nec impedire, aut limitare privilegium a Superiore conceſſum.

IV. *Sed ſalvis juribus Parochialibus*, quæ ſunt, ut Parochus aſſiſtere debeat, ſi tumulandus ſit illi ſubjectus, vel adhuc extet, quatenus ita ferant Synodi, conventiones, aut pacta, conſuetudove immemorabilis, vel centenaria. Inter jura parochialia connumerantur itidem cerei, aliæque eleemoſynæ juxta præſcriptum conſuetudinis, & Synodorum, ad quas in materie funerum potiſſimum eſt habenda ratio. Eccleſiæ enim inter Parochiæ limites conſtitutæ, ex cap. *finali de offic. Archid.* Parochiali dumtaxat ſubſunt quoad jura Parochialia, & quatenus Parochialis magis exigat, ipſi incumbit jus probandi titulum juxta cap. *Dilectus de Cappellis Monach.*

DECRETUM II. CAPIT. IN ORDINE CLXXIX.

An in ſepulcro Confraternitatis in propria Eccleſia ſito, ſepeliendi ſint Confratres, qui ſine ſepulturæ electione decedunt? Reſp. negative. Congr. Concil. 13. Febr. 1666.

I. Lis erat, cuinam Eccleſiæ deberentur cadavera Confratrum non electa ſepultura decedentium, & in duas partes ſciſſi erant Auctores, quorum aliqui ea adjudicabant ſepulcro propriæ Eccleſiæ, alii vero communius pronunciabant in favorem Eccleſiæ Parochialis. Nunc prima reprobatur opinio, deciditurque ſepelienda non eſſe in propria Eccleſia, ſed in qua poſtea eadem tumulanda ſint, Sanctio non explicat, licet ſtatim ſubintret jus commune, quod illa adjudicat Eccleſiæ Parochiali, dummodo non habeant ſepulcrum ſuorum majorum, cujus jus præponderat jura Parochialis Eccleſiæ, ut infra dicemus. Eccleſiæ Parochiali, cui de jure debentur, duplici de cauſa dumtaxat auferri poſſunt, quarum prima eſt ſepulturæ electio, & in caſu ſaltem formalis non interceſſiſſe ſupponitur; an autem interpretativa, non crederem; non enim lex ulla eſt, aut conſuetudo, quæ Confratrum cadavera adjudicet ſepulcro propriæ Eccleſiæ; & licet nonnulli id ſentiant, Auctorum tamen pars potior in favorem Parochialis pronunciat, quare per meram aggregationem ad Confraternitatem in hujus ſepulcro nec interpretative, nec tacite Confratres ſepulturam elegiſſe cenſentur.

II. Sepulcrum majorum eſt ratio altera, & tale indubie non eſt Confraternitatis ſepulcrum, & quidem tametſi vi electionis in eo plures ac majoribus intumulati forent; adhuc enim tale ſepulcrum eſt commune Confratribus omnibus, nec alicui familiæ proprium evadit. Opponi poſſet privilegium ab Epiſcopo factum ſuper ſepulcro Confratrum, ſed privilegium hujuſmodi in eo ſiſtit, quod in Eccleſia Confraternitatis erigi queat ſepulcrum, in quo tumulari valeant, quotquot ex Confratribus inibi ſepulturam eligunt, unde tam præcedens Decretum, quam Decretum 34. cap. 15. electionem ſepulturæ expoſcunt, ut in ſepulcro propriæ Eccleſiæ Confratres ſepeliantur.

DECRETUM III. CAPITIS, IN ORDINE CLXXX.

Sepulturam eligere licet parentibus in quacumque Eccleſia voluerint, etiam Regularium, pro eorum filiis minoribus, qui ad annos pubertatis nondum pervenerint, nec a parochis locorum impediri poſſunt, aut debent, præſertim ſi in dictis Regularium Eccleſiis ſepeliri conſueverint, vel in eis habeant ſepulcrum majorum. Congr. Ep., & Reg. 20. Janu. 1640.

I. Abſolutæ diſpoſitioni Decreti non officit dictio *præſertim*, quæ cum de ſui natura dumtaxat denotet majorem eſſe rationem in caſu poſito, ſenſum reddit, quod quidem parentes poſſunt ut ſupra eligere, ſi aut eligant Eccleſiam ſepulcri majorum, cui jam debentur cadavera decedentium ſine electione ſepulturæ, vel Eccleſiam, in qua cum ſepeliri conſueverint, inſtar ſe habet Eccleſiæ ſepulcri eorumdem majorum, ſed non propterea inferri poteſt, quod idem juris non ſit in ſuo poſitivo, ac conſequenter quod integrum non ſit parentibus pro filiis minoribus ſepulturam eligere in quacumque Eccleſia voluerint.

II. Fœminæ in anno duodecimo puberes, & in quartodecimo mares ſecundum jura conſtituuntur, unde parentum ut ſupra eligendi facultas in dictis reſpective annis expirat; Caput enim *Licet pater* de ſepult. in 6. minores filios facultate eligendi ſepulturam privat, antequam ad annos pubertatis pervenerint, eaque eoſdem donat, quando in præfatis annis ſunt conſtituti, quare fœminis prædicta facultas denegari non poteſt in anno duodecimo, ſi in eo annos pubertatis aſſequuntur, & ſic reſpective de maſculis. Quod ſi malitia ſuppleat ætatem, uti tunc cenſetur pubertas anticipari, ita & anticipabitur facultas eligendi ſepulturam, & in parentibus pro filiis expirabit.

III. Huc uſque tradita confirmat Decretum aliud (ſit 4. cap. in ord. 181.) eiſque una limitationem adhibet. *Pater poteſt eligere ſepulturam pro filiis impuberibus in vita, non poſt mortem eorum. Congr. Ep., & Reg. 27. Oct. 1587. & 6. Decr. 1641., ac 6. Junii 1659.* Parentes eligunt vice filiorum, qui ab eligendo repelluntur, unde ſicut filii, ſi non repellerentur, ſolum in vita poſſent eligere, ita & parentes pro ipſis, quorum loco ſubrogantur. Equidem d. cap. *Licet* facultatem ſimpliciter elargitur patri, quin diſtinguat de filio impuberi vivo, vel mortuo; ſed quoniam hinc derivat præjudicium tertii, Eccleſiæ nempe Parochialis, vel illius, in qua eſt ſepulcrum majorum, ſtricte ut ſupra eſt exponendum, maxime cum auctoritativa acceſſerit Congregationis interpretatio. Nec dicas, quod patri æque debent eſſe cura de filio vivo, ac mortuo, quoniam de filio mortuo ſaltem quoad ſepulturam jam jura diſponunt, eumque adjudicant vel Eccleſiæ Parochiali, vel ſepulcro majorum. Haud tamen negaverim, quod ſi alicubi conſuetudo vigeat eligendi ſepulturam etiam pro filio mortuo, ea tueri valeat, nonnulli namque etiam pro filio vivo prædictam facultatem parentibus conſuetudo tribuit, ut dicetur infra.

IV. *An etiam mater* (erit Decr. 5. cap. in ord. 182.) *cum pater non adeſt, poſſit filio impuberi ſepulturam eligere? Reſp. affirmative. Ead. Cong. 15. Sept. 1603., & 6. Decemb. 1641.* Appellatione *Parentum*, quibus ſepulturæ electio a ſuperiori ſanctione committitur, dubium non eſt etiam matrem venire, & licet altera *Patrem* nominet, identitatis, ſi non vocabuli ratio diſpoſitionem extendit ad matrem, cui non minus cura incumbit in filium. An autem abſolute, vel reſiſtente, aut aliter eligente patre? Nequaquam, habet namque Decretum *Cum pater non adeſt*, adeoque ſolum demortuo, vel abſente patre, quibus dumtaxat in caſibus, aliiſve ſimilibus plenarium jus ad matrem devolvitur, ubi alias ſubjectum eſt, ac ſubordinatum juri viri. At quid, ſi mater eligat præſente patre, ſed illius electioni non contradicente? Valida erit electio, quia pater, dum matris electioni non reſiſtit, eamdem tacite approbat. Num in deficientia parentum idipſum præſtare valeant affines, & conſanguinei, atque tutores, eſt quæſtio altera, quæ attentis verbis juris canonici, quæ id juris faciunt *patri pro filiis*, quorum nomine, præſertim cum ſimus in materia odioſa, venire non poſſunt affines, & conſanguinei reſpective, aut nepotes, vel tutores, negative videtur reſolvenda, licet nobis magis arrideat eamdem affirmative reſolvere, quia cum in deficientia parentum pupilli cura, & patris officium integre tranſeant ad illos, idipſum præſtare poterunt, & quidem abſque ſuffragio ſpecialis conſuetudinis, erga prædictos filios, quod præſtare poſſent eorum parentes, in quorum loco ſubrogantur.

V. Filii adoptivi, & arrogati ſunt ſub cura parentum, ac ſi legitimi, & veri eſſent, quare pro iiſdem impuberibus non minus parentes poterunt ſepulturam eligere. De ſpuriis ſuccedit dicere, & licet *ex l. generaliter Cod. de inſtit., & ſubſtitut.* non veniant filiorum nomine, certe id non debet intelligi quoad reverentiam, quam ipſi parentibus debent, nec quoad paternam curam, quam pro ipſis non minus parentes habere tenentur; quare cum hæc ſit ratio, ob quam conſuetudo jus præſtat parentibus erga legitimos, in conſuetudine introducta cenſeri debent comprehenſi etiam filii ſpurii, qui jam comprehenduntur in rationis amplitudine, qua ſit conſuetudo rationabilis. Quod ſi parentes pro filio impuberi ſepulturam eligant, & filius deinde factus pubes, ſine electione ſepulturæ decedat, non tenet electio a parentibus facta, niſi filius factus pubes eam ratam habuerit, quo in caſu eam de novo cenſetur eligere. Cum enim filius cum pubertate aſſequatur facultatem ſibi deligendi ſepulturam, illico ceſſat electio pro eo a parentibus facta, unde etſi ſine electione ſepulturæ decedat, minime cenſeri poteſt ratam habere electionem parentum, cum id, quod non eſt, ratificari non poſſit, & maxime in noſtro caſu, in quo jam jura de ejuſdem ſepultura diſponunt.

VI. Quæ omnia limitat (ſit Decretum 6. cap. in ord. 183.) hæc Sanctio: *Dummodo adſit conſuetudo, vel in Eccleſia electa ſepulcrum majorum.* Ead. Congreg. 18. Junii 1648., & 2. Junii 1651. Univerſim itaque non poſſunt Parentes pro filiis minoribus ſepulturam eligere, ſed ſolum, quatenus id habeat conſuetudo terræ, ut aperte ſtatuit d. cap. *Licet pater*; conſuetudo enim eſt illa, quæ ejuſmodi juriſdictionem parentibus tribuit, & valida eſt præjudicare juri, quod Parochialis habet Eccleſia. *Vel adſit in Eccleſia electa ſepulcrum majorum.* Eſt conditio altera, quæ ſine ſuffragio conſuetudinis tuetur electionem ſepulturæ pro filiis minoribus a parentibus factam, & in nihilo præjudicat Eccleſiæ Parochiali,

cum ſepulcro majorum jam debeantur eadem cadavera, ut ſtatim reſervamus dicere.

DECRETUM VII. CAPITIS, IN ORD. CLXXXIV.

Sacra Congr. Reg., & Ep., examinata prius diligenter relatione Epiſcopi, cenſuit licuiſſe, & licere parentibus in Eccleſia Fratrum Minorum Conventualium S. Franciſci eorum filiis minoribus, qui ad annos pubertatis nondum devenere, eligere ſepulturam, ac propterea reſtituenda eſſe ipſorum Fratrum Eccleſiæ cadavera infantium jam depoſita, præmiſſis, ceteriſque quibuſcumque non obſtantibus. Die 20. Martii 1643.

I. IN Civitate Foroſempronienſi cum a vita exceſſiſſent nonnulli infantes, & horum parentes eos ſepeliri elegiſſent in ſepulcro ſuorum majorum, quod ſitum erat in Eccleſia Fratrum Minorum Conventualium S. Franciſci, orta eſt contentio ſuper Eccleſia ſepulturæ, an nempe in Eccleſia Cathedrali, quæ ſolum habebat ſeparata ſepulcra pro parvulis, tumulandi forent, an magis in Eccleſia eorumdem Fratrum, in qua aderat ſepulcrum majorum, & pro qua militabat electio parentum, & interim cadavera in tertio loco fuerunt depoſita. Ad Sacram Congregationem controverſia fuit deducta, & licet occaſione Ritualis Cathedralis inſtaret, parvulorum corpuſcula in ſeparato ſepulcro eſſe tumulanda, eadem Congregatio prius itidem diligenter examinata relatione Epiſcopi, eadem cadavera adjudicavit ſepulcro majorum juxta parentum electionem, fratribuſque eſſe reſtituenda *Præmiſſis*, quæ ex Rituali producebantur, *ceteriſque quibuſcumque non obſtantibus*, quæ nempe deduci poterant, vel excogitari. Et quidem Rituale hortatur, non præcipit, ne parvuli cum aliis ſepeliantur, nec ullum habet verbum, quod indicet non poſſe ſepeliri in Eccleſiis, in quibus pro eis propria, & ſeparata ſepulcra non inveniuntur.

DECRETUM VIII. CAP. IN ORD. CLXXXV.

Exhumetur puella, & ſepeliatur in ſepulcro majorum, in quo ſepeliri debent, quicumque carent facultate ſibi eligendi ſepulturam. Congr. Ep., & Reg. 21. Oct. 1616., & præſertim ſi pater ſic ſepeliri intendat. Ead. Congr. 22. Febr. 1641.

I. ASculi in Cathedrali Eccleſia quædam puella ſepulta fuerat, contempta Eccleſia ſepulcri majorum, qua inſtante Congregatio illam exhumandam eſſe ſtatuit, & in ſepulcro majorum eſſe intumulandam, in quo ſepeliendos eſſe ſtatuit, quotquot carent facultate ſibi eligendi ſepulturam. Hoc limita, ſi pater in locis, ubi talis viget conſuetudo, alibi ſepulturam eligat, & hinc generaliter infer, corpora morientium ſine electione ſepulturæ in ſepulcro majorum eſſe humanda; dictio enim *præſertim* indicat, idem jus eſſe, tametſi pater eamdem Eccleſiam non eligat, quinimmo etſi pater in locis, ubi non adeſt conſuetudo ſepulturam eligendi pro filiis minoribus, aliam Eccleſiam eligeret.

DECRETUM IX. CAP. IN ORD. CLXXXVI.

Infantes, aliique quicumque, qui non habent facultatem ſibi eligendi ſepulturam, vel hac non electa decedunt, ſunt tumulandi in ſepulcro ſuorum majorum, vel in Parochiali Eccleſia. Congr. Ep., & Reg. 16. Nov. 1625.

I. QUoad infantes, alioſque carentes libertate ſibi eligendi ſepulturam ſi ſanctionem limites, quatenus pater pro eis alibi ſepulturam eligat, ubi ſic fert conſuetudo terræ, idipſum omnino firmat caput *Licet pater* de ſepult. in 6. *Hoc tamen non poteſt*, ſcilicet eligere ſepulturam pro filiis minoribus, *ubi conſuetudo hujuſmodi non habetur, ſed ſunt cum ſuis majoribus, vel in Parochiali Eccleſia tumulandi*. Eamdem disjunctivam uſurpat caput *Is qui* de ſepult. in 6. pro adulto, qui cum habeat domicilium in Civitate, moritur in villa ſine electione ſepulcri: *Si non electa ſepultura decedat ibidem, non in Eccleſia dictæ villæ, ſed in ſua Parochiali, vel in ea potius, in qua majorum ipſius ab antiquo ſepultura extitit, ſepeliri debebit*. Numquid ergo datur optio electionis pro una Eccleſia magis, quam altera? Nequaquam, ſed ordo ſcripturæ eſt ſervandus, ita ut in ſepulcro majorum ſint tumulandi, quatenus hoc habeant, in Parochiali vero Eccleſia, ſi illo careant, nonniſi namque mens ibi fuit locum ſepulturæ aſſignare pro caſu carentiæ, & non carentiæ ſepulcri aviti, & ideo textus utitur disjunctiva, quæ ut modo dicebamus, ad verum trahitur intellectum, implicite ceteroqui indicatum in iis verbis *vel in ea potius*, per quæ d. cap. *Is qui* Eccleſiam ſepulcri majorum præfert Eccleſiæ Parochiali, ſeu magis, ut exponunt alii, præcedentem diſpoſitionem factam favore Eccleſiæ Parochialis corripit, quatenus defunctus habeat ſepulcrum majorum.

II. Celebre eſt cap. 1. *Nos inſtituta* de ſepult., in quo Leo Papa duo decernit, primum videlicet, quod quilibet ſepeliri debet in ſepultura ſuorum majorum. 2. quod poſſit ſibi ſepulturam eligere; quare ſi non eligit, in ſepulcro majorum eſt ſepeliendus, & Eccleſia Parochialis tantum ſuccedit in defecto ſepulcri majorum. In ſequenti cap. *Fraternitatem* rejecta cujuſdam Civis Januenſis electione ſepulturæ tamquam illegitima, & irrationabili, ejuſdem corpus ſepeliendum mandatur in Eccleſia ſepulcri majorum, & non in Eccleſia Parochiali, quid unquam ad rem clarius? Quæ recolantur, profecto quoque digna ſunt Cap. *Ebron*, & cap. *Unaquæque* 13. qu. 2., ubi exemplo veterum Patrum, & Patriarcharum evincitur, filiorum corpora in ſepulcris parentum ſuorum eſſe collocanda, & adeo, ut 3. *Reg.* 13. in pœnam legatur dictum Prophetæ, qui contra præceptum Domini comederat in Bethel: *Non inferetur cadaver tuum in ſepulcrum patrum tuorum*. Hinc ſcita Decretum aliud (ſit 10. cap., in ord. 187.) *Quicumque ſive ſit infans, ſive impubes, ſive adultus, qui ſepultura non electa decedit, ſepeliendus eſt in ſepulcro majorum ſuorum, cum ibi tacite ſepulturam elegiſſe videatur. Ead. Cong. 21. Oct. 1616.* Et quidem, ſi bene perpendantur, nec aliud volunt tria poſtrema Decreta, e quorum expoſitione venimus, ut prætereamus conſimiles ſanctiones alias, univerſalem conſuetudinem legum optimam interpretem, nec non canoniſtas omnes, qui in hujuſmodi aſſertione conveniunt.

III. *Majorum* appellatione proprie ſumpta tantum veniunt aſcendentes ſupra tritavum, tritavus vero, & alii deinceps dicuntur *parentes*, ſed quoad ſepulturam attinet, veniunt etiam Pater, Avus, Proavus, Abavus, unde ſepulcrum, quod frequentius in jure dicitur *majorum*, in d. cap. *fraternitatem*, nuncupatur ſepulcrum *patrum*, *aliorumque parentum ſuorum*. Et quidem alias ſequeretur, quod qui non haberet ſepulcrum majorum ultra tritavum, moriens ſine electione ſepulturæ, humari deberet in Eccleſia Parochiali, licet haberet ſepulcrum majorum a tritavo infra; quinimmo habens ſepulcrum majorum ſupra tritavum, & aliud a tritavo infra, non in hoc, ſed in illo tumulari deberet. Utrumque autem rectæ rationi diſſonat, nam ſepulcrum eſt veluti domicilium, & habet reſpectum ad affectionem quamdam, quæ major habetur ad proximiores, & per poſterius electum domicilium quaſi deſeritur antiquius; qua de cauſa nos credimus inveſtigandum non eſſe, quorum in tumulo adſint plures ex majoribus, ut ſepulturæ detur recens mortuus ſine electione ſepulturæ, ſed abſolute tumulandum eſſe in ſepulcro proximiorum, quatenus pluribus ſepulcris majorum gaudeat.

IV. Inſurgit quæſtio, cum ſi Pater derelicto majorum ſepulcro, in alia Eccleſia ſepulcrum eligat, in hac ſepeliendi ſint filii decedentes ſine electione ſepulturæ, an magis in ſepulcro majorum? Cum diſtinctione reponimus, vel enim Pater ſibi eligit alibi ſepulturam ob particularem devotionem, aut inibi ſepultus eſt ex accidenti, & non ex intentione ſtabiliendi ſepulturam ſuæ familiæ, & tunc cum ſepultura Patris ſit eventualis, & mere particularis, dici non poteſt nec ſepulcrum majorum, nec proprium familiæ, & ideo ſepulturam Patris non ſequentur filii, qui propterea tumulandi erunt in ſepulcro majorum, & in hujus defectu in Eccleſia Parochiali, quemadmodum jura clamant. Si vero Pater ſepulcrum conſtruat, aut jam extructum adoptet ſibi, & deſcendentibus, ſepultura illa evadit communis omnibus de familia, & ſi in illa Pater jam ſepultus fuerit, dici etiam poteſt *ſepulcrum majorum*, non quidem perfective, cum to *majorum* dicat pluralem numerum, ſed inchoative, unde in ea tumulari deberent filii. Quod ſi in ea Pater nondum fuerit ſepultus nullo quidem pacto talis ſepultura dici valet ſepulcrum majorum, unde juxta canones filii ſepeliendi videntur in ſepulcro majorum, vel ſi hoc careant, in Parochiali Eccleſia, maxime cum alias hiſce Eccleſiis præjudicium inferatur. Quoniam tamen conſtructa, vel adoptata ut ſupra a Patre ſepultura, jus illico in eam toti familiæ obvenit, & ſi talis ſepultura in executione reapſe non eſt ſepultura majorum, talis eſt in intentione, quatenus ſuo tempore in ea Pater tumulari debet, ego crederem filios in eadem ſepultura eſſe ſepeliendos; dum enim hujuſce rei decedunt conſcii, quin ſepulturam eligant, videntur tacite approbare electionem, quam pro ſe, & ipſis fecit Pater, cui majorem, quam remotioribus parentibus, amorem ſervant, & cum quo jam vivi etiam cohabitabant. Ex idipſum conſequenter erit de filiis impuberibus, quia ſepulturæ electione repelluntur, adhuc in locis, in quibus non viget conſuetudo, ut pater pro iiſdem eligat.

V. Filius habens Patrem, & Matrem, quorum uterque ſuorum majorum ſepulturam habet, in ſepulturam parentum patris, non matris ſepelietur. *Cap. final. de filiis presb. cap. licet de Conjug. lepro. l. parum. ff. de rei vend.* Nomine namque *majorum* venire dumtaxat communiter conſentiunt aſcendentes ex parte patris, non matris. At quid, ſi pater careat ſepulcro ſuorum majorum? Sepelietur in Eccleſia Parochiali, quæ illico ſuccedit, niſi quatenus nulli eſſent agnati ex linea materna, & eorumdem ſepulturæ jus jam devolutum eſſet in matrem, ejuſque deſcendentes. In deficientia itidem ſepulcri aſcendentium ex parte patris, ſepeliri poterunt in ſepulcro tranſverſalium, ſeu collateralium, quod jure hæreditario ad ipſos pertineret; etſi enim hi proprie non veniant *majorum nomine*, *venire poſſunt parentum* appellatione Barboſa teſte *appell.* 185., quod ad rem ſatis eſſe, non obſcure indicat d. cap. *Fraternitatem*, quod ſepulcrum, in quo quiſque tumulari debet, nuncupat *Patrum*, *aliorumque parentum ſuorum*, ſicuti ſcite ponderat Fagnanus *in* 1. *par. lib.* 3. *Decretal. in d. cap. num.* 11. Idem judicium quiſpiam fortaſſe faciet de ſimplici hærede, qui caret ſepulcro ſuorum majorum; ſed tu id limita, ſi ſepulcrum conceſſum fuerit pro fundatore, ejuſque deſcendentibus, aut iis de aliqua familia; his enim extinctis jus ſepulturæ tran-

tranſit ad proprietarium, ſcilicet ad Eccleſiam, non autem ad hæredem, ad quem ſolum devolvitur, quando jus ſepulturæ conceſſum fuit pro conſtructore, & hæredibus ejus.

VI. Filii emancipati jura ſepulcrorum retinent. *L. inſtitut. de hæred. §. emancipati quæ ab inteſt. de fer.* Itidem renunciantes hæreditati paternæ, cum per hoc non renuncient conjunctioni ſanguinis, & amoris, ut cujus debetur unio in eadem ſepultura. *Cap. Ebron. 13. q. 2.* Etiam exhæredati, vel præteriti ſepeliri debent cum patre humanitatis gratia, niſi ea juſto odio teſtator id vetaverit. *L. vel quod, & l. ſi quis fuit hæres.* Filius adoptivus ſi moriatur vivente patre adoptante, hujus ſepulcrum ſecundum nonnullos ſequitur; eo autem defuncto, cum jam depereat adoptio, ſepulcrum patris naturalis. Verum cum filius adoptivus ſuccedat in jura filii naturalis, inter quæ etiam eſt jus ſepulcri, ſepeliri debet in ſepulcro patris adoptantis, ſive hic vivat, aut mortuus ſit, dummodo ſepulcrum proprium familiæ habeat; ſi vero adoptans careat ſepulcro familiæ, filius adoptivus ſepelietur, tamquam ſi non eſſet adoptatus, in ſepulcro nempe ſui patris naturalis. Filii denique ſpurii juxta communiorem opinionem ſepeliuntur in ſepulcro matris, niſi fœmina ſit illuſtris.

VII. Pro infantibus, qui nutricibus traduntur alendi, Benedictus Papa XIV. *to. 3. notif.* 17. Statuta Romæ obſervanda decernit, nempe: *Infantes, qui nutricibus alendi extra propriam Parochiam dantur, retinent domicilium in Parochia parentum, atque ad illam pertinent, licet in aliena Parochia decedant. Patre vero orbatos, quouſque apud ipſam matrem aluntur, licet in poteſtate tutorum, non matris exiſtant, de Parochia matris, non tutorum eſſe declaramus. Si nutricibus alendi extra propriam Parochiam dentur a matre, domicilium in Parochia matris, ſi vero utroque parente caruerint, domicilium in Parochia tutorum, non vero nutricum retinere declaramus. Quod ſi nec tutores habeant, in Parochia, in qua decedunt, tumulentur.* Quæ ſi limites juxta ſuperius tradita de ſepulcro majorum, & ſalva parentibus, aliiſque pro iiſdem ſepulturam eligendi facultate, in univerſalem uſum apprime bene deſerviunt.

VIII. Qui habet domicilium in Civitate, & quandoque recreationis gratia ad villam ruralem ſe transfert, vel ut ruralia exerceat, aut qualibet alia de cauſa, ſi ibidem decedat non electa ſepultura, non in Eccleſia dictæ villæ, ſed in ſua Parochiali, vel magis in ſepulcro ſuorum majorum eſt ſepeliendus, *Cap. Is qui de ſepult. in 6.*, & conſequenter idipſum erit de eo, qui de villa ſe transfert in Civitatem, ac de quocumque, qui extra Parochiam ſui domicilii moritur. En nunc limitationem, quam idem caput adjicit: *Dummodo abſque periculo ad ipſam valeat deportari*; hoc autem periculum, ſive incommodum pro Eccleſia Bononienſi ſemper adeſſe ſtatuit idem Pontifex Summus Benedictus XIV., quoties locus mortis per tria milliaria diſtat a loco ſepulturæ. Optima quidem eſt ita regula, ſed valeat ad auferendum jus Eccleſiæ, cui de jure cadaver deberetur, ſed non ad privandos heredes ſolatio inferendi cadaver in ſepulcrum familiæ, quod tacite etiam defunctus elegiſſe cenſetur.

IX. Nunc de iis, qui ſepulturam eligunt, & indubium eſt, quod ſepeliri debent in ſepultura electa. At quid, ſi in loco electo ſepeliri nequeant? Sepeliendos eſſe arbitrio Epiſcopi, aut ejus Vicarii habita ratione ad defuncti devotionem, & affectionem putant nonnulli, numquam vero, ubi de jure ſepeliri debebant; ibi namque ſepeliri noluerunt, qui alibi ſepulturam elegerunt, & dumtaxat ſepeliuntur, qui ſepultura non electa decedunt. Verum ejuſmodi ſepeliendos eſſe, ubi de jure ſepeliri debebant, hæc indubie evincunt argumenta. 1. quia cum electio ſepulturæ non poſſit effectum ſortiri, perinde ſe habet, ac ſi non præceſſiſſet. *L. ſi quis ſub conditione, ff. de teſtam. tut. & l. eo ſenſu §. 1. de appellat.* 2. quia a cap. *Fraternitatem* rejecta cujuſdam electione tamquam illegitima, ejuſdem corpus adjudicatur Eccleſiæ, cui de jure debebatur, nec fit arbitratio ulla ſuper ejus voluntate, quidni igitur impedita etiam executione ſepulturæ electæ? Ut namque diſpoſitio illegitima cenſetur pro non facta, ita quæ ſortiri nequit effectum, & ſicut illa, ita hæc impedimentum præſtare non poteſt diſpoſitioni juris, ut hæc ſervanda non ſit, quin ſit recurrendum ad arbitrium Epiſcopi, vel ejus Vicarii. Eligens autem alibi ſepeliri, dici non poteſt, quod ſepeliri noluerit, ubi de jure eſſet ſepeliendus, ſed tantum ex ſuppoſitione, quod ſepeliatur, ubi elegit ſepeliri, quia non diſpoſuit per ſe primo, quod non ſepeliretur, ubi de jure eſſet ſepeliendus, ſed hoc ſolum venit in conſequentiam ad electionem ſepulturæ factam pro alia Eccleſia, unde hoc ipſo, quod ceſſat tale ſuppoſitum ratione impedimenti pro ſepultura electa, ceſſat etiam excluſio ſepulturæ, quæ ſubintrat de jure. *Cap. ſi Papa de privil. in 6., & Clem. Si ſummus de ſent. excom.* Præſertim quia eſt excluſio conditionalis, quæ non habet locum, niſi purificata conditione juxta ea, quæ tradunt Dec. *Conſil.* 644., Menoch. *Conſil.* 175. *numer.* 2., aliique. Aſſertionem nonnulli limitant, quando impedimentum non eſt perpetuum, quo in caſu per modum depoſiti cadaver alicubi ſepeliendum eſſe autumant, ad ſepulturam electam ceſſante impedimento transferendum, ut ultima defuncti voluntas ſervetur meliori modo, quo poteſt.

DECRETUM XI. CAPITIS, IN ORD. CLXXXVIII.

Clerici non ſepeliantur in ſepulcro ſuorum majorum, ubi eſt conſuetudo eoſdem ſepeliendi in ſepulcris ſeparatis a laicalibus. Congr. Ep., & Reg. 13. Maji 1650.

I. Quando in Cathedrali, vel matrice adeſt proprium clericorum ſepulcrum, a laicalibus ſeparatum*, legit Nicolius *lucubr. civil. lib. 4. tit. 15. num. 23.* ſed diſcedendum non eſt a lectione, quam nos produximus, utpote a regeſtis extracta, & a Nicolio ipſo in ſuis manuſcriptis ita exarata. Eamdem Congregationem 1. Sept. 1690. ſimiliter declaraſſe refert Monacellus *to. 1. tit. 10. form. 13.*, quod clerici decedentes ſepultura non electa, ſepeliri debent in ſepulcro Clericorum, ſi adſit. Verum obſtat Decretum aliud, & ſit 12. cap., in ord. 189. *Clericus, qui ſibi non electa ſepultura decedit, ſepeliri debet in ſepulcro majorum, & non clericorum*, S. R. C. 6. Maji 1705. *in Senogallien.* Cuinam ex productis Decretis ſtandum ſit, dubium inſurgit, & pro ultimo militat commune illud proloquium, *poſteriora derogant prioribus*; Monacellus vero *in ſupplem. ad 1. to. n. 176.* pronunciat in favorem Congregationis Epiſcoporum, & ducitur, tum quia agitur non de ritu ſepeliendi, ſed de jure funerandi, quod potius ad Congregationem Epiſcoporum, & Regularium, quam Rituum noſcitur pertinere ex Bulla erectionis Sixti V. §. *Jam Vero*. Tum quia Rituale Romanum, quod cum auctoritate Apoſtolica Pauli V. confirmatum ſit, & evulgatum, pro lege ſervandum eſt, clericos ſic decedentes adjudicat ſepulcro clericorum.

II. Nobis non arridet prima ex hiſce rationibus; haud enim credere poſſumus, quod Rituum Congregatio probe non noſcat limites ſuæ juriſdictionis, aut quod hos in ſuis deciſionibus quandoque excedat, quare progredimur ad alteram, & Ritualis verba ſumimus examinare; *Sepulcra Sacerdotum, & clericorum cujuſcumque ordinis, ubi fieri poteſt, a ſepulcris laicorum ſeparata ſint, ac decentiori loco ſita, atque ita, ubi commodum fuerit, ut alia pro Sacerdotibus, alia pro inferioris ordinis Eccleſiæ miniſtris parata ſint.* Lex hæc eſt Ritualis Romani, ſed in ea Eccleſia reapſe non præcipit, ſed ſolum valde exoptat, quod ſicuti clericos a laicis ſacrum caracter diſtinguit, ita eoſdem Eccleſiaſtica ſeparet ſepultura; quinimmo rite conſcia præeminentiæ ſacerdotalis, ſuum itidem deſiderium exponit, ut ubi commodum fuerit, parata ſint alia ſepulcra pro Sacerdotibus, & alia pro clericis ordinum inferiorum. Hujuſce legis ut mentem aſſequamur, inopportuna non eſt conſimilis lex altera ejuſdem Ritualis, in qua iiſdem fere terminis, certe eumdem ſenſum reddentibus, cautum eſt, ne parvulorum corpora miſceantur cum coinquinatis adultorum cadaveribus, ſed magis in ſpecialibus, & ſeparatis loculis, & ſepulturis. Parvulorum cadavera, qui viam ſine macula tranſegere, & nunc eorum animæ in patria cæleſti perfunduntur gloria, qua poſt reſurrectionem indubie inebriabuntur & corpora, forſaſſe minus decens eſt ſepulturis adultorum cogi, quorum vita immaculata ægre credi poteſt, certa æterna ſalus minime ſecura, & tamen præfata eorumdem parvulorum lex, Eccleſia ipſa interprete, ſuis non caret fallentiis, quando nimirum, cum ipſi non poſſint, pro iiſdem parentes alibi ſepulturam eligunt, aut habetur ſepulcrum majorum; quidni igitur & producta clericorum lex conſimilibus limitationibus erit obnoxia?

III. Æquum profecto non eſt, quod ob ſui dignitatem priventur clerici libertate ſepulturæ, qua gaudent laici quicumque, aut rationabili ſolatio poſt mortem cohabitandi cum illis, quibuſcum convixerunt in terris, conjunctionemque habuerunt originis; quare ſi laicis, qui ſine electione ſepulturæ decedunt, & parvulis ipſis ante annos diſcretionis morientibus ſepulcrum ſuorum majorum deciſiones Congregationum decernunt, nec aliter eſſe faciendum, facile eruitur ex extravag. *Deteſtandæ de ſepult.*, ex cap. *Bonæ rei* 12. q. 2. ex cap. *Unaquaque* 13. *qu.* 2. ex cap. *Apoſtolica de donat.* ex cap. *Fraternitatem*, cap. *Ex parte*, & cap. *Is qui de ſepult. in 6.* idipſum de clericis nos fore arbitramur, adoptantes Rituum Congregationis decretum, quod cum poſterius ſit, Decretis Congregationis Epiſcoporum, & Regularium, quatenus opus foret, juxta vulgare proloquium noſcitur derogare. Diximus *quatenus opus foret*, quia non credimus prædictis Decretis iri derogatum, ſed ſolum per ea illos ex clericis a lege ſepulcri majorum eſſe exceptos, qui inhabitant loca, in quibus viget communis, & conſtans conſuetudo ſepeliendi clericos, qui ſine electione ſepulturæ decedunt, in ſepulcris ſeparatis; cum enim conſuetudo ejuſmodi ſit lex altera, huic præſumuntur ſe tacite accommodare, qui ibidem ſine electione ſepulturæ decedunt.

IV. Quæ uſquemodo dedimus, fallunt in Epiſcopis, Parochis, Coadjutoribus, Vicariis perpetuis, vel temporalibus, Abbatibus, Canonicis, aliiſque Beneficiatis, quorum cadavera, ſi ſine electione ſepulturæ deceſſerint, Auctores communius adjudicant ſuis Eccleſiis, quibus cum in vita alligati fuerint matrimonio ſpirituali, convenit ne ab iiſdem ſeparentur in morte. Cap. *Ebron*, & Cap. *Unaquaque* 13. qu. 2. Cardinales vero in ſua Eccleſia titulari ſepeliendos eſſe, late tradit Monacellus *in append. Deciſ. Rot.* 18., etſi enim prædictorum nonnulli contendantur non ſponſi Eccleſiarum, quibus ſunt addicti, & forſaſſe revera non ſint, dum tamen Eccleſia per eorumdem obitum vacare dicitur, hæc vacatio præſupponit præcedentis vinculi diſſolutionem, ratione cujus vinculi in reſpectiva Eccleſia ſepeliendi videntur.

Digitized by Google

DECRETUM XII. CAPIT. IN ORDINE CXC.

Sepultura non electa ſi uxor præmoriatur, & maritus habeat proprium ſepulcrum, in ipſo tumulari debet, quamvis extra limites Parochiæ, ubi mortua eſt. S. R. C. 15. Januarii 1633. *in Senogallien.*

I. UXorem, etſi vivente viro ſui juris non ſit, ſibi ſepulturam eligere poſſe, definitum eſt Cap. *De uxore*, ubi & adducitur ratio: *De uxore vero, utrum quemadmodum vir liberam debeat habere ſepulturam: Nobis videtur, quod nulla ſuper hoc inter virum, & mulierem ſit facienda diſtinctio, ſed utrique in caſu iſto æqualem eſſe credimus facultatem, cum electio iſta ad eum potius ſtatum pertineat, in quo mulier ſolvitur a lege viri.* Hinc rite Gloſſa ſuper ea verba Cap. *Unaquæque* 13. qu. 2. *Unaquæque mulier ſequatur virum ſuum ſive in vita, ſive in morte*, notat to *in morte* dicere conſilium, quia liberum illi eſt in quovis loco ſepulturam eligere. Verum etſi ita ſit de muliere, quæ viro præmoriens, ſibi ſepulturam eligit, ſecus eſt de eadem, quatenus ſepulturam non eligat; ſepeliri enim debebit in ſepulcro mariti, ſi jam ſepulturam ipſe elegit, & quatenus non elegerit, in ſepultura majorum ipſius mariti, in quo & maritus ipſe ſepeliendus præſumitur. Æquum namque eſt, ut quos conjunxit unum conjugium, conjungat unum ſepulcrum, & quos Deus conjunxit, homo non ſeparet. *Cap. Ebron.* 13. *qu.* 2. Idipſum eſt de uxore manente vidua, quæ ſepeliri debebit cum ſuo viro, in quocumque hic ſepulcro ſit tumulatus, & quatenus plures viros ſucceſſive habuerit, cum ultimo viro, cujus domicilium ſequitur, & honorem, erit ſepelienda. *Cap. Is qui*, §. *mulier de ſepult. in* 6. Quod concordes Auctores verum eſſe aſſerunt, etſi mortuo viro uxor tranſeat ad inhabitandam domum paternam.

II. Fallit primo in uxore, quam inter & virum ſecuta ſit thori ſeparatio ob adulterium; eſt namque hoc ipſo indigna mariti ſepulcro, unde tumulabitur in ſepultura majorum ipſius uxoris. Secus eſt de uxore, quæ ante mortem reconciliatur viro ſuo, per reconciliationem quippe recuperat ſepulturam viri. Quod ſi uxor accuſata de adulterio, pendente lite moriatur, mariti ſepulturam habebit, quia jus retinet, donec per ſententiam ſpoliatur. Idipſum eſt, ſi lis pendeat ſuper validitate matrimonii; & cum in utroque caſu a principio fuerit legitime ſepulta, exhumanda non erit, etſi poſtea per ſententiam adultera, aut matrimonium invalidum declaretur.

III. Fallit 2. in uxore, quæ a marito nec carnaliter fuit cognita, nec ad ſuam domum traducta, quia nec effecti ſunt una caro, nec vivens cum marito cohabitavit, ut propterea mortua eumdem ſequi debeat. Hinc facile habetur ratio, ob quam in ſepulcro viri ſit tumulanda, aut ſi carnaliter fuerit cognita, aut ad domum traducta.

IV. Fallit 3. in uxore, quæ quoad thorum ſeparata vivebat a marito ob legitimam cauſam, puta ob ſævitiam, aut adulterium mariti, ſi namque viventes manebant diſcreti, ita ſint & defuncti. Idem eſto judicium, ſi ob continuas rixas, licet de mutuo conſenſu, viventes habuerunt diverſa domicilia; unio enim in ſepultura innititur unioni, quam habuerunt in vita. *Cap. Ebron. & unaquæque* 13. *qu.* 2. Diximus, *ſi viventes habuerunt diverſa domicilia*, quia ſi ſub eodem tecto, licet non lecto vivebant, reconciliati præſumuntur.

V. Fallit 4. in uxore a marito injuſte occiſa, cum qua defuncta non debet ille communicare, cum nec eidem vivæ communicare voluerit, *Cap. Sacris de ſepult.* Et maxime quia rationabiliter præſumitur, quod ſi ante obitum potuiſſet ſibi ſepulturam eligere, hanc non elegiſſet in ſepultura mariti, a quo injuſte odio habetur ad mortem, & proculdubio ab eodem ſepararetur quoad habitationem etiam in vita, ſi ſupravivere illi daretur. De muliere occiſa in adulterio, fortius dubium militat, ſed cum tunc vir jus ſibi dicat, dignus non eſt, ut ab ejuſdem ſepultura uxor ſeparetur, unde propterea & jura eumdem plectunt amiſſione dotis, & ejuſdem lucri.

VI. Fallit 5. quando ad ſepulturam mariti commode deferri non poteſt, quo in caſu jam d. cap. *Is qui* aliam ſepulturam aſſignat. Fallit 6., ſi maritus ſepulturam Eccleſiaſticam non fuiſſet aſſecutus, qua propterea mulier privanda non eſſet. Fallit denique, ſi maritus ſepultus eſſet in ſepulcro damnatorum ad mortem, ob quoddam dedecus, quo injuſte afficeretur uxor. Quoties vero uxor ob aliquam ex ſuperius recenſitis cauſis, aliiſve ſimilibus cum viro tumulari nequit, ſepelienda erit in ſepulcro majorum ipſius uxoris, ad quod per matrimonium jus minime deperdit, ſin autem, in Eccleſia parochiali. Secus eſt de marito, qui non ſepelitur in ſepulcro uxoris, quatenus hæc ante mortem ſepulturam delegerit, ſed in ſepultura ſuorum majorum.

DECRETUM XIV, CAPITIS, IN ORDINE CXCI,

An cum Fratres aliqui extra monaſterium moriuntur, & a curatis ſacramenta receperunt, poſſint ab eorum ſuperioribus ad ſuas Eccleſias deferri, parochis inconſultis? Reſp. Regulares extra clauſtra decedentes poſſe ad eorum Eccleſias deferri, etiam parochis inconſultis. Congr. Concil. 2. Julii 1620.

I. REgularibus, quia carent *proprio velle, & nolle*, interdicitur electio ſepulturæ in cap. *Religioſi* de ſepult. in 6., & quidem licet extra clauſtra moriantur, dummodo commode ad monaſterium deferri queant. Idipſum eſt, ſi Regularis ut hoſpes, vel advena moriatur in alio monaſterio ejuſdem ordinis, vel in loco, in quo eſt monaſterium, aut ex quo ad monaſterium ordinis commode transferri valeat; in omnibus enim hiſce caſibus manet ſub obedientia Prælati talis monaſterii, unde ſepulturam eligere non poteſt, & quatenus moriatur, ſepeliendus deferri præcipitur in præfato monaſterio, unde ſolum difficultas aderat, an deferendus foret cum aſſiſtentia parochi, ſaltem quatenus ab eo ſacramenta receperit, quorum adminiſtratio correlativa videtur juri funerandi? *Etiam parochis inconſultis* a ſuis ſuperioribus deferri poſſe Congregatio ſtabilit; Regulares enim ab Ordinariis locorum, & a parochorum cura manent exempti, & ſuis Prælatis plenarie ſubſunt, quare ad ſua monaſteria aſportari poterunt iiſdem parochis inconſultis, quibus Sacramentorum adminiſtratio haud valida eſt jus aliquod ſuper cadaver tribuere, cum ſit mere accidentaria, & caſualis, ac pro caſu neceſſitatis; unde Decretum aliud (ſic 15. Cap. in ord. 192.) *Epiſcopo, & Parocho nullum jus ſepulturæ competit ſuper Regularem, etiam extra clauſtra, vel in domo parentum ſuorum defunctum.* Congr. Ep., & Reg. 22. Maji 1615.

II. Modo inſurgit quæſtio, num libera, & licita ſit ſepulturæ electio Regularibus illis, qui ita remote a ſuis monaſteriis moriuntur, ut ad ea commode defferri nequeant? Vix eſt, qui id deneget, nam in d. cap. quando declaratur, quod Religioſi non poſſunt ſibi eligere ſepulturam, etiamſi decedant extra clauſtra, ponitur exceptio in favorem eorum, qui adeo remota a propriis monaſteriis moriuntur, ut ad ea commode portari non poſſint: *Religioſi niſi a propriis monaſteriis adeo forſitan ſint remoti, quod ad ea, cum moriuntur, commode portari non poſſint, nequeunt, cum velle, vel nolle non habeant, ſibi eligere ſepulturam.* Talitar autem in caſu hujuſmodi licite eligunt, ut eorum electioni nec contraria valeant conſtitutiones reſpectivæ Religionis, quæ libertatem eligendi ſepulturam auferrent, niſi per Sedem Apoſtolicam confirmatæ forent; talis enim libertas iiſdem fit a jure communi, contra quod conſtitutiones Religionum prævalere non poſſunt, niſi Apoſtolica approbatione ſint munitæ. Quatenus itaque ſepulturam eligant, juxta eorumdem diſpoſitionem erunt ſepeliendi, ſi vero non electa ſepultura moriantur, erunt ſepeliendi, apud quos Sacramenta receperunt, in parochiali nempe Eccleſia, niſi iiſdem contigiſſet obire in aliquo monaſterio alterius ordinis, quo in caſu Regulares ejuſdem poſſent parochis ipſis inconſultis illos ſacramentis munire, & ſepulturæ tradere, quemadmodum ex commiſſione Gregorii X. factum fuiſſe legimus D. Thomæ Angelico Doctori, qui dum Concilium Lugdunenſe petebat, Foſſenovæ in itinere Deo animam reddidit. Id limita, ſi in loco ſepulcrum ſuorum majorum fuerit, cui in caſu deberentur, ceſſante namque unitate ſpirituali, quæ confratrum ſepulturam expoſcit, ſubintrat naturalis dilectionis unitas, in qua juxta ſuperius dicta fundatur ſepulturæ unitas cum ſuis majoribus.

III. Quod Regularium Prælati poſſint eligere ſepulturam pro ſuis ſubditis, affirmat Rodriquez *tom.* 3. *quæſt.* 60. *art.* 5. exemplo ducto a patre vero qui filio impuberi poteſt ſepulturam eligere, unde & Prælatus Regularis, qui patris inſtar ſe habet, idipſum poterit pro ſuis ſubditis; & præſertim quia militat eadem ratio, cum utrique careant proprio velle, & nolle; ſtante autem eadem ratione nil vetat transferri ad patrem fictum, quæ competunt patri vero. Verum nutat ratio iſta, quia pater non poteſt filio impuberi eligere ſepulturam ratione patriæ poteſtatis, ſed ratione ſolius conſuetudinis, ubi eſt; unde cum in Religionibus non adſit ejuſmodi conſuetudo, pro ſuis ſubditis Prælatus Regularis non poſſet id attentare. Magis itaque id Prælati Regulares poterunt, quia ſubditi in profeſſione tranſtulerunt in Prælatos totam ſuam voluntatem, quare totum id, quod alioquin poſſent velle ſubditi, poteſt velle ſuperior pro ipſis, & conſequenter ſicut ipſi poſſent ſibi eligere ſepulturam, ſi totum ſuum velle non tranſtuliſſent in Prælatum, ita Prælatus pro ipſis poterit ſepulturam eligere. Quod non contingit in patre reſpectu filii impuberis, qui cum nunquam habuerit propriam voluntatem, nec potuit eam transferre, nec cenſetur tranſtuliſſe in patrem, unde nonniſi ſtante conſuetudine, quæ tale jus tribuit, pro eo valet ſepulturam eligere.

IV. Hinc fit, quod Regulares, qui ut ſupra diſſiti a monaſteriis ordinis moriuntur ſine electione ſepulturæ, tumulandi erunt juxta diſpoſitionem ſui Prælati, ſi hic pro illis ſepulturam eligat. Diximus *ſine electione ſepulturæ*, quia cum a jure communi in tali circumſtantia gaudeant facultate ſibi eligendi ſepulturam, a Prælato Regulari in tali facultate impediri non poſſunt. Quoniam tamen tali facultate non gaudent, niſi quando ad monaſterium commode deferri non poſſunt, nec jus diſtinguit, quando incommodum cenſendum ſit adeſſe, haud refragabimur electionem factam corruere, quando Prælatus ad monaſterium commode transferri poſſe putat, licet ſubditus ex excogitata incommoditate ad electionem deveniſſet; hac enim in re magis Prælato favendum eſſe credimus, quam ſubdito, cui ſit diſpenſatio in regulari obſervantia.

V. Ob carentiam *proprii velle, & nolle* Regulares ſubditi ab electione ſepulturæ, niſi in memorato caſu, repelluntur, hinc a contrario ſenſu Prælatis Religionum generalibus ſepulturæ electionem nemo concedit, quinimmo fere omnes eamdem extendunt etiam ad Prælatos locales intra clauſtra ipſa morientes, & præſertim quia electio ſepulturæ ſpectat ad jus ſpiritua-

Digitized by Google

ſpirituale, quod minus adſtringitur in quolibet ſubjecto, unde electio ſepulturæ libere eſt uxori, & filiofamilias, etſi ſub poteſtate reſpective viri, & patris ſint conſtituti. Concedunt inſuper ſubditis liberam ſepulturam de venia Prælati, quia Prælatus licentiam hanc præſtare nullibi prohibetur, & reapſe tunc ſubditi non ſibi ſepulturam eligunt, ſed magis ſuperior pro ipſis. Facultas autem iſta, vel electio expirat illico, ac Prælatus a Prælatura excedit; tunc enim evadit ſimplex Monachus ſine velle, & nolle, unde ſepulturæ electio, quæ eſt actus ultimæ voluntatis, effectum habere non poteſt tempore, quo in Monacho nulla eſt voluntas. Id limita, ſi Prælatus Monaſterii electionem illam, aut facultatem ratam haberet, quia tunc perinde eſt, ac ſi licentiam, vel facultatem ipſe de novo tribueret.

VI. An libertas circa ſepulturæ electionem, quam Prælatis Regularibus modo fecimus, extendatur extra Eccleſias ordinis, eſt quæſtio alia, quæ communius in favorem cujuſcumque Eccleſiaſtici loci ab Auctoribus deciditur; a Bordono tamen *tom. 3. reſol.* 51. reſolvitur pro Eccleſiis dumtaxat ordinis, & relative ad velle proportionatum ſuæ juriſdictioni, unde Generalis poſſet ſepulturam eligere in Eccleſiis totius Religionis, Provincialis in tota Provincia, & ſuperior localis in loco quolibet Conventus, cui præeſt. Probabilis apparet admodum illa opinio, cui cum aſſiſtat conſuetudo nunquam eligendi ſepulturam extra Eccleſias Ordinis, ab ea non diſcedendum eſſe credimus, quidquid juris eſſe poſſit. Dempto igitur caſu mortis in loco valde diſſito a Monaſteriis Ordinis, facultas Prælatorum eligendi, & dandi poteſtatem eligendi ſepulturam, reſtricta cenſenda eſt ut ſupra ad Eccleſias Ordinis.

VII. De Novitiis Regularium ſuccedit dicere, & cum iſti habeant proprium velle, & nolle, ſepulturam ſibi eligere poſſunt, ſicut etiam teſtari, & exercere alia, in quibus proprium velle, & nolle requiritur. Quoniam tamen etſi in odioſis non veniunt, in favorabilibus utique veniunt appellatione *Religioſorum*, quibus pares ſunt in obſervantiis, laboribus, & oneribus Religionis, ſecundum omnes perfruuntur cunctis privilegiis, gratiis, atque favoribus, perinde ac ſi Religioſi profeſſi forent, unde quatenus non electa ſepultura decedant ſive intra, ſive extra clauſtra, dummodo ad Monaſterium Ordinis commode deferri queant, ſepeliendi erunt in Eccleſia Ordinis inconſultis ipſis Parochis, etſi ab his accidentaliter ſacramenta recepiſſent. Si vero ad Eccleſias Ordinis commode deferri nequeant, tumulandi erunt in ſepulcro ſuorum majorum, ſi in loco adſit, aut in Parochiali Eccleſia, vel in conventu alterius Ordinis, in quibus iidem obiiſſent, vel ſacramenta recepiſſent inſtar eorum, quæ dedimus de Religioſis profeſſis. Sylveſter *verb. ſepultura quæſt.* 8. *dicto* 7. id temperat, ſi Novitius eſſet in propoſito redeundi ad ſæculum, quia cum tunc elegiſſet in ſæculo mori, cenſetur quoque extra Ordinem elegiſſe ſepulturam. Sed communiter diſplicet hæc limitatio, quia ſimplex propoſitum non extrahit illum e ſtatu novitiorum, ſed requiritur factum, ſicut etiam voluntas mutandi Parochiam non ſubtrahit a jure Parochi.

DECRETUM XVI. CAP. IN ORDINE CXCIII.

Clerus ſæcularis nihil poteſt prætendere propter exequias, aut ſepulturam Monachorum, aut Fratrum morientium extra clauſtra. Congr. Ep., & Reg. 24. Novemb. 1634., & 24. Sept. 1636.

I. DE Regularibus ſive profeſſis, ſive novitiis, qui extra clauſtra quidem mortui, ſed ad Monaſterium tumulandi deferuntur, ne quidem minimum dubium eſſe poteſt, cum Parochis ſuper illos nullum jus competat, iiſdemque inconſultis ad Monaſterium Ordinis deferri poſſint, in nihilum ſuffragante, etiam pro prætenſione quartæ funeralis, adminiſtratione Sacramentorum, quam prædictis Religioſis præſtitiſſent, utpote caſuali, accidentaria, & pro caſu neceſſitatis, adeoque invalide ad tribuendum ipſis jus aliquod. In hoc conveniunt Doctores omnes, & clamant jura, quorum caput *De his* de ſepult. dumtaxat forteſſe excipit illos, qui in ægritudine conſtituti, ad Religionem tranſeunt, & antequam profiteantur, ea eodem morbo decedunt. An autem in hoc caſu portio canonica debeatur Eccleſiæ Parochiali, vel Eccleſiæ, in qua eſt ſepulcrum majorum, quæſtio alia eſt, quam caput *Cum his* de ſepult. in 6. reſolvit in favorem Eccleſiæ Parochialis; etſi enim d. caput loquatur de iis, qui dimiſſa ſepultura majorum alibi ſepulturam eligunt, caſus eſt fere ſimilis, quia qui Religionem intrat, apud hujus Eccleſiam tacite ſepulturam eligit.

II. Quæſtio itaque devolvitur ad eos Regulares, qui cum valde remote a Monaſteriis Ordinis decedant, a ſæculari clero, vel a Regularibus alterius Ordinis ſepulturæ traduntur, & quatenus iidem profeſſi ſint, Monaſterium teneri expenſas factas pro ſepultura ſolvere, concordes Auctores aſſerunt *ex cap. ſi quis ſepulcrum, ff. de relig. & ſumptib. funeral.*, cum jam eoſdem alere, & ſepelire teneatur. Limita, ſi expenſæ nimis graves fierent, & ultra menſuram religioſam. Si vero Novitii forent, cum non ſint veri Religioſi, eorumdem expenſis, non Monaſterii ſunt ſepeliendi, niſi patrimonio careant, quo in caſu Monaſterii expenſis, ad quod magis pertinent, quam ad Parochum, clerumque alium ſæcularem, vel regularem, erunt tumulandi, quemadmodum & Parochus tenetur gratis ſepelire ſæculares illos, qui non habent, unde ſubminiſtrentur expenſæ. Sunt itidem, qui tam hanc limitant in Religionibus, quarum uſus fert gratis novitios alere; has enim & obligant ſuis expenſis novitios ſepelire, quamvis patrimonium habeant, quia cum Monaſterium recipiens novitium, tunc ſe obliget ad eumdem alendum, etiam ſe obliget ad expenſas ſepulturæ, quæ ſunt acceſſoriæ ad expenſas alimentorum. Verum nos obſervandam eſſe credimus conſuetudinem in ea Religione receptam, ita tamen ut ſemper a Monaſterio expenſæ ſolvendæ ſint, licet poſtea idem illas repetere valeat ab hæredibus juxta præfatam conſuetudinem; obiit enim illa in habitu Religionis, ſub ejus obedientia, & obſequio. Quod limita, ſi parentes, aliive ſepulturam demandaſſent; tunc enim pro expenſis ipſi conveniri debent, etſi poſtea ipſi eaſdem e Monaſterio, quatenus teneatur, repetere valeant. Samuellius *tract. t. contr. 6. concl. 9.* etiam pro Regularibus profeſſis hanc diſtinctionem adhibet, ut ſi eorumdem Ordo bona temporalia non poſſideat, ad expenſas funeris non teneatur, ſed amore Dei ſint ſepeliendi. Et ſane ſi juxta Rituale gratis ſepeliendi ſunt illi, *quibus mortuis nihil, aut ita parum ſupereſt, ut propriis impenſis humari non poſſint*, multo magis gratis tumulandi erunt præfati Religioſi, qui nec ipſi, nec eorum ordo aliquid habent proprium.

DECRETUM XVII. CAPITIS, IN ORDINE CXCIV.

Fratribus Minimis S. Franciſci de Paula, ut iis, qui in ſuis immorantur obſequiis, Sacramenta libere miniſtrare poſſint, & ipſos, cum deceſſerint, in eorum cœmeteriis ſepelire, cujuſvis licentiæ ſuper hoc minime requiſita, concedit Leo X. die 7. Julii 1513.

I. COnſimile privilegium a Nicolao V. 31. Auguſti 1448., & ab Innocentio VIII. 23. Octobr. 1487. conſequi meruit Inclytus Prædicatorum Ordo, a Sixto IV. Carmelitarum Religio, a Clemente VI., & Innocentio VI. Ordo Eremitarum S. Auguſtini, a Paulo IV. Societas Jeſu, & vix eſt reperire Regularem Congregationem aliquam, quæ ſibi particulari conſimili privilegio non gaudeat, quæ adhuc ſi aliqua non reperiretur condecorata, abunde eidem ſuffragaretur privilegium communicationis cum aliqua ex Religionibus, cui tale privilegium fuit conceſſum. Ampliſſimis terminis abundant Conſtitutiones ejuſmodi, favoremque protendunt ad commenſales omnes, familiares, famulos, alioſque quoſcumque, qui in habitu ſæculari Religionis inſerviunt, ſed moderatæ eſſe videntur a Concilio Tridentino *ſeſſ.* 24. *cap.* 11., ita ut intelligendæ ſint de illis, qui tres conditiones habuerint copulative, videlicet *quod actu inſerviant, quod intra ſepta Monaſterii reſideant, ac ſub eorum obedientia vivant*, non quidem ſub obedientia ratione voti, quia ſic non eſſent familiares, & famuli, ſed fratres, ſed ſub obedientia ratione muneris ſerviendi, cui conſequens eſt, ut obedire debeant, ut bene Suarez *to. 4. de Relig. tract.* 10. *lib. 9. cap. 4. nu.* 11. Ejuſmodi familiaribus, & famulis a Regularibus ſacramenta, etiam Euchariſtiæ in paſchate, & per modum viatici, necnon extremæ Unctionis in mortis periculo adminiſtrari poſſe, & quatenus ſine electione ſepulturæ deceſſerint, in propriis Cœmeteriis licite, & libere abſque Parochorum venia, hiſque inconſultis eoſdem ſepeliri, docent propterea communiter Doctores; ſic tamen non erit de iis, qui licet Regularibus inſerviant, extra clauſtra degunt, aut in quibus memoratæ non concurrunt conditiones.

DECRETUM XVIII. CAP. IN ORDINE CXCV.

An in Eccleſiis Fratrum ſepeliendæ ſint cadavera eorum, qui ejuſdem Ordinis habitu induti ex hac vita migrarunt? Reſp. ſi conditiones in Bulla aureæ fel. rec. Sixti Papæ IV. contentas, in ipſis adimpletas eſſe conſtiterit, videlicet quod a Guardiano Domus loci, in quo tales decedere contigerit, aut ab alio Superiore, vel ab altero, cui id Superior committendum duxerit, habitum receperint, ac prædictus Guardianus, vel alius Superior eoſdem præmonuerit, eorum cadavera propter habitus conceſſionem, ſeu receptionem penes ipſos fratres, quorum habitum geſtant, eſſe ſepelienda; eo caſu cum habitu Religionis decedentes, in Eccleſiis pariter ejuſdem Religionis eccleſiaſticæ ſepulturæ eſſe tradendos. Congr. Ep., & Reg. 11. Dec. 1615.

I. EX Apoſtolicis Conſtitutionibus, & ſignanter Sixti IV. licet perſonis omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus id cupientibus, in habitu Regularium Ordinum mori, & ſepeliri, quin a curatis, aliiſve Eccleſiarum rectoribus impediri queant, ſub excommunicationis pœna Summo Pontifici reſervata. Habitus hujuſmodi ſolum concedi poteſt a reſpectivarum Religionum Prælatis, vel ab aliis de eorum commiſſione, & cadavera tali habitu induta, patenter deferri debent ad locum ſepulturæ nullo ſuperpoſito pallio, vel tegumento. Quo autem in loco ſepeliri debeant, idem Sixtus IV. diſerte ſe explicat, dum ne ex illorum corporum delatione ad alia loca, fratribus injuria irrogetur, tales apud fratres decernit eſſe ſepeliendos, etiamſi alibi ſuam elegiſſent ſepulturam, niſi fiat de licentia, & aſſenſu eorumdem fratrum, quemadmodum rite tradit Caſarubius *verb. habitus num.* 9. Bulla ejuſdem Sixti, quæ appellatur *aurea*, incipit *Sacri Prædicatorum*, data eſt die 26. Julii 1479. & ne iis, qui Religionum habitum petunt, & recipiunt, extra loca ſibi bene viſa tumulari eveniat, Superioribus, vel iis, qui de eorumdem commiſſione infirmis prædictum habitum elargiuntur, mandat præmonere decedentes, eos, cum obierint, apud Eccleſias fratrum, quorum habitum recipiunt, eſſe ſepeliendos.

II. In Concilio Lateranenſi hæc moderata fuiſſe videntur, habet quippe Leo X. in Bulla *Dum intra mentis* 19. Dec. 1516. *Volentes quoque ſepeliri in habitu eorumdem fratrum in clauſtro non degentes, ſed in propriis domibus habitantes, in eorum ultima voluntate ſepulturam ſibi libere eligere poſſint.* Diſtinguit Leo inter degentes in clauſtro, & habitantes in propriis domibus, & his indulget, ut ſepulturam ſibi libere eligere poſſint, etſi in habitu fratrum ſepeliri velint; ſecus vero illis, qui in clauſtris degunt, quales ſunt famuli, aliique familiares, quos cum minime excipiat, conſequenter relinquit diſpoſitionibus Sixtinis.

III. Cum tempore poſterior ſit Sanctio, cujus expoſitioni incumbimus, Leoninæ moderationis limites ſatis indicat eſſe reſtrictos ad caſum, in quo ſervatæ non fuerint conditiones a Sixto IV. indictæ, quando nempe ſuſcipientes habitum non fuerunt præmoniti de ſepultura apud fratrum Eccleſias habendas. Et quidem dum ejuſmodi præmonitio præceſſit, nulla iiſdem injuria irrogatur; ipſi namque apud eorumdem fratrum Eccleſias hoc ipſo libere ſepulturam eligunt, quod eorumdem habitum lubentes ſuſcipiunt, unde quatenus antecedenter alibi ſepulturam elegiſſent, per ſuſceptionem habitus tali electioni renunciare, & ſepulturam de novo in fratrum Eccleſiis cenſentur eligere, a qua rationabiliter conſequenter non poſſunt recedere, niſi de conſenſu fratrum, a quibus habitum receperunt.

IV. Haud tamen refragor, quod adhuc prædicta præmonitione habita, excogitari poteſt habitantibus extra clauſtra per Leonem X. indulta libera electio ſepulturæ, quin obſtet Congregationis declaratio, quæ emanata credi poteſt pro iis, qui poſt receptionem habitus decedunt ſine ſepulturæ electione. Ut minimum itaque ſit indubium, quod qui in receptione habitus ut ſupra præmoniti fuerunt, ſepeliendi ſunt in Eccleſia fratrum, quatenus ſine electione ſepulturæ decedant. At quid ſi ante receptionem habitus alibi ſepeliri elegiſſent? In Eccleſia fratrum adhuc erunt tumulandi, per receptionem namque habitus, dum prædicta præmonitio præceſſit, voluntatem mutaſſe cenſentur, & in Eccleſia fratrum ſepeliri elegiſſe, dum in ſuſceptione ipſa habitus aliter, vel poſtmodum ſe minime expreſſerint. Quod ſi infirmi in conceſſione habitus ut ſupra minime fuerint præmoniti, ſepeliendi erunt, ubi de jure ſepeliri debent, dum namque non ſervantur conditiones, quibus favor eſt alligatus, ruit favor ipſe; & præſertim quia ultra præjudicium tertii quiſquis videt facile, quod Sixtus eamdem præmonitionem præmitti voluit, ne decedentes ob ignorantiam ſepeliri contingat, ubi ſcientes minime voluiſſent. Quoniam vero, ut dicebamus, Leonis X. Conſtitutio ſolum habitantibus extra clauſtra favorabilis extat, qui intra clauſtra degunt, dummodo Religionis habitum obtinuerint, liberam non habebunt ſepulturam, ſed tumulandi erunt in Eccleſiis fratrum, ubi jam de jure ſepeliri debebant. At an etiam ſi ut ſupra non fuerint præmoniti? Videtur, quia ad differentiam habitantium extra clauſtra præſumi poſſunt conſcii, quod in receptione habitus virtualiter includitur electio ſepulturæ; tu tamen a Bullæ verbis minime diſcedito, quæ prædictam præmonitionem indiſcriminatim præmitti mandant; odioſa enim nimis eſt privatio juris eligendi ſepulturam, ut ex meris præſumptionibus firmari valeat, quæ in id genus indoctis famulis vix locum habent.

V. Reliquum nunc eſt, recenſeamus indulgentias, quibus fiunt participes eligentes ſepeliri in Eccleſiis, vel in habitu Regularium. Ex conceſſione Leonis X., & Adriani IV. in Eccleſiis Regularium ſepulti, conſequuntur indulgentiam plenariam, & participationem omnium indulgentiarum, quas ipſi Religioſi lucrantur, omniumque ſuffragiorum pro tempore faciendorum in Monaſterio, in quo ipſi ſepeliri mandaverint. Clemens vero IV., & Nicolaus IV. eligentibus ſepeliri in habitu Mendicantium conceſſerunt remiſſionem tertiæ partis peccatorum, quam Leo X. ad indulgentiam plenariam extendit, ad quam lucrandam declaravit ſufficere, quod habitum petierint, licet ante mortem eum non induerint, vel quod ponatur ſuper thalamum, aut lectum hominis agonizantis. Quæ indulgentiæ revocatæ minime fuerunt a Paulo V., in cujus Bulla revocatoria ſolum indulgentiæ illæ cenſentur comprehendi, quæ pro fratribus conceſſæ ſunt, non quæ pro ſæcularibus, aut univerſaliter pro omnibus fidelibus, quinimmo nec conceſſæ pro mortuis, vel morientibus. Hanc ad rem recoli poſſunt Caſarubius, Lezana, Peyrinus, Rodericus, Donatus, aliique plurimi, dum nos ultra ſuperius tradita ad adnotandum facimus, quod ex ſolo titulo memoratæ indulgentiæ plenariæ, & participationis ſuffragiorum utique fructuoſior apparet ſepulturæ electio apud Regulares Eccleſias.

DECRETUM XIX. CAPITIS, IN ORDINE CXCVI.

Parochi, Superiores Eccleſiarum Sæcularium, & Regularium, Sacriſtæ, & alii, ad quos ſpectat, non permittere debent, quod cadavera Eccleſiaſticorum ſæcularium, præſertim Sacerdotum, ſicut etiam Diaconorum, & Subdiaconorum transferantur ex propriis domibus ad Eccleſias, vel in illis exponantur quocumque alio habitu, ſive Confraternitatum, ſive Religionum, ſed cum ſacris veſtibus eorum Ordini convenientibus, juxta diſpoſitionem Ritualis Romani tit. de exequiis. Clemens XI. 9. Dec. 1705.

I. Ritualis diſpoſitionem exequi mandat Sanctio præſens, & ſimul exponit. *Exponit*, quatenus etſi de ſacerdotibus, & clericis univerſim ſermonem inſtituat, eamdem ſoli clero *ſæculari* adaptat, Regularem in ſuis laudabilibus conſuetudinibus rite deſerens. *Exequi* vero *mandat*; quid enim aliud ea volunt ejuſdem Ritualis verba? *Sacerdos, aut cujuſvis Ordinis clericus defunctus, veſtibus ſuis quotidianis communibus uſque ad veſtem talarem incluſive, tum deſuper ſacro veſtitu ſacerdotali, vel clericali, quem Ordinis ſui ratio depoſcit, indui debet.* Non ſiſtit autem Rituale in aſſignando veſtitum in genere, *quem Ordinis ſui ratio depoſcit*, ſed ſtatim tranſit ad præſcribendas diſtinctim veſtes, quibus debent indui, & ſunt omnes illæ, quibus utuntur ad altare. Unde pro ſacerdote ſubdit: *Sacerdos ſuper talarem veſtem, amictu, alba, cingulo, manipulo, ſtola, & caſula, ſeu planeta violacea ſit indutus.*

II. Veſtes tum ſacerdotales, tum clericales, juxta Durandum *lib. 7. cap. 35. num. 41.* virtutes ſignificant, cum quibus præ ceteris miniſtri altaris ſunt Deo præſentandi, myſticaſque habent rationes plurimas, quas modo recenſere non vacat. Morem itidem in habitu Eccleſiaſtico ſepeliendi Epiſcopos, Abbates, & Sacerdotes in primitiva uſque Eccleſia viguiſſe, & a lege Moſayca in Evangelicam deveniſſe, teſtis eſt Nicolaus de Lyra in cap. 10. Levitici: *Ex hoc autem, quod Nadab, & Abiu fuerunt ſepulti cum veſtibus ſacerdotalibus, inolevit conſuetudo, quod ſacerdotes novæ legis cum veſtibus ſacerdotalibus ſepeliantur.* Hinc & Gloſſa in cap. *Nemo* de conſecr. diſt. 1. *Clerici mortui bene induuntur veſtibus ſacris.* Quod ſi monumenta antiqua perſcrutanda forent, ex Beda nos illico docet Amalarius *lib. 4. Eccl. offic. cap.* 41. S. Cuthbertum defunctum *veſtimento ſacerdotali* indutum, & *ſacerdotalibus veſtibus* item ſepultos fuiſſe aſſerunt Caniſius *antiq. lect. to. 6.* Sanctum Gebardum Epiſcopum Conſtantienſem, Surius *tom. 6. ad diem 4. Decemb.* S. Annonum Archiepiſcopum Colonienſem, & *tom. 4. ad diem 8. Sept.* S. Corbinianum Epiſcopum Friſingenſem, atque Baronius *an. 310. num.* 10. S. Petrum Martyrem Epiſcopum Alexandrinum. Quoad Diaconos vero attinet, diſcimus ex D. Gregorio *Dial. lib. 4. cap. 40.* veſtitos fuiſſe Dalmaticis.

III. Sunt, qui alligant etiam calicem in ſacerdotum manibus, & ad pedes collocant Miſſale apertum, quem uſum etſi Lavorius approbet, Sarnellius *Ep. 33. tom.* 1. tamquam contrarium Rubricæ, quæ nihil ejuſmodi habet, non timet carpere, & minus decentem facere, quia calix eſt ex vaſibus Sacramento Euchariſtiæ immediate inſervientibus, cum tamen pallis ipſis altaris obtegi ſacerdotum corpora vetitum fuerit per Concilium Arvernenſe *can.* 5.; & Altiſiodorenſe *can.* 12. Non contra, ſed præter Rubricam eſſe nos diceremus magis, & cum Amalarius *loc. cit.* nos moneat, quod in exequiis S. Cuthberti *oblata* (ſic nominatur calix) *erant ſuper pectus ſanctum poſita*, præfatum non damnaremus uſum, quem in Surio *tom. 6. ad diem 3. Decemb.* ſervatum etiam fuiſſe legimus erga S. Birinum, cujus corpus inventum fuit *cum calice ad umbilicum ejus poſito*. Indecentia autem, ſi quæ fortaſſe excogitatur, cavetur facile, ſi adhibeatur calix ligneus, aut alterius materiæ, cujus uſus non ſit in ſacramento altaris, unde Beyerlinck *verb. cadaver* calicem cereum olim adhiberi ſolitum fuiſſe aſſerit. Pallas vero, quæ uſurpari interdicuntur, nos credimus illas eſſe, quæ poſtmodum in altaris ornamentum debeant deſervire, cujus generis veſtes ſacras ſacerdotales, vel clericales ultro proſcriberemus a defunctorum corporibus, non vero Miſſalia, quæ cum remote ſe magis habeant, ex iiſdem adhuc ad miſſam legi poſſe non inficiamur.

IV. A Sacerdotibus ad Diaconos, & Subdiaconos gradum facimus, de quibus Rituale habet: *Diaconus vero induatur amictu, alba, cingulo, manipulo, ſtola ſuper humerum ſiniſtrum, quæ ſub axilla dextra adnectatur, & Dalmatica violacea. Subdiaconus autem amictu, alba, cingulo, manipulo, & tunicella &c.* Cur cum manipulo, qui ex ritu in proceſſionibus deponitur, præſcribantur indui, dubium Baruffaldus excitat, & ſcite in hunc modum diluit, quod etſi in proceſſione ipſi deferantur, in ea tamen non gerunt vices Diaconi, & Subdiaconi, ut propterea debeant manipulum deponere, quem aliunde in omnimodam oſtenſionem ſuæ dignitatis, & poteſtatis rite deferunt. Hinc non modicum argumentum habes, cur Sacerdotibus calix concedi valeat, in oſtenſionem nempe poteſtatis, quam habent in corpus Chriſti verum.

V. Contra Rubricam vero deprehenduntur agere, qui prædictos mortuos reſpective induunt planetis, dalmaticis, & tunicellis nigris, cum illa violaceas aperte aſſignet. Ejuſmodi quidem uſum excuſant facile, quæ fuerunt tradita in Decr. 1. cap. 12., ubi vidimus olim promiſcue colorem violaceum, & nigrum uſurpatum eſſe, & etiamnunc uſurpari poſſe violaceum pro nigro, at nec ambigo, quod præcipue in caſu noſtro nonniſi in neceſſitate aliqua diſcedendum ſit a Rubrica, quæ cum altaris miniſtris præ ceteris violaceum colorem aſſignet, haud dubium eſt, quod in colore iſto excogitavit myſterium aliquod, ſicut & ſuperius diximus de colore albo parvulis præ ceteris ſimiliter aſſignato. Quodcumque illud ſit, dum ſine neceſſitate non ſervatur, indubie temere Rubrica negligitur, quæ ceteroquin fortaſſe indicare voluit, in eorumdem morte non admodum dolendum eſſe, ſed lamentationibus intermiſcendum eſſe aliquale gaudium ob intemeratam vitam, quam congruenter ad munus ſuum duxiſſe præſumuntur, & caſtigatione voluntaria, lacrymiſque diluiſſe in vita, ſi quid maculæ ex humana fragilitate fortaſſe contraxerint.

VI. Rituale nec inferiores clericos præterit: *Alii præterea inferiorum Ordinum clerici ſuperpelliceo ſupra veſtem talarem*

ornari

ornari debent, & de his, aliiſque memoratis omnibus conclodit: *ſinguli prædicti cum tonſura, & birretis ſuis*, quare ſi in infirmitate coma facta ſit prolixa, & capilli excreverint oltra menſuram conſuetam, ad hanc debebunt per tonſuram redigi, efformata inſuper corona clericali, ſi forte ſuerit deperdita. Bireta deniqua indicuntur in complementum habitus, & iiſdem illorum capita debebunt obtegi, non enim hic ſunt oraturi ante altare, ut nudato capite debeant deſerri.

VII. Sacerdotes, & clericos præfatos omnes Decretum inhibet ad Eccleſiam deferri, aut in ea exponi indutos alio habitu, ſive Confraternitatum ſit, vel Religionum, quam eo, quem reſpectivi ſui Ordinis ratio depoſcit, & rationem jam ſuperius dedimus, ne ſcilicet eludantur myſteria, & ut antiquius mos cuſtodiatur. Dictio *Præſertim*, qua Decretum utitur, & per eam efficit Sacerdotes, Diaconos, & ſubdiaconos, de ſui quidem natura dumtaxat denotat in his majorem eſſe rationem, ſed idem juris eſſe in aliis clericis inferiorum Ordinum, ſed quoad hos limitandam nos eſſe credimus, quatenus ſine electione habitus decedant; cum enim ejuſmodi clericis ad differentiam in ſacris Ordinibus conſtitutorum, liberum ſit clericalem habitum a ſe abjicere, & etiam ſæcularem induere videre non eſt, cur idipſum iiſdem in morte non liceat. Quoniam vero etiam Sacerdotibus ſæcularibus, Diaconis, atque Subdiaconis integrum eſt quarumcumque Religionum habitum aſſumere quolibet tempore, dummodo id præſtent animo eamdem Religionem intrandi, dubium non eſt, quod ſi hoc animo habitum alicujus Religionis petant, & obtineant, nedum in eodem habitu ſepeliri poterunt, ſed debebunt.

DECRETUM XX. CAP. IN ORDINE CXCVII.

Canonici pluviali, planeta, dalmatica, vel tunicella parati, non debent deferre almutias; Canonico vero defuncto induto planeta, ſeu dalmatica, vel tunicella imponi poteſt almutia per brachium. S. R. C. 4. Aug. 1663. *in una Dalmetiacum*.

I. ALmutia caput olim, & ſcapulas per hyemem tegebat, eratque ab origine pileus quidem ſubſutus, quem *capucium foderatum* appellabant; & ex ejus aucta longitudine, & latitudine effluxerunt integræ almutiæ, pelles ſcilicet in ſcapulas, & in pectus deſcendentes. Vox hæc cenſetur corrupta ab *Armo*, ideſt humero, unde *armutia* potius dicenda eſſet, ex eo quod ſuper armos feratur. Molanus *lib. 3. de canon. cap. 5., & 8.* putat a Theutonicis ita nominatam; lingua enim eorum *Ulde mutſen* pileum ſeniorum vocat. Verum cum talis delatio æſtate nimis moleſta eſſet, deducta aſt almutia ſuper ſiniſtrum brachium, ut in dextero ad operandum expeditiores forent. Antiquiſſimus eſt almutiæ uſus, unde in hiſtoria Tornacenſi fit mentio antiquiſſimæ picturæ cujuſdam Litberti Canonicorum Decani cum almotia ſuper humeros; floruit hic autem anno 1050.

II. Inter ſacras altaris veſtes almutia non recenſetur, ſed indumentum quoddam erat ad arcendum frigus, inſigne quoddam inde factum canonicalis dignitatis, & ideo canonicis non permittitur deferri, dum pro divinis officiis congruentes veſtes induunt. Secus eſt de canonicis demortuis, quibus uti permittitur uſus planetæ, dalmaticæ, vel tunicellæ non in altaris miſterium, ſed in oſtenſionem clericalis dignitatis, qua in vivis pollebant, ita nihil vetare poteſt, ſuper eorumdem ſiniſtrum brachium apponi almutiam canonicalis dignitatis indicium. Idipſum conſequenter erit de Beneficiariis in iis Cathedralibus in quibus almutiarum uſum habent.

III. Hinc compertum eſt, probatum iri priſcum uſum illum, ipſa lege nova antiquiorem, apponendi in funeribus inſignia dignitatum, & munerum, & ſymbola, aut ſimulacra virtutum, & profeſſionis, quæ non minus ſuper ſepulcrum ipſum inſculpi, vel imponi poterunt. Sic Leonidæ tumulo leonem, Diogenis canem, Diodori Rhetoris corvum, Laidis leænam, Ariſtomenis Meſſenii, & Platonis aquilam ab Ethnicis ipſis impoſitam fuiſſe diſcimus, ſicuti & Archimedis cippo ſphæram cylindro inciſam.

DECRETUM XXI. CAP. IN ORDINE CXCVIII.

Pileus Epiſcopi demortui debetur Eccleſiæ tumulanti, non Cathedrali. Congr. Ep., & Reg. 26. Apr. 1653.

I. EPiſcopi non minus libera eſt electio Sepulturæ, quam ſi deligant in alia Eccleſia a Cathedrali, galerus, qui in funere ad oſtenſionem Epiſcopalis dignitatis defertur, non Cathedrali, ſed Eccleſiæ tumulanti rite adjudicatur. Galerus enim eſt acceſſorium quoddam ad cadaver, hujuſque dignitatis inſigna, unde æquum eſt apud ipſum cadaver remaneat. Idem judicium facito in ſimilibus.

DECRETUM XXII. CAP. IN ORDINE CXCIX.

Ut in Eccleſiis nihil indecens relinquatur, iidem (ſcilicet Capitula, Parochi, Rectores, Vicarii, Sacriſtæ, Oſtiarii, & alii Cuſtodes, etiam Regulares) provideant, ut capſæ omnes, & depoſita, ſeu alia cadaverum conditoria, ſuper terram exiſtentia, omnino amoveantur, prout alias ſtatutum fuit: & defunctorum corpora in tumbis profundis infra terram collocentur. Pius V. Conſt. *Cum primum Apoſtolatus*. 1. Apr. 1566.

I. A Deo præſertim magnatum luxuries excreverat, ut cum illis omnia vitia extinguerentur præter ſuperbiam; laudari deſiderabant, ubi non erant, & cruciari non curabant ubi erant, erigebant ſiquidem intra divina ipſa penetralia ſuperbiſſima ſepulcra, quæ in ſpecioſitate altaria excellebant, & vanitate ſe æternizandi cum ipſomet Deo æterno dimicare tentabant. Hujuſmodi faſtum, & audaciam ut Pius V. elideret, ac a ſimili indecentia vindicaret Eccleſias, capſas omnes, & depoſita, ſeu alia cadaverum conditoria, ſuper terram exiſtentia, amoveri ſancivit. Decreti, quod antiquitatis tollebat monumenta plurima, & inſignia artis proſternebat opera, executio ſubſiſtit, donec Congregatio per ſequentem declarationem (erit Decr. 23. cap., in ord. 200) ejuſdem Conſtitutionis declaravit limites: *Non comprehenduntur monumenta marmorea, muris, ſeu columnis adhærentia, præſertim amotis cadaveribus a locis altis; hæc enim ornamentum potius, & decorem, quam indecentiam, vel impedimentum aliquod afferunt Eccleſiis*. Congr. Epiſc. 13. Oct. 1579. Dictio *Præſertim* apte eſt ſuſtinere etiam ipſa cadavera in dictis monumentis, quorum dumtaxat etſi *marmorea* excepluentur, haud dubitarem etiam ſaxea, aliaque ſimilia, præſertim inſigni arte elaborata, in exceptione per extenſionem æque comprahendi.

II. *Sed capſæ omnes* (ſit Decr. 24. cap., in ord. 201.) *& alia ſimilia depoſita, licet aureis velleribus contecta, omnino debent amoveri*. Ead. Congr. 15. Dec. 1579. Jure enim hæc, quæ nullam inſignitatem præſeferunt, tanti facta non ſunt, ut a communi lege excluderentur. Super vexillis exorto dubio, *Inſignia, ſive vexilla* (erit Decr. 25. cap., in ord. 202.) *appoſita in Eccleſiis in ſignum alicujus victoriæ, contra ſanctæ fidei hoſtes obtentæ, in Conſtitutione Piana non comprehendi cenſuit* ead. Congr. 22. Mar. 1580. Per monumentorum amotionem amovenda itidem cenſentur vexilla, aliaque inſignia, quæ reapſe eorumdem monumentorum acceſſoria quædam ſunt, quinimmo & ipſa vere monumenta ſunt, quatenus in ſignum alicujus victoriæ, alteriuſve rei apponuntur. Ab hac lege immunia declarantur inſignia, ſeu vexilla in ſignum victoriæ contra ſanctæ fidei hoſtes obtentæ appoſita, & cum Decretum minime diſtinguat, haud ambigo idem juris eſſe, tametſi ibi appoſita fuerint occaſione Ducis, qui eam obtinuit, inibi tumulati. Dum enim hæc in honorem Ducis ſepulti deſerviunt, præcipuum argumentum itidem ſunt beneficentiæ divinæ, conſpicienteſque excitant ad gratiarum actiones pro beneficiis; quæ divinum cultum indubitanter, & immediate reſpiciunt. Quæ autem apponuntur in ſignum alterius victoriæ, profana cum ſint, nec belli cauſa ſit rite probata, licet ſupra ejuſdem legitimitate quiſquis ſibi blandiantur facile, digna non ſunt, quibus divina penetralia occupentur. Ad rem hanc operæ pretium eſſet legere, quæ ſtatuit S. Carolus *in Conc. Prov. 2. par. 2.*

DECRETUM XXVI. CAP. IN ORDINE CCIII.

Eccleſiæ non debent fodi, neque excavari pro ſepultura, ſed in ſepulcris, ſive tumbis profundis intra terram Chriſtianorum cadavera ſepeliri. Congr. Ep. & Reg. 23. Julii 1603.

I. ET *defunctorum corpora in tumbis profundis infra terram collocentur*, ait Pius V. in allegata Conſtitutione, quam Nicolius *to. 1. lucub. lib. 4. tit. 15. num. 26.* ita exponit: *Notandum, quod non prohibetur fodi, ſeu excavari pavimentum, ſed parietes*. Et quidem mens conſtitutionis erat, ne defunctorum corpora ſuper, ſed ſubter terram ſepelirentur, unde inhibitio ſiſtet in excavatione facienda in pariete, in quem cadavera debeant intrudi, non autem in pavimento, cum tunc æque cadavera ſubter terram collocentur. Jam foditur, & excavatur etiam pavimentum Eccleſiæ, quando in ea extruuntur ſepulcra communia, quæ non crederem a quopiam per Decretum excogitari interdicta. Quod ſi pro extruendis ſepulcris communibus licite foditur, & excavatur Eccleſiæ pavimentum, quis unquam dubitaret, idipſum præſtari poſſe pro inibi ſepeliendo uno, vel altero fideli, licet non in ſepulcris communibus, ſed loco particulari?

II. In Chriſtianis ſepeliendis permiſſum olim non erat, ut unum corpus aliud premeret, unde Concilium Antiſiodoren. can. 15. & Matiſconen. can. 17. *Non licet mortuum ſupra mortuum mitti*. Laudabilis mos iſte abiit in deſuetudinem; Eccleſia enim ſatisfaciendum putavit piis fidelium votis ſepeliri cupientium intra Eccleſias, quarum ſpatium cum aptum non ſit ſingulorum fidelium ſeparata ſepulcra continere, neceſſe fuit in iiſdem communia conſtruere, ſed hinc minime fit, quod præfatus mos pro uno, vel altero cuſtodiri non valeat, & cum pro uno cadavere amplum ſepulcrum conſtrui ſuperfluat, pavimentum quidem fodi, & excavari poterit, quantum ſufficit ad commode condendum cadaver, dummodo ſepulcrum e ſolo non emineat, & fornicato opere ædificetur, ne ex cadaveris putrefactione pavimentum labatur, aut ex incedentium preſſione cadat. Hinc habes to *Profundis*, de quo Decretum, non ſumi pro eo, quod deorſum magnam habes altitudinem, ſed contraire ad ſuper terram, unde rite ſubdit *infra terram*. Hæc deprompſimus ex cit. Concil. Mediol. 1., quod oſſa, ac cineres tumulatorum in monumentis ſuper terram exiſtentibus, jubet *in ſacro loco altius in terram defodi, ita condita, ut ſepulcrum e ſolo non emineat*. Et eorumdem Act. par. 4. in Inſtruct. ad funera deducenda: *Et ſi cui locus ſepulturæ deinceps dabitur in Eccleſia, humi tantum detur, & ſepulcrum, in quo conditur, opere fornicato cum reliquo Eccleſiæ pavimento æquatum ſit*.

III. Digna, quæ prætereantur, non putamus eſſe verba ejuſdem Concilii Provinc. 1., quæ & inſimul indicant limites

Planæ

Digitized by Google

Pianæ Conſtitutionis. *Non eſt ferenda noſtri temporis inſolentia ſepulcrorum, in quibus putida cadavera, tamquam ſacrorum corporum reliquiæ, excelſo, & ornate loco in Eccleſiis collocantur, circumque arma, & vexilla, trophæa & alia victoriæ ſigna, & monumenta ſuſpenduntur, ut jam non divina templa, ſed caſtra bellica eſſe videantur. Ambitioſam igitur hanc in mortuorum corporibus decorandis arrogantiam deteſtantes, & Eccleſiarum decori conſulentes, ejuſmodi ſepulcra excelſo loco poſita, & ea, quæ parietibus incluſa, vel adjuncta etiam in una parietum parte eminent, niſi marmorea, aut ænea ſint, ſive illis corpora contegantur, ſive inania, & ibi tantum honoris cauſa ſint conſtituta, & eorum omnis generis ornatum, & apparatum, ad tres menſes amoveri, ac tolli omnino jubemus.* Ne vero duntaxat crederent amovenda, quæ intra Eccleſias erecta ſunt, in Synodo Diœceſana 4. decr. 37. idipſum faciendum ſtatuitur de iis, quæ in cœmeteriis, & ſacris aliis locis haberentur, diſtricteque inhibetur, ne quid ſimile in poſterum attentetur. Et ita quidem, ut nec marmorea, aliaque, quibus jampridem erectis ut ſupra Decreta parcunt, modo fas ſit in locis ſacris erigere, quinimmo & jam erecta debent removeri, ſi ratione loci, in quo ſunt collocata, minus retineri deceat, aut Eccleſiam deturpent, vel ſolemnes functiones impediant.

DECRETUM XXVII. CAP. IN ORDINE CCIV.

Altaria, ſub quorum bradellis cadavera ſunt ſepulta, licet propterea conſecrationem non amittant, debent tamen interdici, donec cadavera in alium deferantur locum, Congreg. Ep. & Reg. 10. Nov. 1599.

I. OPportune ſe offert nobis cap. *Præcipiendum* 13. q. 2. *Prohibendum eſt etiam ſecundum majorum inſtituta, ut in Eccleſia nullatenus defunctorum corpora ſepeliantur, ſed in atrio, aut in portico, aut in exedris Eccleſiæ. Infra Eccleſiam vero, & prope Altare, ubi corpus, & ſanguis Domini conficitur, nullatenus ſepeliantur.* De antiqua conſuetudine ſepeliendi cadavera extra Eccleſias, & adhuc urbes actum in ſequenti Decreto, nunc ſolum accipimus, quæ de altari præſcripta ſunt, *prope quod* cadavera ſepeliri obſervamus inhibitum; & hujus diſpoſitioni conſonat Rituale Romanum, quod tit. de exeq. *cadavera autem prope altaria non ſepeliantur.*

II. Altaris honor de conſuetudine Eccleſiæ ſolis Sanctis tribui ſolet, & opus non eſt, repetamus late tradita in præliminaribus cap. 4. to. 1. ſuper morem primitivæ Eccleſiæ ædificandi templa, & altaria ſuper Sanctorum oſſa, ac ſepulcra martyrum; cujus moris adhuc reliquia quædam ſupereſt, dum altaris conſecrationem reliquiæ Sanctorum per ſacros expoſcuntur canones. Ad rem digna, quæ recolantur, profecto itidem ſunt, quæ dedimus in Decreto 14. ejuſdem capitis, ex iis quippe omnibus ſepultura ſub altari adeo luculenter evincitur reſervata corporibus Sanctorum, ut inſimul pateat, quam rite denegetur aliorum cadaveribus. Quæ ſi non haberentur, fortaſſe verba illa *Quorum reliquiæ hic ſunt*, quæ poſt introitum in altari oſculo pronunciat Sacerdos, ex ſe apta forent de ſub altari removere, quorum ſanctitas probata non eſt.

III. Hæc quoad altare invicte probant, ex eo autem titulo ad bradellas rite extenduntur, quod ad altare pertineant, & ejuſdem ſint veluti quædam pars integralis, certa additionalis, & appendix, quemadmodum ſcite ponderant Pignatellus *to.* 4. *conſult.* 32., & Paſqualigus *to.* 1. *q.* 675. Sepulcrorum diſtantiam ab altaribus ita deſcribunt Acta Eccleſiæ Mediolanenſis par. 2. cap. 26. de ſepulcris. *Laicorum ſepulcra prope altaria non ſtruantur, fiantve, niſi tam longe diſtent, ut ſepulcrale os ab eorum ſcabello, bradellave procul abſit ſpatio ſaltem cubitorum trium.* Ab ea non eſt ejuſmodi diſtantia, hoc namque ipſo reliquum ſepulcri ad bradellam minime pertingit, ad quam pertingere nec debere, nec poſſe credimus. Dictio *Prope* contiguitatem deſignat, unde cum non *prope altaria* cadavera ſepeliri jubentur, ſepulcra a bradellarum contactu interdicuntur. Quoniam vero diſtantia quælibet, vel minima, contiguitatem tollit, haud crederem vetitum intra cancellos cappellarum ſepulcra extruere, dummodo ad bradellas uſque non pertingant.

IV. Equidem memorata Acta per ſequentia verba & a finibus chori, & cappellæ majoris, & a cancellis cappellarum minorum ſepulturas excludunt: *Nullo ſane modo intra chori, & cappellæ majoris fines, neque rurſus intra cappellarum minorum cancellos extruantur, quibus a populo Sacerdos celebrans ſeparatur.* Verum cum nec Decreti, nec Ritualis verba adeo amplam inhibitionem invehant, neque nos eamdem ſtatuere valemus. Nos minime quidem latet, quod Rota in Calagurritana de Amurio 12. Decembris 1603. coram Ludoviſio to. *In Eccleſia*, in qua vetatur ſepeliri defunctorum corpora, exponit de cappella majori Eccleſiæ, ſed quatenus in d. cap. *Præcipiendum* deberet ſiſti, nedum in cappella majori, ſed reapſe nec intra Eccleſiam ſepelienda forent. Quod licet ita ſint, id honoris cappellæ majori rite deferri credimus, quamvis in inhibitum non poſſimus dicere.

V. Altaria vero, prope quæ, ſive ſub quorum bradellis cadavera ſepulta ſunt, *non* propterea execrantur, ſeu conſecrationem amittunt, ſed ſolum interdicuntur, ita ut in illis celebrare non liceat, donec cadavera in alium deferantur locum, ad quem iiſdem aſportatis, illico in altari celebrari poterit, quin neceſſe ſit, novam eidem adhiberi conſecrationem. An vero nedum cadavera alio aſportari debeant, ſed etiam obturari ſepulcra, inſtitui poſſet quæſtio, ſed cum Decretum duntaxat cadaverum aſportationem expoſcat, nec aliter ſuadeant rationes ſuperius traditæ, nihil ultra exigi poſſe videtur. Attamen etiam tumbas, ſeu ſepulcra implenda eſſe terra, & ſepulcralem lapidem amovendum eſſe, Epiſcoporum Congregationem 15. Junii 1635. demandaſſe Auctores referunt. Id quidem ſatius fieri quiſque videt; an autem ſi minime fiat, interdictum altare cenſeri debeat, ego definire non audeo.

VI. Num idipſum ſit, ſi cadavera, & ſepulcra ſint ſacerdotum, quorum quidem ſanctitas rite probata non eſt, ſed quantum ſcire humana conditio patitur, probam duxere vitam, & laudabilem, ac ſancte in Domino obdormiviſſe creduntur? Non videtur, conveniens quippe non eſt, mortuos arceri ab altari, qui viventes altari cum laude inſervierunt. Verum aliter evincunt ſuperius tradita, quæ altaris honorem reſervant defunctis probatæ ſanctitatis, ejuſmodi non ſunt memorati ſacerdotes. Quoniam vero in primis Eccleſiæ ſæculis Sedis Apoſtolicæ privativum munus non erat judicium ſuper ſanctitate defunctorum, haud denegaverim plures ſanctitate præſtantes viros ſub altari ipſo conditos fuiſſe, qui honos Epiſcopis ipſis aliquando tributus extitit, ſed alia de cauſa, unde Card. Bona lib. 1. rer. liturg. cap. 19. in fine: *Hac eadem de cauſa veteres Eccleſiæ Patres epiſcopos orthodoxos ſub altari ſepelire conſueverunt, ut cum ipſi ſacrificia, & ordinationes fierent, quia ad ſervandam fidei unitatem, ad legitimam ſucceſſionem indicandam viventis epiſcopi cum anteceſſore defuncto neceſſariam exiſtimabant.*

VII. Simile quodpiam indicare videtur S. Ambroſius in epiſtola Domnæ ſorori ſcripta, in qua docet decreviſſe ſub altari ſe condi; *dignum enim eſt, ut ibi requieſcat ſacerdos, ubi offerre conſueverat;* quæ tamen ratio ſacerdotibus omnibus, tametſi epiſcopalis ſacerdotii apice minime potitis, favorabilis extat. Huc ſpectant etiam, quæ in teſtamento ſtatuit S. Ephrem Diaconus: *Siquis fallacibus rationibus auſus fuerit me ſub altari collocare, ſupremum, ac cæleſte altare talis numquam videat; ſed neque in alio loco templi permittatis me poni.* Cum enim Epiſcopi & viri ſanctitate eminentes, ſub altari humarentur, metuit S. Ephrem, ne ii, qui viventis pietatem laudaverant, mortuum hoc honore afficerent; quem vir humillimus ut evitaret, nedum eo tam ſacro loco ſe condi vetuit, verum nec in alio loco templi; *non enim deceat* (ſubdit ipſe) *vermem putredine ſcatentem in templo, ac ſanctuario Domini reponi.*

DECRETUM XXVIII. CAP. IN ORDINE CCV.

Prohiberi non poteſt, quin cadavera intra Eccleſiam ſepeliantur, ſed alia via arcendi ſunt fœtores. Congr. Ep. & Reg. 3. Febr. & 16. Decemb. 1603.

I. S*Tatutum Communitatis* (ſit Decr. 29. cap. in ord. 206.) *ne cadavera ſepeliantur in Eccleſiis intra locum, ſeu terram civitatis abſque præjudicio emolumentorum Parochi, etſi confirmatum per Cardinalem a latere legatum, nullum eſſe declaravit* eadem Congreg. 1. Septembris 1603. Plurimum nobis ineſſet otii, ſi in recenſendis addictionibus, quibus indictum olim erat, ne ullus intra urbem ſepeliretur, calamo indulgere vellemus. *In urbe ne ſepelito*, in duodecim habetur tabulis, & idipſum vetuit Adrianus, confirmavitque Antoninus Pius. Extat etiam hac de re Diocletiani, & Maximiani Decretum *lib.* 2. *C. de relig. & ſumpt. funer.*, & nihil expreſſius fingi potuiſſet ea lege, quam anno 381. Eucherio, & Syagrio Coſs. tulerunt Gratianus, Valentinianus, & Theodoſius Imperatores: *Omnia, quæ ſupra terram urnis clauſa, vel ſarcophagis corpora detinentur, extra urbem delata ponantur, & ut humanitatis inſtar exhibeant, & relinquant incolarum domicilio ſanctitatem &c. Ac ne alicujus fallax, & arguta ſolertia ab hujus ſe præcepti intentione ſubducat, atque Apoſtolorum, vel martyrum ſedem humandis corporibus æſtimet eſſe conceſſam, ab his quoque ita, ut a reliquo Civitatis, noverint ſe, atque intelligant eſſe ſubmotos.*

II. Cautum id fuit etiam aliorum legibus, & Plato non modo voluit in agris ſepulcra fieri, verum huic muneri deligi agros ſteriles, & qui reliquis uſibus inutiles ſunt, unde Tullius 2. de legib. cap. 27. *Plato vetat ex agro culto, eove, qui coli poſſit, ullam partem ſumi ſepulcro, ſed quæ natura agri tantummodo efficere poſſit, ut mortuorum corpora ſine detrimento vivorum recipiat, ea potiſſimum ut compleatur; quæ autem terra fruges ferre, & ut mater, cibos ſuppeditare poſſit, eam ne quis nobis minuat, neve vivus, neve mortuus.* Eccleſiaſtica addamus addicta, quorum opportunum eſt Concilium Bracarenſe II. cap. 18. *Placuit, ut corpora defunctorum nullo modo in baſilica Sanctorum ſepeliantur, ſed ſi neceſſe eſt, de foris circa murum Baſilicæ, uſque adeo non abhorret. Nam ſi firmiſſimum hoc privilegium uſque nunc manet civitatis, ut nullo modo intra ambitus murorum cujuslibet defuncti corpus humetur: quanto magis hoc venerabilium martyrum debet reverentia obtinere?* Ulus ſepulcrorum extra civitates indubiam fidem faciunt cœmeteria Chriſtianorum tum Romæ, tum alibi extructa, ſepulcrorum vero extra Eccleſiam Caput *Præcipiendum* in præcedenti Decreto allegatum, ut brevitatis ſtudio quamplurima alia omittam.

III. Ne cadavera intra urbium ambitum ſepelirentur, equidem plurium Nationum legibus interdictum erat, ſed indubia

munu

monumenta ſuppetunt, quod non omnium, & quod adhuc ex, quibus id erat veritum, non adeo legibus, & conſuetudinibus ſuis obſecutæ ſunt, ut cadavera intra Urbem interdum condi non ſinerent. Ad rem hanc poſſunt recoli Arnobius *lib. 6. adverſ. gent.*, Cicero *lib. 2. de leg. cap.* 23. Plutarcus *qu. Rom. quæſt.* 79. Spondanus *de cœmet. lib.* 1. *cap.* 14. *n.* 12., & renovatio ipſa legum, de quibus ſupra, nos certiores reddit, quod præcedentes negligebantur. Erant autem, qui præ ceteris ut plurimum id honoris aſſequebantur, viri beneficentia, virtute, muneribus, vel religione celebres. Lex de non ſepeliendis cadaveribus intra urbes a Leone Sapiente Imperatore aboleta fuit, uti conſtat ex *nov.* 53. *At quod lex mortuos nonniſi extra civitates humari vult, quomodo id humanam naturam dedecore afficere non eſt?* Lex itidem de non ſepeliendis chriſtianis intra Eccleſias, ſed in cœmeteriis, vel earum exedris communius quidem ſervata extitit, ſed non ubique, & ſuas non minus exceptiones habuit in favorem Principum, Epiſcoporum, Abbatum, miniſtrorum Eccleſiæ, Religioſorum, virorum ſive avitæ nobilitatis, ſive munerum præſtantia inſignium, aut erectione templorum, vel probitate vitæ illuſtrium, ut indubitanter evincunt exempla, quæ erudite admodum congerit, remque pertractat Trombellius *de cultu ſanct. tom.* 1. *part. ult. diſſert.* 6. *cap.* 58. *& ſeq.*, ad quem ſe ſinat Lector remitti. Succeſſivis vero temporibus tolerantia iſta inſtar juris fuit habita, quinimmo protenſa fuit ad quoſcumque fideles, unde in cap. *Nullus* 13. quæſt. 2. *Nullus mortuus intra Eccleſiam ſepeliatur, niſi Epiſcopi, aut Abbates, aut digni presbyteri, vel fideles laici*; etſi enim nonnulli to *fideles* exponant de fidei virtute, ita ut faciant miracula, intelligi tamen debet de fide baptiſmi, ita ut quilibet Chriſtianus poſſit in Eccleſia ſepeliri, ſed non gentilis, ut non obſcure eruitur ex cap. *Ubicumque* 13. qu. 2., ex cap. *Eccleſiam* de conſecr. diſt. 1. & ne ſacrorum canonum allegatione lectorem obruam, communis ipſius Eccleſiæ conſuetudo approbat, juncto etiam cœmeteriorum uſu.

IV. Emolumentorum, quæ ex ſepultura intra Eccleſias perſentiunt fideles, quibuſque conſequenter permota fuit Eccleſia ad talem ſepulturam fidelibus indifferenter permittendam, idem Trombellius recenſet plurima, quorum potius illud arbitror, quod Euſebio teſte Conſtantinum magnum permovit ad ædificandam Apoſtolorum baſilicam, in hacque ſepulturam eligendam, *quo ſcilicet Precationum, quæ in honorem Apoſtolorum ibi celebrandæ erant, etiam mortuus particeps fieret.* Simile quodpiam edocuit Gregorius magnus 4. *Dial. cap.* 50., & habetur cap. *Cum gravis* 13. q. 2., eo quod nempe propinqui, & amici, dum ad Eccleſiam accedunt, inſpicientes ſepulcra, orant pro mortuis, eoſque ſpecialiter commendant Sanctis, quibus dedicata eſt Eccleſia. Etiam ad Eccleſiam non accedentibus dum occurrit memoriæ nomen, vel Eccleſia Sancti, apud quam affinis, aut amicus eſt tumulatus, facile etiam memoriæ illorum occurrit mortuus ipſe, pro quo & facile ſtatim Dominum deprecantur, ut advertit Auguſtinus *lib. de cura pro mortuis cap.* 4. *alias* 6., cujus & caput 18. alias 22. abs re non erit recolere.

V. Si non defunctis, viventibus non leve obvenit emolumentum aliud, quod ſcite deſcribit Chryſoſtomus *to.* 2. *num.* 1. *homil. in S. Droſidem martyrem*, intuentes quippe ſepulcra, ad mortis utiliſſimam ſane memoriam vel inviti excitantur, unde percelluntur fateri nihil ſtabile in hoc mundo eſſe, ſeu moleſtum ſit, ſive jucundum, peccati laqueo non facile capiuntur, & per virtutum opera ſe præparant in exitum, atque ad iter ex hoc mundo. Perſuaſum id fuit Gentilibus ipſis, quos *ex l. 2. ff. de loc. pub. & itin.* diſcimus condidiſſe ſepulcra in egria prope viam, ut viatores mortalitatis monerentur. Lycurgus quoque Spartanorum legiſlator referente Plutarco in ejuſdem vita, mortuos in urbibus & prope Deorum ædes ſepeliri voluit, ne illi mortis metu, & horrore ſe capi ſinerent; & hinc exurgit utilitas reipublicæ admodum proficua pro militaribus actionibus.

VI. Ex antiquis ea ſuperſtitione tenebantur nonnulli, ut non modo religioſa, & ſacra putarent ſepulcra, verum etiam loca, atque ædificia adjacentia, adeo ut nec illa incoli, nec ſegetes ſeminari in illis poſſent, & propterea extra urbes in locis ſterilibus, atque infœcundis tumulari ſolebant defunctorum corpora, & apud alios adhuc cremabantur, ut conſumerentur. Hinc habes cauſam eorumdem ſepulturæ extra urbes, ut ſcilicet adjacentia loca incoli poſſent, & ne iiſdem immineret ignis periculum; extructo enim ad id rogo ita cremebant corpora, ut his combuſtis, oſſa legerent, & cineres, & in monumentum referrent, quare Ovidius *lib.* 11. *Triſt.*

Oſſa tamen facito parva referantur in urna.

VII. Gloſſa in cap. *Cum gravis* 13. q. 2. id alia conſideratione cautum eſſe aſſerit, nempe ne civitas corrumperetur fœtore, & hoc conſonat iis allegatæ legis verbis: *Et relinquant incolarum domicilio ſanitatem.* Conſimili de cauſa olim ſtatutum fuit, ne quis in Eccleſia ſepeliretur; fœtor enim, & humiditas, quæ ex cadaverum humatione provenire ſolet, non omnino ſanum efficiunt habitaculum, & ea hujuſmodi incommodis nonnunquam avertuntur fideles a frequentandis Eccleſiis. Gloſſa in cap. *Præcipiendum* 13. q. 2. aliam producit cauſam, *Ideo prohibetur fieri ſepultura in Eccleſia, quia locus ille ſpecialiter Deo dedicatus eſt, cui mors ultra non dominabitur.* Moralis eſt iſta ratio, cujus generis cauſas quiſquis facile poteſt effingere, quare a priori diſcedendum non eſſe credimus, præſertim cum eadem fuerit ex potiſſimis, ob quas extra urbes cadavera fuerunt ſepulta. Ejuſmodi cauſa, aliæque, quæ produci queunt, in comparationem emolumentorum, quæ ut ſupra tum viventes, cum defuncti perſentiunt fideles, tanti non fuerunt habitæ, ut propterea lex de non ſepeliendis cadaveribus intra Eccleſias, relaxari non debuerit, unde Decretum rite ſanxit, *prohiberi non poſſe, quin cadavera intra Eccleſiam ſepeliantur*, & quatenus hinc proveniant fœtores, aliave incommoda, *alia via arcendos eſſe.*

VIII. Ad arcendos fœtores remedium, quod laudata Acta Eccl. Mediol. par. 2. ſuggerunt, profecto eſt valde accommodum. *Operiantur ſepulcra, ne ullo unquam tempore fœteant, duplici integumento, quod quadrata, vel alia decenti forma, pro loci ratione e lapide ſolido ſit, ita tamen, ut inter utrumque aliquid ſpatii relinquatur; & inferius tegumentum e eodi, illud ſuperius e polito lapide ſtruatur, Eccleſiæ pavimento æquale, quod ſepulcrali ori undique apte cohæreſcat.* Hæc ſi fiant, arcebuntur fœtores, & ſi alicubi adhuc exhaleat, parum cœmenti opportunum exhibebit remedium; humiditati vero conſuleat ſepulcra alte effoſſa. Experientia hoc fit perſpicuum, & licet intra Eccleſias nunc communiter ſepeliantur cadavera, non propterea avertuntur fideles a frequentandis Eccleſiis.

IX. Ex dictis facile rationem habes, ob quam in adducto Decreto altero *declaratur nullum ſtatutum communitatis, ne cadavera ſepeliantur in Eccleſiis intra terram conſtitutis, licet ſine præjudicio emolumentorum Parochi*, ut taceam ejuſdem incompetentiam ob materiem, in qua latum fuerat, & contrariat canonicas ſanctiones, quibus cum contraire non poſſet Cardinalis a latere legatus, jure rejectum illud fuit, *etſi ab eodem confirmatum.*

DECRETUM XXX. CAP. IN ORDINE. CCVII.

Tolerari tamen poteſt, quod ii, qui decedunt non electa ſepultura, tumulentur extra mœnia. Ead. Congr. 5., & 27. April. 1603.

I. NOn quidem in loco non ſacro, ſed vel in Cœmeteriis, vel in Eccleſiis; petentium enim ſolum mens erat arcere cadavera ab Eccleſiis, vel Cœmeteriis intra urbem, vel terram conſiſtentis, non vero de iiſdem ſepeliendis in loco non ſacro, aut præciſe in Cœmeteriis. Excipiuntur, qui decedunt cum electione ſepulturæ, quem ſacri Canones cuique volunt liberam; & quia ſepulcrum majorum inſtar ſe habet ſepulturæ electæ in iis, qui decedunt ſine electione ſepulturæ, ideo habentes ſepulcrum majorum, in hoc non minus tumulari debebunt, perinde ac ſi in eo ſepulturam elegiſſent. Hinc nec ruit in parentibus facultas eligendi ſepulturam pro filiis impuberibus intra Eccleſias urbis, & adhuc in his ſepeliri deberet uxor moriens ſine electione ſepulturæ, ſi in iiſdem maritus foret ſepultus; ſtant enim adhuc integra, quæ ſuperius dedimus, & ſolum tolerantia eſt erga eos, qui cum ſepulturam non elegerint, nec alii pro iiſdem, nec particularem aliquam rationem habeant, apud Parochialem Eccleſiam ſepeliri deberent. Uſus autem hujuſmodi non approbatur, ſed tantummodo *toleratur*, quia etſi non omnino corruant ſuperius recenſita emolumenta, minus tamen habetur eorumdem favor apud Eccleſias, & Cœmeteria territorii, quæ frequentia populi, propinquorum, & amicorum remanent deſtituta. Res inſtar ſe habet ſepulturæ electæ in loco minus religioſo, quæ prius e ſacris Canonibus rejiciebatur, poſtmodum ad obſequendum ultimæ defunctorum voluntati tolerata extitit; qui enim ſtante memorato uſu decedunt ſepultura non electa, interpretative ſepulturam eligunt, prout idem fert uſus.

II. Quæ licet ita ſint, hinc deduci minime valet, quod Eccleſia non optet Cœmeteriorum uſum; etſi enim legem de non ſepeliendis cadaveribus in templis correxerit, & nolit prohiberi poſſe eadem intra Eccleſias tumulari, datis tamen da cauſis magis probat defunctorum corpora in Cœmeteriis ſepeliri, unde Rituale: *Ubi viget antiqua conſuetudo ſepeliendi mortuos in Cœmeteriis, retineatur, & ubi fieri poteſt, reſtituatur.* De Cœmeteriis Rituale loquitur, non quæ extra mœnia, & in locis diſſitis ab Eccleſiis, & ab hominum commercio, & frequentia ſite ſint, ſed quæ ædificata ſunt prope, & circa Eccleſias ipſas, atque in locis ab hominum frequentia minime remotis; hæc enim & a fœtore, aliiſque incommodis Eccleſias vindicant, & nec mortuos, nec viventes ſuperius recenſitis emolumentis privant, ut facile conſideranti patebit, ubi illa dum incommodis Eccleſias liberant, utilitatibus expoliant viventes, atque defunctos.

DECRETUM XXXI. CAP. IN ORDINE CCVIII.

Non licet Parochis majorem eleemoſynam exigere pro defunctis in Eccleſiis Regularium ſepeliendis, quam eis ſolveretur, ſi in propriis, vel aliis ſæcularium Eccleſiis ſepeliri deberent. Congreg. Ep., & Reg. 27. Oct. 1603., 22. Aug. 1642., 2. Oct. 1643., 20. Martii 1647., 27. Janu. 1651.

I. ECcleſia, quæ admodum congruis de cauſis cuique liberam voluit ſepulturæ electionem, quammaxime ſemper ſtuduit amovere omnia, quæ eamdem impedire, vel retardare poſſent. Hæc inter proculdubio enumeratur exactio majoris eleemoſynæ, quam nonnulli ex Parochis prætendere auſi ſunt pro ſepeliendis in Regularium Eccleſiis; hoc enim ipſo a tali majori onere fideles abſterriti, vel virtualiter cogun-

tur

tur ad eligendam ſepulturam in ſua Parochiali Eccleſia, vel facile deterrentur ab eadem eligenda in Regularium Eccleſiis. Abuſus hujuſmodi irrepſerat in Indiis Occidentalibus, ſed per ſedulam Summorum Pontificum ſolicitudinem ſevere rejectus auitit Conſtitutionibus plurimis, in quibus ſub pœna excommunicationis Papæ reſervatæ inhibetur Parochis talium locorum, ne plus exigant a ſepeliendis in Regularium Eccleſiis, quam in Parochialibus. Duas as dictis Conſtitutionibus edidit Paulus V., unam in favorem Fratrum Eremitarum S. Auguſtini ſub die 16. Februarii 1607., alteram vero ſub die 25. Junii 1608. in favorem Fratrum S. Franciſci; crederem tamen eaſdem non ligare Parochos aliorum quoad excommunicationem, licet & hos indubie carpant, & injuſtitiæ criminentur.

II. Decreta, quæ ſuperius produximus, cum pro Parochis ubivis locorum edita ſint, ſuper injuſtitiam dubitare non ſinunt quibus addere liceat Conſtitutionem Apoſtolicam pro Parochis omnibus ſimiliter emanatam, & erit Decr. 32. cap., in ord. 209. *Ordinariis locorum per præſentes committimus, ut provideant omnino, ne diutius abuſus hujuſmodi tolerentur, & decernant, ne Parochi plus percipere poſſint in ſepulturis, quæ fiunt in Eccleſiis Regularium, quam in iis, quæ fiunt in propriis, ſeu aliorum clericorum.* Urb. VIII. Conſt. *cum ſicut dilectus* 11. Martii 1638. Ut namque ſcite advertit Pignatellus *to. 4. conſul.* 208., modo indirecto ſic præjudicium infertur Regularibus, qui de jure communi, & ex privilegio habet jus ſepeliendi, & fraudantur laici habentes liberam facultatem eligendi ſepulturam. *Abuſus*, & *manifeſtæ extorſiones* a Conſtitutionibus Apoſtolicis appellantur memoratæ exactiones, & ideo recte infert Paſſerinus *de ſtat. tom. 2. quæſt.* 187. *art.* 4. *num.* 167. quod non ſunt malæ, quia prohibitæ, ſed prohibitæ, quia ſecundum ſe malæ, ac conſequenter quod per quamcumque conſuetudinem licitæ reddi non poſſunt. *Hinc ceſſat prætextus* (ſunt verba Pignatelli loc. cit. num. 4.) *quod Parochi ſunt ſoliti plus aliquod exigere ultra ſolitam eleemoſynam. Tum quia hujuſmodi exactio uti abuſiva fuit declarata in præfatis Conſtitutionibus, atque adeo in ea non poteſt fieri fundamentum. Tum quia per actus extenſivos non poteſt induci aliqua conſuetudo, cum ad talem effectum requirantur continuæ ſolutiones voluntarie factæ, non autem ad tollendas vexationes, ut in terminis Gratian. diſcept.* 310. *num.* 23. *& ſeqq.*

DECRETUM XXXIII. CAP., IN ORDINE CCX.

Ceteris paribus non poſſunt Parochi majorem eleemoſynam exigere pro ſepultura forenſium, aut extraneorum, quam incolarum. Congr. Ep., & Reg. 25. Maii 1640., 31. Martii 1646., 20. Junii 1653., & 10. Junii 1654., ac 8. Aug. 1659.

I. PRæcedenter ſub die 23. Maii 1627. idipſum a Congregatione Concilii ſtatutum fuiſſe, communiter referunt Auctores, & utinam per tot deciſiones graſſanti ejuſmodi injuſtitiæ, vel ſimoniæ morbo foret conſultum. Simonia utique eſt, ſi illud plus exigatur tamquam pretium ſepulturæ, vel certe injuſtitia, ſi exigatur, non ut pretium ſepulturæ, ſed ut ſuſtentamentum, quia nullus ſuppetit titulus, ob quem illud majus a forenſibus, vel exteris jure exigi valeat. Et quidem cum Parochi plus laboris impendant erga incolas, quos ab incunabulis uſque ad mortem ſacramentis nutriunt, & Dei verbo paſcunt, quam erga forenſes, & exteros, quos intra Parochiales limites obire contingit, recta utique ratio potius a civibus, quam ab advenis ſuſtentationis ob cauſam plus exigi poſſe ſuaderet. Dignum, quod advertatur, eſt to *ceteris paribus*; non enim afficere poſſe videtur qualitatem funeris, quia adhuc ſervatur æqualitas, dum ſtante eadem qualitate funeris non plus ab exteris, quam ab incolis exigitur, & quatenus plus exigatur, non minus illa læditur. Mercenarios illos, & pauperes Parochus fortaſſe indicat, quibus cum cives pactis eleemoſynis ſubveniant, ſubſidiiſque communitatis ſuccurrant, conſuetudo plus, dummodo intra honeſtatis terminos, exigendi ab exteris, qui nihil ſubſidii pro ſuſtentamento iiſdem alias tribuunt, abſque injuſtitia forte ſervari valat, ubi aſt inducta.

DECRETUM XXXIV. CAP., IN ORDINE CCXI.

Parochi pauperum cadavera gratis ſepelire tenentur. Congr. Ep., & Reg. 5. Maii 1617., & 31. Martii 1646.

I. EN quæ conſonanter Rituale ſtatuit: *Pauperes vero, quibus mortuis nihil, aut ita parum ſupereſt, ut propriis impenſis humari non poſſint, gratis omnino ſepeliantur.* Æquum non eſt defunctorum corpora maneant inſepulta, & ideo rite gratis ſepeliri mandantur, qui cum pauperes ſint, propriis impenſis humari non poſſunt; nedum autem ſepeliri, ſed adhuc ritu ſacro duci, & in Eccleſia conſueta cereorum ſtipatione deportari, unde Rituale ſubdit: *Ac debita lumina ſuis impenſis, ſi opus fuerit, adhibeant ſacerdotes, ad quos defuncti cura pertinet.* Ex quibus habes, quorum impenſis hæc ſubminiſtrari debeant; *Sacerdotes* namque, *ad quos defuncti cura pertinet*, nemo eſt, qui ignoret, eſſe Parochos.

II. Non ita tamen cereorum ſuppeditatione onerantur Parochi, ut eoſdem ſubminiſtrare nequeat *pia aliqua Confraternitas, ſi fuerit, juxta loci conſuetudinem*, ut Rituale ſubdit; ſi autem talis Confraternitas deſit, Parochi quos in operibus miſericordiæ maxime prælucere decet, in gratuita cadaverum aſſociatione, & cereorum ſuppeditatione difficiles non ſe præbeant, ſed hilares præſtantes, quæ ad ipſos pertinent, exemplo ſuo libitinarios, alioſque quoslibet, qui in ſepeliendi corporibus dant operam, ad hanc gratis ſimiliter præſtandam provocent, atque ſuadeant. Digni, qui deplorentur, ſunt Parochi illi, qui pro pauperum funere eleemoſynas ſordide conquiri permittunt, aut ſucceſſores, quos agnoſcunt inopes, ad eaſdem ſubminiſtrandas angunt, & per dilationem ſepulturæ uſque cadaveris, aliiſve modis turpibus conantur adigere; ſordidæ enim avaritiæ ſibi notam ingerunt, populis grave ſcandalum, & cum tumulare mortuos in ipſis non tam miſericordiæ, quam juſtitiæ, opus ſit, ultra pœnas, quibus in eoſdem animadvertere debent Epiſcopi, in extremo judicio ſe ſciant a Chriſto excluſos fore a regno, quod *Matth.* 25. miſericordibus decernet.

III. Verum ſi Parochorum muneris eſt pauperes tumulare gratis, & eorumdem honeſtas exigit, ut ſcrupoloſe nimis non rimentur ſuper mortuorum facultatibus, ſed magis in iiſdem gratis ſepeliendis ſe præbeant faciles, non minus fideles ſedulo advertere debent, ne ſub paupertatis prætextu eleemoſynis, quas conſuetudo effecit licitas, & debitas, defraudent Parochos, qui ſuper eorumdem ſalutem ſemper vigilantes, eamque indefinenter promoventes, uti altari ſerviunt, ita de altari vivere debent.

DECRETUM XXXV. CAP. IN ORDINE CCXII.

Reſidua illius ceræ, quam aliqua Confraternitas, vel locus Pius impendit de ſuo in ſepeliendis pauperibus gratis, nec a Parocho, nec a quocumque alio prætendi poſſunt, niſi ſubſit fraus aliqua. Congr. Ep., & Reg. 22. Nov. 1588., 21. Martii 1578., 22. Aug. 1606., & 15. Martii 1616.

I. EO vergit Decretorum mens, ne ejuſmodi miſericordiæ opera præſtantes, nimis graventur, neve reddantur impotes, vel abſterreantur a ſimili officio erga alios pauperes. Idipſum erit, ſi Parochus, aut Eccleſia tumulans cereos ſuis impenſis adhibeant; peracto enim funere reſiduum ceræ juris erit ejus, qui eamdem ſubminiſtravit, quin portio aliqua, ne quidem quarta, detrahi valeat.

II. *In ſepeliendis pauperibus gratis* ſcite ait Sanctio, quia ſi id officii gratis præſtaret ex inſtituto Confratribus ſuis omnibus, aut indifferenter generi alicui perſonarum, cerei, tametſi gratis ſuppeditarentur, cederent in favorem Parochi, & Eccleſiæ tumulantis; non enim iſti conſuetis eleemoſynis defraudandi ſunt niſi quando a locis piis gratis illi tumulantur, qui propriis impenſis ſepeliri nequeunt, cujuſmodi nec cenſentur Confratres pauperes, qui licet reapſe non habeant, unde de ſuo tumulentur, jus tamen habent ad honorificam ſepulturam, quam ex inſtituto Confraternitas præſtat indifferenter ſuis Confratribus. Dicimus *indifferenter*, quia ſi id officii præſtaret ſolum ſuis Confratribus, qui ſuis impenſis tumulari nequeunt, haud dubitarem a Parocho, aliiſque reſiduum ceræ prætendi non poſſe, perinde ac ſi tali officio proſequeretur pauperes, qui de gremio Confraternitatis non ſunt.

III. *De ſuo*, unde ſi cerei aliqui ſuppeditarentur ab hæredibus, & ſuum Confraternitas ſubminiſtraret alios, ut cadavera pauperum honorificentiori ritu ad ſepulturam deferrentur, ſolum hi Confraternitati reſtituendi forent, non autem illi. *Niſi ſubſit fraus aliqua*, quia ſi cauſa expuliandi cereis Parochum, aliosve, a Confraternitate gratis ſepelirentur, qui habent, unde de ſuo commode ſepeliantur, fraus ipſi non ſuffragaretur pro exportandis cereis.

DECRETUM XXXVI. CAP. IN ORDINE CCXIII.

Licet hæredibus cadavera defunctorum ad tumulum aſſociari facere intortitiis, & candelis extinctis, offerendi Confraternitatibus pro aſſociatione SS. Sacramenti, aut pauperum ad ſepulturam, dummodo eorumdem cereorum ſaltem duplum accenſum deferatur; unde ſi ex extinctis deferuntur duo, ex accenſis ſaltem debent eſſe quatuor. Congr. Ep., & Reg. 24. Oct. 1598.

I. TEmperamentum profecto ſapiens, quod occaſione funerum oblationem cereorum gravibus enumeratis in caſibus deſervientium non quidem impedit, ſed duplum eorumdem accenſorum ſaltem deferri mandat, ut a damno quolibet vindicet Eccleſiæ miniſtros, in quorum ſuſtentationem, & beneficium cedunt accenſi. Hinc habet Chriſtiana charitas, unde ſe effundat in pietatis officiis.

DECRETUM XXXVII. CAP. IN ORDINE CCXIV.

Servanda eſt conſuetudo circa candelas, quas prætendit Abbas, dum impeditus ad funera mittit crucem Eccleſiæ ſuæ, donec aliter declaretur. Ead. Congr. 19. April. 1641.

I. SErmo eſt de candelis, quæ numero, aut pondere majores juxta conſuetudinem in defunctorum funeribus dantur Eccleſiarum Rectoribus pro qualitate perſonæ, & muneris dignitate, qui, donec aliter declaretur, in poſſeſſione manutenendi decernuntur, dum impediti mittunt crucem Eccleſiæ ſuæ. An autem etiam, quando impediti non ſunt? Non crederem, quia dum ſunt impediti, ea ipſis ſuffragatur ratio, quod ipſis non ſtat, quo minus interſint, unde digni ſunt, crux Eccle-

ſiæ

ſiæ ſuæ pro ipſis ſuppleat, quos jam repræſentat, ubi dum impediti non ſunt, uti ut ſoli voluptati vacent, perſonalem intereſſentiam ſubtrahunt, ita æquum eſt, ut ea Eccleſiæ iiſdem non acquirat cereos illos, quorum diſtributio reſpicit qualitatem perſonæ, & muneris, exigitque perſonalem præſentiam.

DECRETUM XXXVIII. CAP., IN ORDINE CCXV.

Si quis ſepultus fuerit extra Eccleſiam, in qua debeat ſepeliri, ſunt reſtituenda omnia emolumenta occaſione ejus ſepulturæ percepta, & etiam ipſum cadaver, ſi petatur. Ead. Congr. 29. Nov. 1622.

I. ECcleſiæ, in quibus ſepeliri debebat, hoc ipſo læduntur in jure, quod ſuper cadaver habebant, & ſuper emolumenta occaſione ejus ſepulturæ percepta, unde quid unquam æquius, quam quod prædicta emolumenta reſtituenda ſint, & cadaver ipſum, ſi petatur? *Maxime* (ſit Decr. 39. cap. in ord. 216.) *ſi fuerit ſepultus in loco, vel capſa ſeparata, & ejus contemplationem relictum fuerit annuum legatum Eccleſiæ ſepulturæ*. Ead. Congr. 15. Febr. 1593. 13. Julii 1618., & 5. Julii 1647. Dictio *Maxime* ſolum deſignat fortiorem eſſe rationem in caſibus, in quibus ponitur, unde non ſit, quod idem jus non ſit extra caſus enumeratos.

II. *Non tamen* (ſit Decr. 40. cap. in ord. 217.) *convenit reſtitui, ſi fuiſſet ſepultus a multo tempore, & maxime ſi cum aliis corporibus, unde difficulter poſſint ejuſdem oſſa diſcerni: quo caſu ſola funeralia reſtituuntur, cum declaratione, quod cadaver ſpectabat ad talem Eccleſiam*. Ead. Congr. 19. Jun. 1601., 7. Dec. 1604., 12. Jun. 1654., & 30. Apr. 1655. Cum enim cadavera a multo tempore ſepulta quammaxime fœteant, & quatenus cum aliis cadaveribus ſepulta ſint, eorumdem oſſa facile diſcerni nequeant, haud convenit ad alium aſportari locum, cujus juri, & indemnitati ſatis poteſt conſuli per reſtitutionem funeralium emolumentorum, & declarationem nullitatis humationis, & quod cadaver ad talem ſpectabat Eccleſiam, quemadmodum faciendum eſſe, rite decernitur, Urſaya *tom. 1. par. 1. dub. 7. num. 66.* praxim, quam refert, Tribunalium magnorum laudat decernendi Eccleſiis reſtitutionem emolumentorum, in quibus præjudicantur, cum prædicta declaratione, non tamen corporis, cujus petitio minus videtur congrua. Et quidem licet firmum maneat jus pro reſtitutione corporis, in hujus petitione inſiſtendum non eſt, & fortaſſe nec eidem a Superioribus annuendum, niſi cadaver ſepultum ſit in capſa ſeparata, & non a multo tempore.

III. In caſu non reſtitutionis cadaveris cui Eccleſiæ annuum relictum legatum debeatur, facile non eſt ſtabilire. Si declaretur Eccleſiæ ſepulturæ, hæc ex delicto beneficium reportat, alteri præjudicium infert, & ad ſimilia tentanda provocatur. Si judicetur in favorem Eccleſiæ, in qua de jure ſepeliri debebat, non ſervatur defuncti voluntas, qui Eccleſiæ ſepulturæ legatum deſignavit. Verum cum teſtator etiam Eccleſiam, quam beneficii intendit participem, illico deſignet, explicita quidem, ſi electionem ſepulturæ faciens, Eccleſiam nominet, implicita vero, quando ſepultura non electa decedit, tunc nempe Eccleſiam, in qua de jure eſt ſepeliendus, idcirco prælato in caſu non Eccleſiæ, in qua de facto ſepultus jacet, ſed in qua de jure ſepeliri debebat, legatum competere non dubitamus; & præſertim quia dum ſanctiones ipſæ funeralia emolumenta eidem Eccleſiæ decernunt, eamdem intendunt ab omni præjudicio vindicare. Si tamen cadaver in loco ſeparato ſepultum foret, aut ejuſdem oſſa diſcerni poſſent, ad Eccleſiam legati aſportandum eſſet, tametſi a multo tempore ſepultum, maxime ſi legatum eſſet de miſſis annuatim legendis, aut eleemoſynis ad Eccleſiæ valvas diſtribuendis; factum enim præſumitur tale legatum, ut ſuper cadaver a ſacerdotibus reſpective, vel fidelibus preces fiant.

DECRETUM XLI. CAPITIS, IN ORDINE CCXVIII.

Reſtituendum eſſe cadaver Eccleſiæ, in qua defunctus ſepulturam elegerat, una cum emolumentis, quarta deducta cenſuit Sacra Congr. Ep., & Reg. 1. Febr., & 31. Maii 1647., 5. Febr. 1649., 14. Jan., & 1. Apr. 1650., ac 22. Sept. 1657.

I. NOn deſunt Auctores, qui Parochorum temeritatem, qui ſuorum Parochianorum cadavera contra jura in ſuis ſepeliunt Eccleſiis, nedum reſtitutione cadaverum una cum emolumentis inde perceptis Eccleſiæ, in qua de jure ſepeliri debebant, ſed etiam privatione quartæ, quæ de funeralibus emolumentis ſecundum canonicas ſanctiones iiſdem alias deberetur; qui enim aliena rapere ſtuduit, ſatis congrue deperditione illius, quod eidem tamquam proprium ſacri decernunt, & indulgent canones, multari videtur, ut hinc ediſcat intra juſtitiæ ſe cohibere limites, & aliena minime invadere. Verum Congregatio rite decernit unicuique ſuum, ſcire arbitrata, quod Parochi aliena ſurripere minime tentaverint, ſed quæ ſui juris crediderunt, ſibi vindicare.

DECRETUM XLII. CAPITIS, IN ORDINE CCXIX.

Cadaver, quod alicubi poſitum non eſt per modum depoſiti, ſed traditum eſt perpetuæ ſepulturæ, exhumari non licet, nec alio aſportari, niſi de licentia Ordinarii. Congr. Ep., & Reg. 29. Janu. 1603.

I. N*Ullum porro cadaver perpetuæ ſepulturæ traditum ex illa cujuſvis Ordinis Eccleſia aſportari liceat, niſi de licentia Ordinarii*, ſunt verba Ritualis Romani, quibus conſonant, quæ ſtatuuntur in cap. *Corpora Sanctorum* 37. de conſecr. diſt. 1. Defunctorum itaque corpora, quæ perpetuæ ſepulturæ tradita ſunt, exhumari non poſſunt, & alio transferri, niſi de licentia Epiſcopi, qua ſtante etiam cadavera illa, quæ in ſepultura ſibi electa quieſcunt, transferri poterunt, jura namque de licentia Ordinarii tranſlationem cadaverum fieri permittunt, quin adhibeant limitationem ullam. Quæ vera ſunt, tametſi in Regularium Eccleſiis cadavera ſepulta forent; nihil enim aliud expoſcunt verba illa Ritualis *ex illa cujuſvis Ordinis Eccleſia*. An etiam vetitum ſit cadavera ſine licentia transferri de uno loco ad alium ejuſdem Eccleſiæ, dubium eſſe poteſt, quia modo allegata Ritualis verba ſolam tranſlationem cadaverum de una Eccleſia ad aliam interdicere videntur. Verum cum laudatum cap. *Corpora Sanctorum* diſerte inhibeat transferri cadavera *de loco ad locum*, & huic conſonanter Decretum *alio aſportari*, quinimmo & *exhumari*, indubium redditur, quod nec de uno ad alium locum ejuſdem Eccleſiæ transferri poſſunt ſine licentia Ordinarii.

II. Inſurgit modo dubium, quid hac in re ſentiendum ſit de ſepultis in Regularium Eccleſiis? Caſarubius verb. *ſepultura* num. 20. refert privilegium Leonis X. pro Minoribus, & communicantibus, quod ipſorum Prælati cum hæredum conſenſu poſſint corpora defunctorum transferre ad alia loca in iiſdem Eccleſiis, ſed Paſqualigus in Lauretum de Franchis *cap. 2. part. 2. qu. 66.* illud fuiſſe exiſtimat vivæ vocis oraculum, & proinde modo revocatum, quod & monet Lezana verb. *ſepultura* num. 21., ubi & ſe præbet difficilem in admittendo, quod docet Diana, nimirum, quod quando corpus defuncti fuit Regularibus datum, ut ponerent illud, ubicumque voluerint, poſſint illud ſine ullo privilegio, aut licentia Epiſcopi, vel conſanguinei exhumare, & ad alium locum ejuſdem Eccleſiæ transferre; hæc enim porro non ſtant ad allegata, & allegandа jura.

III. Quæ licet ita ſint, ſuis tamen non carent limitationibus, & primo ſi cadaver ſepultum fuiſſet extra Eccleſiam, in qua de jure ſepeliri debebat, ut dictum eſt in præcedentibus Decretis. 2. Si humatum fuiſſet per errorem in non ſuo ſepulcro, ſed alieno, & fortaſſe nec convenienti, tunc enim poſſet exhumari, ut in ſuo, vel convenienti ſepulcro ejuſdem Eccleſiæ reponeretur. 3. In cadaveribus ſepultis in locis editis, & in monumentis e ſolo elevatis juxta tradita in Decreto 21. hujuſce capitis. 4. Quando expurgantur ſepulcra, qua in occaſione poſſunt defunctorum oſſa abſque Ordinarii venia ad Cœmeterium aſportari. 5. Quando adeſt neceſſitas, ut puta Eccleſiæ, vel Cappellæ renovatio, vel reparatio.

DECRETUM XLIII. CAPITIS, IN ORD. CCXX.

Cadavera alicubi tumulata per modum depoſiti, abſque ullius venia ad ſuam ſepulturam transferri queunt. Ead. Cong. 16. Oct. 1602.

I. JUra quælibet, quæ ad tranſlationem cadaverum expoſcunt Ordinarii licentiam, diſponunt de cadaveribus traditis perpetuæ ſepulturæ, quare ſuperius traditis limitationem aliam præſens Decretum adhibet pro cadaveribus per modum depoſiti ad tempus tumulatis, quorum tranſlationem ſine ullius venia fieri poſſe, jam firmatum manet *in extr. 1. de ſepult. inter com.*, ubi ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ proſcribitur abuſus illorum, vel ſimilis, qui ſuorum corpora, præſertim extra ſuarum partium limites defunctorum, exenterant, ac membratim, vel in fruſta concidunt, & decoquunt, ut ab oſſibus tegumento carnis excuſſo, eadem ad prædictas partes mittant, ſeu deferant tumulanda, & ſtatuitur, quod magis defunctorum corpora deferantur ad loca, in quibus viventes legerint ſepeliri, aut ubi deceſſerint, terræ tradantur ad tempus, ita quod demum incineratis corporibus, aut alias ad loca, ubi ſepulturam elegerint, deportentur.

II. Modum, quo fieri debet tranſlatio corporum, ſequens Decretum indicat, & erit 44. cap. in ord. 221. *Tranſlatio cadaverum de partium conſenſu juſtaque de cauſa, ac ſine ſolemnitate fieri debet*. Congr. Ep. & Reg. 4. Aug. 1597., & 2. Aug. 1658. *De partium conſenſu*, nempe hæredum defuncti, & Rectorum Eccleſiarum a qua, & ad quam. *Juſta de cauſa*, ſine qua vexandi non ſunt humani cineres in ſuis ſepulturis, quæ ſunt defunctorum requies: juſtas autem cauſas Lavorius *tom. 11. cap. 7. num. 29.* late recenſet. *Sine ſolemnitate*, Solemnitas namque, & magna pompa tranſlationibus Corporum Sanctorum jure reſervantur.

III. Expoſitionem concludat Decretum aliud, & erit 45. cap. in ord. 222. *Pro tranſlatione cadaverum de uno in alium locum, nullam deberi gabellam declaravit* S. Congr. Immunit. 10. Jun. 1613. Id autem intelligi debet ſive tranſlatio fiat de villa ad urbem, ſeu de una in aliam civitatem.

DE-

DECRETUM XLVI. CAP. IN ORDINE CCXXIII.

Exhumari nequeunt cadavera ſine licentia Sacræ Congregationis pro recognitione facienda a curia ſæculari, Ead. Congr. 17. Decemb. 1602.

I. NIſi Decretum limites ad cadaver perſonæ Eccleſiaſticæ, quod ſine licentia Sacræ Congregationis Immunitatis ad prædictum effectum exhumari non poteſt, *privative accipiendum* eſt; etiam enim Epiſcopum poſſe hanc facultatem tradere, evincunt allegata per Monacellum *tom. 1. tit. 6. for. 7.* Quæ vera ſunt, tametſi Eccleſia foret Regularium, ut diſerte ſtatuit ſequens Decretum, quod erit 47. cap., in ord. 224. *Quam facultatem etiam tradere poteſt Epiſcopus, tametſi Eccleſia eſſet Regularium*, S. Congr. Immun. 8. Aug. 1645. Cum quidam Regulares ſine Epiſcopi licentia cujuſdam cadaver præfatam ob cauſam exhumari permiſiſſent, querimonia delata fuit ad Congregationem Epiſcoporum, & Regularium, quæ ſub die 11. Sept. 1643. Epiſcopo Placentino ordinavit, ut euſdem reprehenderet, argumentum evidens dictæ poteſtatis, qua gaudent Epiſcopi, & quidem privative relate ad Regolares. Quam facultatem tradere non tenentur Epiſcopi, ſed eamdem poſſunt denegare, ſi ita ſibi expedire videbitur ad evitandum aliquod inconveniens, ut contra Januenſem *in Prau.* tuetur Sperell. *deciſ.* 51. *n.* 17. *reſol. crim.* 2. *n.* 3. quem ſequitur Raynal. *obſerv. crim. tom.* 2. *cap.* 1. §. 11. *n.* 35.

DECRETUM XLVIII. CAP. IN ORDINE CCXXV.

Defunctorum cadavera non poſſunt vulgo arreſtari, ſeu ſequeſtrari ob debita civilia, quibus gravantur, etiam erga Menſam, nec eadem de cauſa poteſt differri eorumdem ſepultura, ſed prius cadavera ſepelienda ſunt, & poſtea debitum medio jure petendum, cum chriſtiana pietas non patiatur propter intereſſe pecuniarium remanere inſepulta cadavera. Congr. Ep. & Reg. 14. Aug. 1590., 20. Octob. 1592. & 23. Aug. 1652.

I. SEpultura licet nihil addat ſupremæ defunctorum felicitati, niſi per accidens, ut ſuperius diximus, magna tamen apud gentes illius religio fuit, unde Athenienſes, ſi quis Duo in bello peremptos terræ mandare neglexiſſet, eumdem capite plectebant, & Ovidio in Scythiam relegato tanta ſtetit cura, ne oſſa ſua manerent inſepulta, ut ad uxorem ſcripſerit *lib.* 1. *Triſt.*

Oſſa tamen facito parva referantur in urna,
Sic ego non etiam mortuus exulero.
Atque ea pulveribus, & amomi pulvere miſce,
Atque ſuburbano condita pone loco.

II. Sane apud Chriſtianos ita habitus eſt honor ſepulturæ, ut non abſque ſummo obbrobrio, & criminis atrocis ſuſpicione, aut perpetrationis velut in pœnam denegaretur. Deus ipſe hac pœna ſe vindicavit de impia Jezabele juxta verbum Eliæ *3. Reg.* 21., & per Jeremiam 22. comminatus eſt Joacim Regi Juda ſepulturam aſini, quod ſcilicet ejuſdem cadaver in nullo infereretur tumulo, ſed in agrum projiceretur. Nimis obvia, & paſſim occurrentia, ut in iiſdem recenſendis inſiſtam, ſunt monumenta ſummi ſtudii, quo invigilaverunt priſci fideles naſcentis uſque Eccleſiæ in defunctorum obſequio, & martyrum præſertim, ut eorum corpora terræ mandarent, adeo ut ea etiam magna pecunia mercarentur. Hinc luculenter quiſquis eruet, quam alienum ſit a chriſtiana pietate manere inſepulta cadavera, eorumve ſepulturam retardare, & maxime ob intereſſe pecuniarium, quod poſt ſepulturam jam æque medio jure peti poteſt.

III. Eo modo, quæ ad rem ſubdit Decretum aliud, & erit 49. cap. in ord. 226. *Quia ſævire in mortuos feritas eſt plus, quam barbara a jure ipſo civili proſcripta.* Ead. Congreg. 20. Decemb. 1580. 9. Julii 1581. 18. Decemb. 1601. 16. Novembris 1640., & 19. Aprilis 1641. Jura autem id prohibent ſub pœna infamiæ, confiſcationis tertiæ partis bonorum, amiſſionis debiti, ac etiam reſtitutionis ſimilis ſummæ debitæ, hæredibus defuncti faciendæ, *l. fin. cum auth. ſeq. C. de ſepulc. Auth. ut defuncti ſeu funera &c.* Eaſdem pœnas incurrit Creditor, qui moleſtat debitorem moribundum. *D. Auth.* Si vero intra novem dies a morte debitoris moleſtet hæredes, licet prædictas pœnas non incurrat, omnes tamen actus, quos facit, ſunt nulli. *Auth. ſed neque C. de ſepul. viol.*

IV. Hinc expoſitum ſimul maneat illud Decretum, & ſit 50. cap. in ord. 227. *ſepultura mortuorum nullo prætextu retardari, aut impediri debet, etiam compoſitionis, aut quartæ funeralis cauſa.* S. R. C. 15. Martii 1704. *in Novarien.* Ad rem quodammodo eſt regula, quam *in Manual. Paroch. p.* 2. *cap.* 6. *n.* 5. tradit Carolus Muſart. *Rogatus mortuum nulla pretii mentione facta, abſque moleſtia, aut tergiverſatione ſepelies: Si ii, qui ſumptus facere debent, id quod conſuetudine, vel ſtatuto Epiſcopi juſtum eſt, non offerant, exigere poteris poſt aliquos dies funeris: ſi negent, experire omnem aliam viam: ſi neque ſic, age jure coram tribunali Ordinarii.* Debita proportione habita hinc quiſquis ediſcat, quomodo in ſimilibus ſe gerere debeat.

DECRETUM LI. CAP. IN ORDINE CCXXVIII.

In Eccleſiis Regularium ſine horum conſenſu non poteſt quis ſepeliri, niſi ſit propria defuncti Parochialis, licet ibi ſepulturam elegiſſet, aut ad rem donationem, vel legatum feciſſet. Congr. Ep. & Reg. 2. Jun. 1587.

I. FEre conſimile prodiit Decretum, & erit 52. cap. in ord. 229. *Non licere Curatis ſepelire cadavera defunctorum, neque officia in Eccleſiis facere Regularium abſque expreſſa licentia ſuperioris Eccleſiarum ipſorum Regularium, non obſtante contraria conſuetudine cenſuit* S. R. C. 19. Julii 1636. Clemens IV. jam id pro Minoribus, & communicantibus præcedenter ſtatuerat, ut refert Caſarubius verb. *Sepultura* num. 4., & Gregorius XI. Conſt. *Virtute conſpicuos* ad verbum inſerta in Mari magno Sixti IV. apud Conlect. pag. 59. ita concedit: *Sepulturam quoque in locis, cœmeteriis, & Eccleſiis veſtris concedimus, & eam liberam eſſe cenſemus, ut eorum devotioni, & extremæ voluntati, qui ſe illic ſepeliri deſideraverint, niſi excommunicati, vel interdicti, aut etiam publici uſurarii fuerint, nullus obſiſtat, ſalva tamen juſtitia illarum Eccleſiarum, quibus mortuorum corpora aſſumuntur, diſtrictius inhibentes, ut ulli Religioſi, vel ſæculares vobis invitis, aliquorum corpora defunctorum in veſtris cœmeteriis ſepelire, aut in Eccleſiis veſtris miſſarum ſolemnia, vel pro animabus eorum, qui ad loca veſtra tumulandi feruntur, ibidem exequias celebrare ſine veſtro aſſenſu, & voluntate præſumant.* Quæ Sixtus ibidem, & in Bulla aurea confirmavit, & iterum Pius V. ſua conſt. *Etſi Mendicantium* pro omnibus Ordinibus Mendicantibus. Hæc enarrata fecimus, ut hinc alibi tradita confirmationem accipiant, & ſimul pateat, quod invehi nequeunt cadavera in Eccleſias cœmeteriave Regularium, niſi de eorumdem conſenſu.

II. Diſtinguendum eſt itaque, ita ut quis poſſit quidem in quavis Eccleſia ſepulturam eligere, & in caſu ſepeliri debeat in ſepultura electa, non ita tamen ut in ea ſepeliri debeat invito Rectore Eccleſiæ, ſed libertas conceſſa ad eligendam ſepulturam, continet conditionem licentiæ ſuperioris Eccleſiæ, quæ licentia ex libertate ejuſdem ſuperioris conceditur. Nam hujuſmodi libertas conceſſa ad favorem ſepeliendorum, non vero in odium Eccleſiarum, non eſt in præjudicium illarum deducenda, ut ea vi electionis laicorum ipſæ neceſſitentur admittere hunc, vel illum ad ſepulturam. Item *in cap.* 1. *de Sepulturis* Leo III. dat facultatem eligendi ſepulturam propriam, & alienam, & tamen non per hoc dat facultatem eligendi ſepulturam alienam ſine licentia patroni, vel ita quod patronus neceſſitetur illum admittere in ſua ſepultura. Quæ vera eſſe credimus nedum de Eccleſiis Regularium, pro quibus militant jura allegata, ſed etiam de Eccleſiis ſæcularium, quibus æque adaptabilis eſt ponderatio producta.

III. *Niſi ſit propria defuncti Parochialis*; indubium enim eſt, quod Parochialis rejicere non poteſt ſuos parochianos, tamquam mater ſuos filios; an autem teneatur admittere parochianos alterius parochiæ, & Diœceſis, affirmat Lavorius *tit.* 2. *n.* 35., ſed rite arbitratur Paſſerinus, id non habere fundamentum in jure; relate enim ad alios parochianos extranea eſt, ac ſe habet ut quælibet alia Eccleſia. Fallit dumtaxat in exteris morientibus intra limites parochiales, qui ſi ad propriam parochialem commode deferri non poſſunt, juxta conſuetudinem loci vel Eccleſia Cathedralis, vel Parochialis, eoſdem tumulare tenetur. Dubium eſſe poteſt de Cathedrali relate ad parochianos Diœceſis in eadem ſepulturam eligentes, & cum omnium de Diœceſi communis mater exiſtat, neminem excludere poſſe cenſerem.

III. Decreto nos aliam limitationem porrigimus, ſi nempe de conſenſu Rectoris teſtator in Eccleſia ſepulturam ſibi ædificaſſet, vel ſi in eadem a ſuis majoribus jam conſtructa fuiſſet etiam pro ſucceſſoribus, vel hæredibus, quos inter ille numeraretur. Tunc enim ille rejici non poteſt, licet poſtea revera non admittatur ſine licentia, quæ tributa cenſetur, quando facultas ut ſupra conſtruendi ſepulcrum tradita fuit; quod autem ſemel placuit, amplius diſplicere non poteſt.

DECRETUM LIII. CAPITIS, IN ORDINE CCXXX.

Supra ſepulcri tabulam pro libito ornamenta plana quælibet hæredes efformare valent, dummodo e ſolo non emineant, & abſint coronæ vulgo *Cornice*. Congr. Ep. & Reg. 26. Maii, & 6. Oct. 1645.

I. ITA autem in hæredum libito memorata ornamenta conſtituta ſunt, ut nec ab Ordinariis impediri valeant, quemadmodum, quod ſubdimus, ſtatuit Decretum, & erit 54. cap. in ord. 231. *Nec ab Ordinariis locorum impediri poſſunt.* Ead. Cong. 9. Sept. 6. Oct. 15. Dec. 1645., & 11. Maii 1646. Quod ſi ab Ordinariis impediri nequeunt, utique neque a Regularibus relate ad proprias Eccleſias. Ornamenta vero debent eſſe plana, nec e ſolo eminere, atque abeſſe debent coronæ, ne ſint impedimenta incedentium pedibus, & incommodo precantium genibus. Fere ſimilia ſtatuunt Acta Eccl. Mediol. *par.* 2. *de ſepulcris, & cœmet.* videlicet. *Sepulcra autem fornicato opere fiant, quæque e ſolo Eccleſiæ nullo modo extent, emineantve, ſed illud plane adæquent.*

DE-

Digitized by Google

DECRETUM LV. CAP. IN ORDINE CCXXXII.

Univerſim Religioſi, & Sæculares Clerici, cujuſcumque ſtatus, vel conditionis exiſtant, qui aliquos ad vovendum, jurandum, vel fide interpoſita, ſeu alias promittendum inducunt, ut apud eorum Eccleſias ſepulturam eligant, vel jam electam ulterius non immutent, ſententiam excommunicationis ipſo facto incurrunt, ab alio, quam a Sede Apoſtolica (præterquam in mortis articulo) nullatenus abſolvendi. Bonifacius VIII. *Cap.* 1. *De Sepult. in* 6., & Clemens V. in clem. *Cupientes* de pœnis.

I. EXcommunicatio, de qua in textu, comprehendit dumtaxat inducentes ad obligationem irrevocabilem, qualis eſt obligatio voti, juramenti, & promiſſionis acceptatæ, unde ſi quis ſolum perſuadeat, quamvis ſequatur electio, dummodo ſit revocabilis, non habebit locum excommunicatio. Cum enim odioſa, & pœnalia ſint magis reſtringenda, quam amplianda, non debent dictæ leges extendi ad eos, ad quos verba ipſa non pertingunt, cum loquantur tantum de iis, qui inducunt ad eligendum mediante voto, aut juramento, vel quocumque alio modo promiſſionis, quo inductus ita maneat obligatus, ut ſalva fide non poſſit mutare electionem. Ad eoſdem denique neque extenditur finis legis, qui eſt conſervare liberam poteſtatem eligendi ſepulturam uſque ad ultimum, ut notat gloſſa *in d. cap.* 1. *de ſepult. in* 6., & communius ſentiunt Canoniſtæ; quare qui induceret ad eligendam ſepulturam in propria Eccleſia mediante teſtamento, vel codicillo, quæ non inducunt obligationem irrevocabilem, ſed compatiuntur libertatem electionis, maledictionem æternam non incurreret.

II. Eadem ſententia dumtaxat feriuntur, qui adhuc inducunt obligatione irrevocabili ad eligendam ſepulturam in Eccleſia eorumdem, non autem aliorum, habet quippe textus, *ut apud eorumdem Eccleſias ſepulturam eligant*. An autem ejuſmodi inductio ſit ſaltem mala, ſeu peccaminoſa? Non videtur, quia nec ulla extat canonica Sanctio, quæ eamdem inhibeat, nec alicui infertur præjudicium, quia cum cuique liberum ſit ſibi eligere ſepulturam, in quacumque Eccleſia libuerit, non ſit inductio ad ſe obligandum, niſi ad id, quod licite poteſt facere.

III. Lubet modo perquirere, an mortaliter peccent, & contrahant pœnam juris, qui conantur inducere ad eligendam ſepulturam apud Eccleſiam propriam obligatione irrevocabili, ſi effectus non ſequatur? Quod mortaliter peccent, dubium non eſt, quia quantum eſt de ſe, intendunt actum malum, & feruntur in objectum prohibitum, qua prohibitum. Quod itidem cenſuram contrahant, cenſent nonnulli, eo quod in lege prohibetur actus inducendi. Verum negative quæſtio cum univerſitate Doctorum eſt reſolvenda, qui communiter edocent, cenſuras non contrahi, niſi ſecuto effectu. Quod ad præſens attinet, ratio eſt, quia non prohibetur conatus ad inducendum, ſed inductio ad eligendum; inductio autem non eſt in inducente, ſed in inducto, quia non dicit perſuaſionem, ſed quod ducatur, unde non habetur inductio, niſi quis trahatur ad eligendum, & ideo ſi non habeatur electio, non habetur inductio, ſed tantum attentatio ad inducendum, quæ in Conſtitutionis ſententia minime comprehenditur, ſicuti non ligatur excommunicatione latæ contra percutientes clericum, qui hunc tentat percutere, ſed de facto non percutit.

IV. An excommunicationi ſubjaceat, qui per alium inducit ad irrevocabilem electionem ſepulturæ in Eccleſia propria, quæſtio alia eſt, quam communius Auctores affirmative reſolvunt, quia alias facile fruſtrari poſſet intentio legis, & intercedit manifeſta fraus, quæ nemini ſuffragari poteſt. Non deſunt tamen, qui probabiliter ſentiunt, quod pœnæ non ſunt extendendæ, & dato etiam, quod lex pœnalis extendatur ob identitatem rationis, non tamen extenditur pœna, unde in cap. *Pœna* de pœnitent. diſt. 1. aperte dicitur, quod *pœna proprium caſum non excedit*. Cum itaque jura expreſſe loquantur de inducentibus ad eligendam ſepulturam in Eccleſia propria, ſi v. g. Franciſcanus inducat aliquem ad eligendam ſepulturam in Eccleſia Dominicanorum ad inſtantiam Dominicani, vel ex mutuo pacto, ut videlicet etiam Dominicanus inducat alios ad electionem ſepulturæ in Eccleſia Franciſcanorum, neuter excommunicationem incurret. Non quidem Franciſcanus inducens, quia non inducit ad electionem ſepulturæ in Eccleſia propria, nec Dominicanus inſtans, qui reapſe ipſe non inducit, ſed Franciſcanus. Quæ probabilia licet ſint, iiſdem tamen non inſiſtendum eſſe putamus; dicimus autem, *neuter excommunicationem incurret*, quia de peccato lethali nec minimum nobis ſubeſt dubium.

V. Si inductio fiat ad eligendum ut ſupra ſepulturam apud Eccleſiam, in qua de jure debet ſepeliri defunctus, licet Eccleſia ſit inducentis propria, nec peccatum committi, nec cenſuram incurri, tenet Bonacina *tom.* 3. *de excom. in particulari extra Bullam cœnæ diſp.* 2. *qu.* 5. *punct.* 4. *num.* 5., qui arbitratur cum nonnullis aliis præfatas Conſtitutiones latas eſſe in favorem Eccleſiæ, ubi defunctus debet de jure ſepeliri; unde excuſant Parochum, qui proprium Parochianum induxit ad eligendam ſepulturam in propria Eccleſia, & conſequenter etiam excuſaretur Regularis, qui induceret ſæcularem ad electionem ſepulturæ in ſua Eccleſia, in qua jam ille habet ſepulcrum ſuorum majorum. Contra Bonacinam inſurgunt Auctores fere omnes, qui prædictas leges non in favorem Eccleſiæ, in qua defunctus de jure ſepeliri debet, editas eſſe cenſent, ſed in favorem decedentium, ad hoc ut libere quandocumque, & ubicumque ſepulturam eligere poſſint, & in deteſtationem avaritiæ, atque ad tollenda ſcandala; talis enim inductio præſumitur fieri ex deſiderio emolumenti, quod provenit ex ſepultura. Manifeſta ex eo redditur Decreti mens, quod non decernit, quod ſepultura ſit in loco, in quo de jure debet eſſe, aut quod quis non audeat inducere ad alibi eligendam ſepulturam, ſed quod quis non audeat inducere ad eligendam ſepulturam cum obligatione apud Eccleſiam propriam.

VI. Verba igitur illa, *univerſi Religioſi, & Sæculares Clerici* comprehendunt Regulares omnes, & Sæculares Clericos, *cujuſcumque ſtatus, vel conditionis exiſtant*, qui inducunt ad eligendam ſepulturam *obligatione irrevocabili apud propriam Eccleſiam*; & quidem licet inductus de jure ſepeliri jam debeat in eorum Eccleſia, & maxime, quia ut advertit Monacelli *tom.* 4., Sanctio habet, *prohibemus, ne aliquos inducant &c.*, in autem *aliquos* omnes perſonas abſque ulla diſtinctione, ſeu exceptione in ſuo ſinu claudit ex cumulatis per Barboſam *diſt.* 22. Adeo denique expreſſe textus loquitur, ut omnino cœcutiant, fas eſt, qui eodem ligari cenſent etiam laicos, qui aliquem ut ſupra ad electionem ſepulturæ inducunt. Quæ omnia vera itidem ſunt, etiamſi dumtaxat quis inducat illum, qui jam elegit ſepulturam apud ipſius Eccleſiam, ad firmandam obligatorio modo electionem jam factam. *Vel jam electam ulterius non immutent.*

VII. Advertamus, dumtaxat supereſt, quod pro contrahenda hac excommunicatione, requiritur auſus temerarius; nam Clemens V. eamdem fert in temerarios violatores ſuæ Conſtitutionis, unde ignorantia quæcumque, quæ ob negligentiam non excuſaret a peccato, valida eſt excuſare ab incurſu cenſuræ; quinimmo ignorantia ipſa affectate, quia hæc quoque facit, ut non habeatur præ oculis Conſtitutio, ubi auſus temerarius importat velle contra Conſtitutionem ire, eamque infringere.

DECRETUM LVI. CAP., IN ORDINE CCXXXIII.

Electio ſepulturæ, ex inductione ut ſupra habita, nullius adeo eſt firmitatis, ut hi, qui ſic elegerint, nec apud ſic electas Eccleſias ullatenus ſepeliri, nec alibi poſſint eligere ſepulturam, ſed ſepeliendi omnino ſunt apud illas Eccleſias, apud quas ſepeliendi de jure fuiſſent, ſi alias ſepultura non electa forſitan deceſſiſſent. Bonifacius VIII. *cap.* 1. *de ſepult. in* 6.

I. PLectitur modo electio, & adeo declaratur nulla, ut nedum apud Eccleſias ſic electas nullatenus, qui ut ſupra inducti elegiſſent, ſepeliendi ſint, ſed & careant facultate eligendi alibi ſepulturam. In ſepultura electa ſepeliri non poſſunt; & hoc in pœnam Eccleſiæ inducentis, ne ſcilicet ex delicto ſuum finem reportet. Neque vero poſſunt alibi ſepulturam eligere, *ne contra votum* (habet textus) *juramentum, aut promiſſum hujuſmodi a ſe factum materiam habeant veniendi*, & ut ſimul (ſubdit Gloſſa) *puniantur, in quo deliquerunt*. Ubi igitur erunt ſepeliendi? In Eccleſia, apud quam de jure ſepeliri deberent, perinde ac ſi deceſſiſſent nulla facta electione, rite ſubdit Sanctio; quia cum electio facta ſit nulla, perinde eſt, ac ſi facta non eſſet, unde ſubintrat jus commune, ſcilicet Eccleſia ſepulcri majorum, ſi hanc habeant, ſin, Eccleſia Parochialis.

II. At quid, ſi Eccleſia, in qua de jure ſepeliri deberent, ſit ipſa, quæ induxerit? Gloſſa cenſet apud eam non eſſe ſepeliendos; tum quia textus prohibet, quod nullatenus poſſit ſepeliri apud Eccleſias ſic electas; tum quia juxta regulam juris in 6. cum quid prohibetur, prohibentur etiam omnia, quæ ſequuntur ex ipſo; tum denique quia alias Eccleſiæ ſic inducentes ſemper ſuum finem aſſequerentur contra Conſtitutionis mentem, cum inducti privati ſint poteſtate eligendi ſepulturam. Equidem urgent admodum rationes iſtæ, ſed non tamen adeo, ut iiſdem opprimamur, quia Pontifex ſolum prohibet effectum electionis, quatenus illam caſſat, & decernit eſſe irritam, unde res reducitur ad terminos juris, perinde ac ſi nulla eſſet facta electio; quare cum nulla facta electione juxta jus commune ſepeliri debuiſſent in eadem Eccleſia, utique & in propoſito caſu, non quidem vi electionis, ſed vi juris communis, quo per textum non privatur illa Eccleſia, ſed magis in eo confirmatur, dum aperte definit, quod ſepeliri debent, ubi de jure ſepeliendi ſunt, perinde ac ſi deceſſiſſent, nulla facta electione. Textus igitur ſolum prohibet effectum electionis, quam propterea caſſat, non effectum juris communis, cujus executionem demandat; unde & ad productam juris regulam dicito, quod prohibito tali modo eligendi ſepulturam, eſt etiam prohibita ſepultura ut ſequens ex tali modo electionis, non autem ex jure communi.

III. Non ſpernenda modo ſuccedit quæſtio, quo nempe in loco ſit ſepeliendus ille, qui cum ſepulturam elegiſſet apud aliquam Eccleſiam, eamdem poſtea eligit apud alteram modo ut ſupra per Canones prohibito? Obvia eſt reſponſio, ſepeliendum nimirum eſſe in Eccleſia prius electa, quia cum poſterior electio ſit nulla, priorem electionem vitiare non poteſt juxta receptiſſimam regulam juris in 6. *utile per inutile non vitiatur*. Paſqualigus *deciſ.* 379. in oppoſitum ſentit, & probare nititur, quod juxta textum prior etiam electio irritatur, & quod ſic eligens, in pœnam privatur poteſtate eligendi, & ſepeliendus eſt prout de jure, quin executioni mandanda ſit prior electio,

ctio, quia trahitur ut pœna a ſubſequenti mala electione, & per hanc ſaltem virtualiter, & interpretative, quantum eſt de ſe, caſſatur. Verum ſi textus mature ponderetur, ſolum ſiſtit in irritanda ultima electione, in privando ſic eligente poteſtate alibi eligendi, & in definiendo, quod ſepeliri debet, ubi de jure ſepeliendus eſſet, perinde ac ſi deceſſiſſet ſepultura non electa; non electa tamen per electionem, quam ipſe irritat, non tamen per precedentem legitimam electionem, quæ cum non habeat, unde concipiatur ruere, & prævaleat juri ſepulcri majorum, & Parochialis Eccleſiæ, dum ille in tali Eccleſia ſepelitur, tumulatur in Eccleſia, in qua de jure communi ſepeliri debet. Recedendum itaque non eſt a propoſita ſententia, quæ inſuper id habet commodi, ut ſic ſemper privationis pœnam ſentiat inducens Eccleſia, ſi forte ea fuerit, in qua de jure defunctus eſt ſepeliendus, quando decedit ſine electione ſepulturæ.

IV. Num ſit nulla electio, ſi unus tantum ex Clericis, vel Regularibus inducat ad eligendam ſepulturam apud ſuam Eccleſiam cum obligatione ipſius eligentis, inquirunt alii, & uno ore definiunt omnes, quod ſi inducens ſit Prælatus, nulla eſt electio, qui eſt perſona publica, & in iis, quæ pertinent ad Eccleſiam, repræſentat totam Eccleſiam. Secus eſt, ſi unus ſit ex ſubditis Regularibus, vel Clericis; quo in caſu Auctores in diverſa ſinduntur placita, alii enim autumant non eſſe irritam, quia Eccleſia punit ſolum ex facto omnium, vel majoris partis, argumento ex *l. Jubemus*, C. *de ſacroſan. Eccl.*, & cap. *Ita nos* 16. *quæſt.* 6., unde & regula juris in 6. *Delictum perſonæ non debet in detrimentum Eccleſiæ redundare*. Oppoſitum ſentiunt alii, a quibus diſcedendum non eſt; tum quia fruſtraretur lex fine ſuo, quia ſemper per unum poſſet procurari talis electio. Tum quia mens Pontificis, ut ſe declarat initio Conſtitutionis, eſt tollere ſcandala, quæ frequenter ex electionibus tali forma factis oriebantur; iiſdem autem ſcandalis adhuc pateret locus, ſi ſubſiſteret electio, quando unus, vel alter Eccleſiæ dumtaxat ut ſupra inducit. Tum denique quia prohibitio eſt perſonalis, cum non fiat communitati, neque loco, ſed perſonis, unde reſpicit actus perſonales, non autem actus communitatis, adeoque electio irrita eſt uno talis communitatis dumtaxat inducente. Ad id autem, quod ſuperius productum eſt, facilis eſt reſponſio, quia in hoc nulla intervenit punitio Eccleſiæ, neque aliquod ipſius præjudicium, nec delictum perſonæ redundat in detrimentum Eccleſiæ; tunc enim ſolum patitur, quando læditur in aliquo ſui ipſius; non autem, quando ipſi non conceditur, quod non eſt ſuum. Eccleſia autem ſupponitur jus non habere in talem defunctum, nec in hunc jus ullum acquirit ex præfata electione, quæ nulla eſt juxta Canones, & ideo ſi non concedatur, non fit ei aliquod præjudicium. Quod ſi Eccleſiæ aſſiſtat jus commune, eo quod habeat ſepulcrum majorum, aut ſit Parochialis, adhuc non læditur in jure ſuo, quia in eadem jam ſepeliendus adhuc eſt, ſi non ex vi præfatæ electionis, ex vi ejuſdem juris communis.

V. Hæc omnia afficiunt electionem media inductione irrevocabiliter habitam, aut cum præcedenter fuerit facta, firmatam, ſive poſtea qui eligunt, aut firmant, eligant, vel firment pro ſe, ſive pro aliis, quia Conſtitutio univerſaliter loquitur de iis, qui inducunt ad eligendam, vel firmandam ſepulturam apud proprias Eccleſias. Non autem currunt, ſi qui ſponte ſua cum voto, aut juramento ſepulturam eligant, vel firment jam electam, quinimmo nec ſepulturam electam, vel firmatam ad inductionem, ſeu ſuggeſtionem, dummodo eligatur, vel firmetur ſine voto, juramento, vel promiſſione, cum his non quadrent Conſtitutionis verba, adeoque nec diſpoſitio ipſa.

DECRETUM LVII. CAP. IN ORDINE CCXXXIV.

Si vero iidem Religioſi, vel Clerici prædictos in ſuis Eccleſiis, vel Cœmeteriis præſumpſerint ſepeliri, ad reſtitutionem tam ſepultorum corporum (ſi petantur) quam etiam omnium, quæ occaſione ſepulturæ illorum pervenerint quomodolibet ad eoſdem, infra decendium integraliter faciendam, ipſos obligatos eſſe cenſemus. Quam niſi fecerint, Eccleſiæ ipſæ, apud quas ſepulti fuerint, necnon & Cœmeteria earumdem, ex tunc eo ipſo ſint, & tandiu maneant eccleſiaſtico ſuppoſita interdicto, donec ab eis facta fuerit reſtitutio plenaria omnium prædictorum. Idem Bonifacius VIII. *in cit. Conſtitut.*

I. Si itaque iidem Religioſi, vel Clerici *prædictos*, quos ſcilicet induxerint, in ſuis Eccleſiis, vel Cœmeteriis ſepeliverint, tenentur ad reſtitutionem *ſepultorum corporum*, non quidem abſolute, ſed ſolum *quatenus petantur*, & *infra decendium* computandum, non a die ſepulturæ, ſed a momento petitionis, cum ad reſtitutionem corporum non adſtringantur, niſi petantur. Tenentur itidem ad reſtitutionem *omnium, quæ occaſione ſepulturæ illorum pervenerint quomodolibet ad eoſdem*; ad hanc autem tenentur, etiamſi res non petantur, & ideo rebus additum non fuit, *ſi petantur*; quare in reſtitutione rerum decendium ſtatim currit, & non a momento petitionis. Iſta enim Conſtitutio non intendit minuere, ſed addere ad decr. *Pleriq.* 5. de pact., ubi ſine aliqua petitione ad reſtitutionem obligantur, addit autem, & imponit tempus, & pœnam.

II. *Faciendam*, ſed non dicit textus, cui Eccleſiæ fieri debeat; dubium vero eſſe non poteſt, quod Eccleſiæ, cui facta eſt injuria, videlicet apud quam ſepeliri debebat. Sed ſi inducens Eccleſia fuerit Parochialis, reſtitutionem faciet *omnium*, quæ occaſione funeris ad eamdem pervenere? Utique, ſe deducta quarta juxta ea, quæ tradidimus in Decr. 41., neque enim reſtitutio cadere poteſt, niſi ſuper ea, quæ injuſte fuerunt ablata, cujuſmodi non eſt quarta funeralis, quæ juxta canonicas ſanctiones debetur Parocho, nec ab Eccleſia, cui facta eſt injuria, percepta fuiſſet, tametſi in ea tumulatum eſſet cadaver. Quod ſi Eccleſia, ut ſupra inducens, non ſit Parochialis, tenetur facere reſtitutionem omnium, quæ inde percepit, quia jam ſupponitur, quod Parochialis aſſecuta ſit ſuam canonicam portionem, quam ſi non percepiſſet, puta quia Eccleſia inducens ex privilegio non ſolvit quartam, etiam ad hujus portionis reſtitutionem teneretur, ſed hæc poſtea danda eſſet Parocho, non Eccleſiæ, cui facta eſt injuria, ut etiam hæc exempta foret a ſolutione quartæ.

III. Quam reſtitutionem *plenariam omnium prædictorum*, nempe rerum, & corporum niſi intra tempus ſupra declaratum Eccleſiæ prædictæ fecerint, una cum earum Cœmeteriis eccleſiaſtico ſupponuntur interdicto, donec ad præfatam reſtitutionem devenerint. Aies; ergo propter unius Fratris tranſgreſſionem Eccleſia tota, & Cœmeterium punietur? Reponit Gloſſa: ſufficit ita ſcriptum eſſe; & poteſt eſſe ratio, quia ex quo illum ſciebant ſuum non eſſe, inveſtigare debebant diligenter, qua ratione ad eos devenerit. Ceterum tota Eccleſia eſt in delicto, ſi non quoad inductionem, utique quoad moram reſtitutionis. Quod ſi Eccleſia neque induxerit, neque omiſerit diligenter perquirere, qua ratione tale cadaver ad ſe devenerit, & debita diligentia adhibita ad ſe deveniſſe credat media legitima electione, non crederem eccleſiaſtico tunc manere ſuppoſitam interdicto, etſi reapſe ejuſdem Frater aliquis ad electionem induxerit, quia cum ipſa tunc in nulla culpa ſit, neque inductionis, neque omiſſionis diligentiæ, neque moræ reſtitutionis, videre non eſt, quomodo tota plecti queat propter unius particularis delictum.

DECRETUM LVIII. CAP. IN ORD. CCXXXV.

Num illi, qui coram teſtibus dumtaxat, licet abſque ſcriptura, in Regularium Eccleſiis ſepulturam ſibi elegerint, ibidem ſint ſepeliendi? Sacra Congr. Ep., & Reg. reſpondit, *in dictis Eccleſiis eſſe ſepeliendos, ſine præjudicio tamen jurium Parochialium*. Die 11. Decemb. 1615.

I. Ex Auctoribus vix reperies, qui ſecus ſentiat, unde digredientes ad neceſſarium teſtium numerum, ex alio Decreto (erit 59. cap., in ord. 236.) diſcimus, quod *electio ſepulturæ ſufficienter probatur per duos teſtes fide dignos*. Ead. Congr. 18. Aug. 1589. Hæc itidem communis doctrina eſt, & in eo nititur, quod agitur de præjudicio Eccleſiæ, in qua defunctus erat de jure ſepeliendus, & comparatur diſpoſitioni quoad pias cauſas, quæ ſaltem per duos teſtes debet probari ex cap. *Cum eſſes de teſt.* Si tamen concurrant aliqua adminicula: unicum teſtem probare tradunt Abbas in cap. *cum cauſam ver. ſed circa hoc, de probat.*, Bald. *conſil.* 136. ver. *perſuadentes*, *vol.* 2., *& in l. ea quidem*, C. *de accuſat.*, Cravet. *conſil.* 35. *n.* 6., Socin. jun. *conſil.* 1. *n.* 8. *lib.* 1., Bart. *in l.* 1. §. *idem Corneliæ*, *ff. de quæſt.*, Caſtrenſ. *conſil.* 250. ver. *& licet videantur lib.* 2., Roman. *conſil.* 54. *in fine*, Barbatia *conſil.* 89. *n.* 2., Cepol. *conſil.* 38., Maſcard. *de probat. concluſ.* 1230. *n.* 9. *vol.* 3. cum Gloſ. *in l.* 2. §. 1. *ff. de excuſat. tut.*, & in cap. *quoniam frequenter*, §. *Porro*, verbo *præſumetur*, *ut lite non conteſt.* His noſmetipſis adjungimus, exponentes Decretum, quatenus duos teſtes exigit, pro caſu deficientiæ adminiculorum, inter quæ potiſſimum eſt, ſi defunctus, dum in vivis erat, Eccleſiam magna frequentatione, & devotione proſequebatur.

II. Teſtem adminiculis ſuffultum abs re non eſt nuncupare confeſſarium, cujus dicto ſtandum eſſe, cenſent Molfeſius *in ſumma par.* 2. *tract.* 13. *cap.* 8. *n.* 32., Lavorius *to.* 1. *variar. lucubr. tit.* 2. *cap.* 11. *n.* 200., Genuenſ. *in praxi cap.* 61. *n.* 8. Paſqualigus *decif.* 406., Lauretus de Franchis *qq. variar quæſt.* 64., aliique plurimi, quorum aliqui confeſſarium vocant interpretem, alii vero executorem voluntatis defuncti, ut evincent tamquam teſtem, utpote ſingularem, plenam fidem facere. Ceterum teſtes, dummodo ſaltem duo ſint, etſi ſingulares, ſufficienter probare ſepulturæ electionem, communiter Doctores aſſerunt, quorum propterea inane foret hic ſeriem attexere; eſt autem eorum ratio, quod ultima defuncti voluntas circa ſepulturam, quæ eſt principale, quod eſt probandum, tractum habet ſucceſſivum, nec ad ejus ſubſtantiam tempus pertinet, & ideo teſtes, licet ſingulares in tempore, & quantum ad exteriorem manifeſtationem ab eligente ſibi factam, ſunt adhuc conteſtes in eo quod eſt probandum, ſcilicet in probanda voluntate defuncti circa ſepulturam exterius manifeſtata. At quid ſi teſtes in loco electo diſcrepent? Conjecturis, quibus moribundus veroſimilius moveri potuit, ſtandum eſſe nonnulli cenſent; ego autem dicerem, quod ita quidem, ſed cum agatur de ultima defuncti voluntate, atteſtationem poſterioris teſtis prævalere contra dictum anterioris, indubie in paritate conjecturarum, & fortaſſe adhuc, ſi videantur minus validæ, quia ſi petitæ ſunt v. g. ex noviſſimis defuncti diebus vitæ, ſeu ex tenore vitæ, quam diebus iiſdem cœpit traducere, reapſe validiores ſunt ad probandum. Quare ſi v. g. defunctus in ultimis diebus vitæ cœpit frequentare Eccleſiam aliquam, aut magna devotione duci erga Sanctum aliquem

quem in eadem peculiariter excultum, etſi propterea non intermiſiſſet frequentationem, & cultum Eccleſiarum, & Sanctorum, quos proſequebatur antea, non leve præſumptionis argumentum foret mutatæ voluntatis, accedente conformi atteſtatione poſterioris teſtis.

III. Nunc pertractare ſumimus de ſcriptura manu propria ſubſcripta, & de codicillo invalido, quorum utrumque Lavorius *loc. cit.* *n.* 18. cenſet validum ad probandam ſepulturæ electionem. At id verum erit in conſcientiæ foro, in quo ſufficit, ſi quomodocumque innoteſcat ultima morientis voluntas ut tradunt Menoch. *conſil.* 167. *n.* 10. *lib.* 2., Valerus *in different. utriuſq. fori verbo* Teſtamentum, *differ.* 1. *n.* 2. Emmanuel Figuer. *in introduct. ult. volunt. lib.* 3. *c.* 14. *n.* 21. aliique plures. Quoniam tamen electio ſepulturę non pertinet ad ſolum forum conſcientiæ, ſed etiam ad forum externum, quia privat Eccleſiam jure ſuo, ad quam de jure pertinet ſepultura, ideo oportet, quod talis electio ſit valida etiam quoad forum externum; & certe ſufficit, ſi codicillus foret validus, quoad jus canonicum in ordine ad pias cauſas, licet eſſet invalidius quantum ad jus civile defectu alicujus neceſſariæ ſolemnitatis, Scriptura autem manu propria ſubſcripta fidem facit in foro eatatuo, quare ſufficienter indubie probat.

DECREDUM LX. CAP. IN ORD. CCXXXVII.

Conſanguinei defunctorum, qui in Eccleſiis Regularium ſepeliuntur, illis parentare in Parochialibus, & aliis Presbyterorum Eccleſiis, etiam Cathedralibus, compelli nullo modo poſſunt. Congr. Ep., & Reg. 14. Janu. 1639., cujus Decretum approbavit Alex. VII. in ſua Conſtitut. *alias pro parte* ſub datum 30. April. 1660.

I. PArentibus dum juxta morem in funeratione, & poſt funerationem juſta perſolverent Ethnici, parentare dicti ſunt; & hinc parentationis nomen ad Chriſtianos traductum, ſignificat officia quæque, preces, aut miſſas, quæ in funere, & poſt defunctorum funus, vel ex præſcripto Eccleſiæ, locorum conſuetudine, vel de mandato defunctorum, hæredumve placito inſtituuntur. In arbitrio hæredum eſt, in quavis Eccleſia præfatas preces inſtituere, & iterare, ſed ad eas inſtituendas, vel iterandas in Parochiali, vel in quacumque Eccleſia, etiam Cathedrali, compelli minime poſſunt, ex eo quod defunctus in Eccleſia Regularium, aliave tumulatus fuerit; & quidem tametſi peragantur in Eccleſia ſepulturæ, quemadmodum rite definit Decretum aliud, (quod erit 61. cap. in ord. 238.) *An Curati poſſint cogere hæredes, ſeu executores teſtamentarios, ut pro defunctis, qui tumulantur in Eccleſiis Regularium, in Eccleſiis etiam Parochialibus celebrari faciant officia, novenalia, & anniverſalia, prout celebrantur in Eccleſiis Regularium, in quibus cadavera ſepeliuntur? S. R. C. reſpondit: non poſſe cogere.* Die 23. April. 1633. approbante Urb. VIII. die 25. Junii 1632. Quorum omnium ratio eſt, quam non ſemel dedimus, quod videlicet hæc ſint quædam onera, quæ liberam impediunt ſepulturæ electionem, aut ſaltem ab ea extra Parochialem eligenda fideles retardant.

DECRETUM LXII. CAP. IN ORD. CCXXXIX.

Damnati ad mortem ſepeliri non debent in Eccleſia magnæ devotionis, ſi inde populus concipit horrorem, & occaſionem Eccleſiæ minus frequentandæ. Congr. Ep., & Reg. 17. Martii 1579.

I. DEciſio, atque cauſa ubertim manent expreſſæ; ceterum damnati ad mortem regulariter ſepeliri ſolent in aliqua particulari Eccleſia, & ſepeliri non poſſunt, niſi de Principis permiſſione, ex cujus mandato perſæpe ſuſpenſi tenentur in patibulo, aut alio publico loco ad aliorum terrorem. An poſſint ſibi eligere ſepulturam, non conveniunt Auctores; Sylveſter tamen cenſet, quod cauſa pendente ante ſententiam poſſunt, ſecus poſt ſententiam, niſi hæc media appellatione ſuſpendatur. Ceteroqui, ut dicebamus, id magis pendet a permiſſione Principis, qui propter atrocitatem delicti, & exemplum aliorum & poſſunt ultimo ſupplicio mulctatos privare penitus ſepultura, vel adhuc ſolum ab ſibi electa. Ad ſepulturæ veniam dandam, niſi in caſibus, in quibus aliter expedire videtur, Chriſtiani Principes ſe præbeant faciles, id quippe obſequii corpori Chriſti neque a Pilato negatum fuiſſe noſcimus, licet de ejuſdem mandato affixum fuiſſet obbrobrioſo Crucis patibulo.

CAPUT DECIMUMOCTAUM.

De Abſolutione ad Tumulum.

I. POſt miſſam orabatur olim circa defuncti corpus, & ſacerdos accedens ipſi mortuo ſancte precabatur, ut edocet S. Dionyſius *de Eccl. hyer.*, & non obſcure indicat Victor Uticen. *lib.* 2. *de perſecut. Wandal.* Ejuſmodi preces, quas idem Victor *ſolemnes orationes* nuncupat, a nobis *exequiæ*, de quibus alibi, ſeu *abſolutio* dicuntur, ab oratione *Abſolve* (ait Gavantus *part.* 2. *tit.* 13. *lit. o.*) qua ſemper, vel fere ſemper concluduntur, vel ut magis arridet nobis, quia per eaſdem abſolvitur functio funebris, aut quia in iiſdem exoratur Deus pro abſolutione defunctorum ab infernali pœna.

II. Ex Gentilibus, qui credidere, defunctorum animas, ſi ſepulcri honore carerent, ſtygiam paludem tranare non poſſe, inſtituerunt quoddam exequiarum genus, quo etiam iis, qui naufragio periiſſent, aut quorum corpora haberi non poſſent, juſta perſolverent. Tumulum ex ceſpitibus, aut alia materia congerebant, & cum in eo nullæ inferrentur reliquiæ, *cenotaphium*, hoc eſt, vacuum, & inane ſepulcrum appellarunt. Deſerviebat autem in memoriam, & defunctorum honorem, ſimul & ad exequias tum primum, tum annuatim agendas, perinde ac ſi præſens foret cadaver; unde Virgilius *lib.* 3. *Æneid.* introducit Andromachem ad cenotaphium Hectoris olim viri ſui officia funebria annualia celebrantem.

Solemnes tum forte dapes, & triſtia dona
Libabat cineri Andromache, maneſque vocabat
Hectoreum ad tumulum, viridi quem ceſpite inanem,
Et geminas, cauſam lacrymis, ſacraverat aras.

II. Antiquitas, etiam quæ Chriſto nomen dedit, ejuſmodi perennes tumulos egregiis viris ſolemne habuit paſſim extruere, non quod hæc crederet, ſine ſepulcri honore in Chriſto defunctorum animas ab aſſecutione cæleſtis patriæ retardari, ſed ut celebrium filiorum memoriam quodammodo perennem faceret, & condigno, prout fas eſt, proſequeretur honore. Id autem commodi tumuli ejuſmodi inſuper habent, ut mortis recordationem nobis ingerant, ad mortuorum ſuffragia nos excitent, & ad glorioſa facinora miro modo contendere faciant.

IV. Verum Eccleſia, dum ad cadaveris abſentiam lugubria agit officia, tranſeuntes & quoſdam tumulos, quibus corporis præſentiam effingit, rite in uſum habet erigere, ut abſentes demortuos filios, quos pari, ac præſentes, amore proſequitur iiſdem, vel ſimilibus non defraudet precibus, quæ ſuper cadavere præſenti fieri ſunt inſtitutæ. Ejuſmodi tumuli ſolemniores conſueſcunt conſtrui, quando primum aguntur exequiæ, aut in die, in quo ſolemniter agi differuntur, ita ut nonnunquam in lugubrem machinam aſſurgant, & pegma varie efformatum, in quo ſymbola indolis, geſtorum, & virtutum defuncti repræſentantur; minus vero ſolemnes, quoties annuales exequiæ celebrantur, aut alias repetuntur.

V. Hæc *cenotaphia* communiter dicuntur, & ut plurimum conſiſtunt in capſa quadam lignea cooperta panno nigro, in cujus medio nonnulli efformant crucem albi coloris, ſed ſatius foret, ſi rubri coloris fieret, & in panno insererentur adhuc mortuorum imagines, aut depingerentur flammæ; hæc enim omnia ad pietatem erga defunctos facilius circumſtantes pertrahunt. Vice tumuli in uſum & eſt ſolum pannum nigrum, quale modo deſcripſimus, & tunc ſuper pavimentum ſternitur in medio Eccleſiæ, vel in alio congruo loco. Ita eruitur ex Cœrem. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 11., quod quidem inhibet in paramentis poni imagines mortuorum, vel crucis albæ, ſed aperte loquitur de paramentis altaris, celebrantis, miniſtrorum, librorum, & faldiſtorii, non de prædicto panno, in quo propterea rite haberi poterunt.

VI. Ad ornatum feretri pallia, aut alia altaris ornamenta Rituale inhibet adhiberi, & hæc inhibitio multo magis ad manipulos, & ſtolas, aliaque ſacrorum miniſtrorum paramenta cenſeri debet extenſa; quod & prius prohibitum fuerat per Concilium Arvarnenſe *cap.* 3. & 5., & Antiſiodorenſe *cap.* 12. quæ quidem loquuntur de corporibus in præfatis minime obvolvendis, ſed idipſum conſequenter erit de prædictis tumulis, qui defunctorum corpora repræſentant. Quare indubie proſcribi debet uſus earum Eccleſiarum, quæ dum de defunctis, præſertim ſacerdotibus, abſolutionem peragunt, ſtolis, & manipulis in panno efformant ſuperius aſſertam crucem. Habeant itidem candelabra ferrea, vel lignea nigro colore picta ad ſuſtinendos cereos, nec ea altarium adhibeantur; in magnificis tamen funeribus, in quibus pegmata, & lugubres machinæ extolluntur, Eccleſias facile excuſabit neceſſitas, ſi & altarium candelabris utantur.

VII. Quoniam vero Rituale ſacerdotes defunctos, aut cujuſvis ordinis clericos veſtitu, quem reſpectivi ordinis ratio expoſtulat, induendos præſcribit, paramenta miniſtrorum ſacrorum ab aſſertis machinis non omnino depellit, ſed ſolum quatenus ad ornatum tumuli debeant deſervire; quare haud ambigimus ſuper iiſdem machinis apponi poſſe, quæ ad dignitatem defuncti demonſtrandam inſerviunt; mos enim collocandi in feretro inſignia gradus & dignitatis, qui apud Gentiles uſque viguit, ad catholicam Eccleſiam laudabiliter pertranſiit. Ex inſignibus exponuntur honorifica, non vilia, cujuſmodi eſt malleus pro fabro, ſubula pro caligario &c., ex ſe tamen vilia adhuc exponi rite fortaſſe poterunt pro eo, qui artis inventor fuerit, aut in ea admodum inſignis; dum enim hujuſmodi non ſolent exponi, hoc ipſo quod cernuntur expoſita, particularem præferunt inſignitatem, & honorem.

VIII. An poſt miſſam ſolemnem defunctorum ſit in præcepto abſolutio ad tumulum, ex duplici capite dubitari poteſt, nimirum ex lege eccleſiaſtica, quæ illam præcipiat tanquam ritum neceſſarium eidem miſſæ adnexum, & hoc pacto ſub præcepto non eſſe, Rubrica XIII. *num.* 4. per hæc verba diſerte nos inſtruit; *Finita miſſa, ſi facienda eſt abſolutio &c.* Quis enim unquam crederet, hunc dicendi modum aut obligationem imponere, vel ſupponere legem eccleſiaſticam, quæ eamdem obligationem faciat? Titulus alter petitur ex accepto ſtipendio, aut legato relicto ſub tali onere, & tunc indubie intereſt ſtricta obligatio juſtitiæ. At ſi hoc in caſu omittatur, peccatumne erit, & quale? Si ſtipendium, diſtinctum ab eo miſſæ, reſpondeat prædicto oneri, & attingat quantitatem notabilem,

lem, culpæ lethali, & obligationi reſtitutionis ſtipendii omiſſio erit obnoxia; culpæ vero veniali, & reſtitutionis oneri, ſi ſtipendium ad quantitatem notabilem non pertingat; quia in priori caſu ſine titulo, adeoque contra juſtitiam uſurpatur quantitas notabilis ſtipendii, quæ ad mortale peccatum ſufficiens eſt, in poſteriori autem non notabilis, quæ furtum lethale invehere eſt inepta.

IX. Quod ſi abſolutioni non reſpondeat diſtinctum ſtipendium, ſed hoc abſolute datum fuerit pro miſſa, addita expreſſione abſolutionis acceſſorie ad miſſam, tunc utique omiſſio abſolutionis non erit lethaliter peccaminoſa, quia inde non obvenit defuncto grave damnum, cum abſolutio conſiſtat in unico reſponſorio cum paucis verſiculis, & oratione, nec retinetur ſtipendium ſine titulo, utpote quod abſolute, & ſimpliciter datum eſt pro miſſa, & nonniſi ſecundum quid pro abſolutione. Quoniam tamen obligatio etiam extenditur ad abſolutionem, omiſſio non effugiet culpam venialem, quæ cum contra juſtitiam ſit, invehit onus reſtituendi ſtipendii partem aliquam, ſeu magis farciendi damnum, quamvis leve, per alia æquivalentia ſuffragia. Diſpar eſt ratio de miſſa, pro qua etſi tenue ſtipendium receptum fuerit, illius omiſſio peccato mortali eſt obnoxia, non quidem ratione ſtipendii ſine titulo retenti, quod attenta tenuitate culpæ lethali poteſt eſſe incompetens, ſed cauſa gravis damni, quod defunctis obveniret per privationem uberrimi fructus, quem per miſſæ celebrationem perſentirent.

DECRETUM I. CAPITIS, IN ORDINE CCXL.

In Exequiis poſt abſolutionem, quæ fit ſupra cadaver in die obitus, vel ſupra tumulum in die anniverſario, dicto ℣. *Requieſcant in pace*, ſubjungi debet: *Anima ejus, & animæ omnium fidelium defunctorum per miſericordiam Dei requieſcant in pace*; ſed ſuper lecticam, ſeu caſtrum doloris in commemoratione omnium fidelium defunctorum nihil eſt ſuperaddendum. S. R. C. 2. Dec. 1682. *in una Canon. Regul. Lateran.*

I. DE abſolutione ſuper cadaver in die obitus uber ſermo habitus fuit in capite de exequiis, ubi & plurima fuerunt tradita, quæ abſolutioni ad tumulum ſunt communia, quare hæc curſim dumtaxat recenſere, vel allegare contenti erimus, particularia dumtaxat fuſo calamo perſequentes. Nunc itaque ſermo ſiſtet circa abſolutionem ſupra tumulum cadavere non præſente, ſive poſtea ea fiat in die anniverſario, 3. 7. 30. Commemorationis omnium fidelium defunctorum, aut quibuſcumque diebus aliis.

II. Rubrica XIII., dum abſolutionem *finita miſſa* faciendam indicit, eas carpit Eccleſias, quæ in uſum habent eamdem miſſæ præmittere. Quinimmo nec ſtatim poſt miſſam facienda erit, ſed poſt ſermonem, ſeu orationem funebrem, quoties hæc ſuper laudibus defuncti haberi debeat; eadem enim habet Rubrica: *ſi habendus eſt ſermo, habeatur finita miſſa ante abſolutionem.* Cui diſpoſitioni quadrat admodum *abſolutionis* nomen, quo deſignatas ſuperius diximus preces, quæ fiunt ſuper tumulum, quia per eas abſolvitur functio funebris. Ex Plutarco, & Diodoro, aliiſque diſcimus, antiquis, præſertim Atticis, Athenienſibus, Romanis, aliiſque populis ſtetiſſe morem laudes Defunctorum funebri oratione proſequi; qui mos in primitivam uſque irrepſit Eccleſiam, a ſanctis ipſis Patribus ſervatus & laudatus, atque adhuc laudabiliter cuſtoditus; valde enim eſt idoneus viventes ad virtutum opera pertrahere, fortiaque facinora excitare.

III. Cur poſt miſſam fieri mandetur, cum ſermones ceteri poſt evangelium habeantur, ſupereſt perſcrutari, ſed obvia eſt ratio, & una Auctorum vox, videlicet quia ſermo non eſt ſuper evangelium, nec concio, aut lectio ſpiritualis, vel panegyris de Sancto aliquo, ut poſt Evangelium fieri debeat, aut rei ſacræ intermiſceri. Qui ejuſmodi orationem recitat, veſte talari nigri coloris ſine ſuperpelliceo ſit indutus, & ſi Regularis eſt utetur habitu ſui ordinis, cujuſcumque coloris exiſtat. Facta brevi prece ante medium altaris, nulla benedictione petita ab Epiſcopo, ſi adſit, aſcendit cathedram panno nigro coopertam, ubi non præmiſſa ſalutatione angelica, ſignat ſe ſigno crucis, & ſtatim ſermonem incipit, quem ſedentes capite cooperto audiunt Celebrans, & miniſtri induti ut dicetur ſtatim. *Cærem. Epiſc. lib. 1. cap. 13., & lib. 2. cap. 11.*

IV. Finita miſſa *de toto* habet idem Cœremoniale, ideſt etiam per conſuetum Evangelium S. Joannis, celebrans facit reverentiam cruci altaris in medio, & miniſtri genuflexionem, deinde ſe retrahunt ad cornu Epiſtolæ, per gradus laterales deſcendentes in planum, ubi celebrans deponit planetam, & manipulum adjuvantibus miniſtris, & accipit pluviale nigrum, & in hujus defectu remanet in alba cum ſtola tranſverſa ante pectus in modum crucis; miniſtri vero deponunt ſolum manipulos, qui ſimul cum planeta ponuntur ſuper credentiam, vel in alio congruo loco, & eo deficiente ſuper altare. Hoc facto celebrans cum miniſtris procedit ad ſedendum, ſi ſermo ſit habendus, quo habito una cum miniſtris tecto capite procedit ad medium altaris, ubi cruci detecto capite Sacerdos ſe inclinat, & iterum caput tegit; miniſtri vero genuflectunt, nec amplius caput tegunt, ſed deponunt birretum, & ſubdiaconus crucem arripit, eidem ab aliquo acolytho porrectam, & diaconus tranſit ad ſacerdotis ſiniſtram. Ceroferarii itidem, & accolythi ſtatim accipiunt, & ſe conſtituunt, & ordinatur proceſſio ad tumulum eodem prorſus pacto, & ordine, qui late expoſitus fuit in cap. 15. Decr. 62. a n. 1. ad n. 9. Quod ſi ſermo habendus non ſit, finita miſſa ſacerdos, & miniſtri procedunt ad medium altaris, & ordinatur illico proceſſio, ut in vix laudato loco traditur.

V. Sunt, qui ad tumulum crucem ſtatuunt, dum divina peraguntur officia, ſed quam aberret uſus iſte a recto tramite, dilucide demonſtrat rubrica, quæ ad tumulum crucem deferri mandat, quando ad illum pro abſolutione pergitur. Allegant titulum *de exeq.* §. 1. *n. ult.* incipit *ceterum*, ubi capiti defuncti ſemper crux ſtatuenda decernitur, ſed miror, non videant, quod ibi ſermo eſt non de cenotaphio, aut de cadavere in Eccleſiam illato, ſed de cadavere chriſtiani ex aliquo neceſſario eventu ad tempus extra locum ſacrum ſepulto, quod propterea in locum ſacrum quamprimum transferendum indicitur, & interim capiti ejus crux apponenda decernitur *ad ſignificandum illum in Chriſto quieviſſe*, ne ex profano loco, in quo ſepultum jacet, aliter judicetur. In noſtro autem caſu de corpore jam in Eccleſiam illato, aut in repræſentationem tumulo appoſito, dubium nullum cadere valet ſuper recta ejuſdem fide, dum viveret, ob quod crux debeat apponi. Quinimmo ſepultis ipſis in Eccleſia, aut loco ſacro ad caput non affigitur crux ulla, in quo carpendæ ſunt aliquæ rurales Eccleſiæ, quæ ſepultis in cœmeteriis benedictis ad caput nihiloſecius crucem apponunt.

VI. Ubi proceſſio ad tumulum devenerit, omnes ſe collocant, ut in laudato Decreto cap. 15. dictum fuit, & ſtatim ſacerdos caput detegit, & cantor incipit reſponſorium *Libera me*, & fit aſperſio, & incenſatio tumuli cum ceteris omnibus, quæ, & prout exarata reperiuntur in eodem Decreto cap. 15. a n. 12. ad n. 22. Poſt incenſationem Sacerdos Diacono tenente librum, junctis manibus dicit *& ne nos inducas*, poſtea verſus *A porta inferi*, & *Requieſcant* in plurali numero, ſi pro pluribus fiat abſolutio, & in ſingulari, ſi pro uno. Deinde ſubdit verſus *Domine exaudi*, & *Dominus vobiſcum*, & poſtea orationem, quam adaptandam eſſe qualitati, & quantitati perſonarum, pro quibus fit abſolutio, non eſt, quod nitar oſtendere, cum id diſerte notet Rituale *de exeq. abſ. corp.*, unde ſi pro pluribus fit abſolutio, in plurali numero dicetur oratio, & in ſingulari, ſi pro uno, & in fœminino genere, ſi pro fœminis, & in maſculino, ſi pro maribus, licet ſi abſolutio fiat pro pluribus, quorum aliqui ſint maſculi, aliæ fœminæ, maſculinum genus, quod aptum eſt ſub ſe comprehendere fœmininum, debeat uſurpari, quantumvis fœminæ eſſent plures numero, ut laudato loco advertebamus. Quænam autem oratio in ſpecie, & individuo dici debeat, inſequenti Decreto ſtabilire reſervamus.

VII. Dicta collecta, Sacerdos pectori admovet ſiniſtram manum, & cum dextera crucem faciens ſuper tumulum, dicit *Requiem æternam*, elevante interim dexteram pluvialis fimbriam miniſtro aliquo, qui juxta Meratum debet eſſe diaconus, nos autem acolytho, vel miniſtro alteri id muneris committimus, quia diaconus cum librum ante celebrantem teneat, vix poteſt accurrere, & quando etiam præſto eſſe poſſet, ſaltem celebrantem cogeret memoriter, & non ex libro legere. Dubium autem non eſt, quod prædictus verſus *Requiem æternam* quoad pluralem, vel ſingularem accommodari debet perſonis, pro quibus dicitur, conformari enim neceſſe eſt, atque conveniens orationi, ad quam ſequitur, nec eſt ultimus verſus, in quo juxta Eccleſiæ morem defunctis omnibus ultimum vale dari debeat.

VIII. Subſequitur verſus *Requieſcant*, qui a quonam dici debeat, Rituale non explicat, ſed opportuna eſt laudata rubrica miſſalis, quæ per *Cantores* dicendum eſſe aperte ſtabilit. An in ſingulari numero dici debeat, quando pro uno fit abſolutio, diſſidium eſt inter Auctores, & Gavantus *par. 2. tit. 13. ſigno* *., & Meratus *ibidem num. 27.* illum ſemper dicendum eſſe autumant in plurali numero. Opinio iſta ſequentibus rationibus confirmari valet, & primo, quod prædictus verſus eſt ultimum vale, quo Eccleſia in fine precum requiem æternam defunctis omnibus precari ſolet, ita orans pro uno, ut penitus reliquorum non obliviſcatur, unde & in fine miſſæ, licet pro uno celebretur, ſemper dicit *Requieſcant* in plurali numero. 2. Rem extra dubium præſens Decretum conſtituere videtur, nam licet agat de abſolutione pro uno, in plurali numero ejuſdem verſus meminit, unde dicit, quod poſt verſum *Requieſcant in pace* ſubjungi debet: *Anima ejus &c.*

IX. Verum perſonarum numero non minus adaptandum eſſe evincitur ex Rituali, quod nedum de exequiis corpore præſenti, quas ſupponit fieri pro uno, eumdem verſum notat in ſingulari numero, verum idipſum præſtat, ubi agit de exequiis abſente corpore, & quia hæ nonnunquam fiunt pro pluribus, rubricam attexit, in qua advertit, verſiculos, quos inter enumeratur & ille, de quo agitur, in plurali numero dicendos eſſe, ſi fiat officium pro pluribus. Similem expreſſionem & habet ſæpe laudata Rubrica XIII. Miſſalis, ac conſequenter etiam diſpoſitionem. Ratio autem evidens eſt, quia verſus ejuſmodi non eſt ultimus, in quo vale dici debeat defunctis omnibus, ſed illico ſubdi debet *anima ejus, & anima omnium fidelium defunctorum &c.* Noto to *anima ejus*, & ſtatim habes, præcedentes preces omnes pro uno dumtaxat fuſas ſupponi, & nota itidem to *& anima omnium fidelium defunctorum*, ut hinc ediſcas verba, in quibus ultimum vale datur cunctis defunctis.

X. Hinc

Digitized by Google

X. Hinc ruit paritas miſſæ, quia in hac ultimus verſus eſt ex iis, quæ dicuntur in miſſa, & ad defunctos pertinent. Plurimi nec faciendum eſt, quod præſens Decretum verſus *Requieſcant* meminerit in plurali numero, etſi agat de abſolutione pro uno; petitionis enim ſcopus erat, num poſt verſum *Requieſcant* ſubdendus eſſet *Anima ejus*, unde Congregatio *affirmative* reſpondens, approbavit quidem verſum *Anima ejus* eſſe dicendum, ſed non poſtea, quod verſus *Requieſcant* ſemper in plurali numero dici debeat, quomodo in petitione erat exaratus, ſed ex errore, & cauſa proponendi dubium, non quia ſuper illum eſſet dubium, unde fit, quod ad Ritualis præſcriptum accomodari debeat perſonarum numero, pro quibus fit officium. Quoad Gavantum attinet, eſt venia utique dignus, quia ſcripſit ante Decretum, & ſentiebat pro omiſſione verſus *Anima ejus*; non ſic eſt de Merato, qui cum ſcripſerit poſt Decretum, & tenebatur Gavantum corrigere quoad *Requieſcant*, quando abſolutio fit pro uno, & inſuper dicendum in fine præſcribere verſum *Anima ejus*.

XI. Quod in exequiis præſente corpore ſubdi debeat verſus *Anima ejus &c.*, dubietatem quamlibet adimit Rituale, quod diſerte illum præſcribit; nunc vero Congregatio eumdem dicendum eſſe mandat etiam in abſolutione ad tumulum; cum enim cenotaphium cadaveris præſentiam effingat, & propterea aſpergatur, & incenſetur, perinde ac ſi cadaver præſens foret, & abſolutio ad tumulum inſtar ſe habeat breviorum exequiarum, videre profecto non eſt, quidni & in abſolutione ad tumulum prælatus verſus dici debeat. An ultra verſum *Anima ejus* ſubdi debeat antiphona *Si iniquitates* cum pſalmo *De profundis*, uti fit in exequiis præſente corpore, Decretum tacet, ſed cum abſolutioni ad tumulum communem faciat verſum *Anima ejus*, cujus eſt veluti ſequela quædam prædicta antiphona cum pſalmo, & aliunde deſerviat in uberius vale defunctis omnibus, idcirco ego non dubitarem, ejuſdem Decreti mentem eſſe, quod eadem Antiphona cum pſalmo item dici debeat.

XII. *Anima ejus* inquit Decretum, quod nolo ita intelligas, ut ſemper ita dici debeat, pro quocumque fiat officium, ſed *Anima ejus* exaretur a Decreto, quia inibi ſermo erat de abſolutione pro uno; quare ſi abſolutio fiat pro pluribus, tu ad concordantiam dices *Animæ eorum*, vel *earum*, juxta perſonarum qualitatem, ita tamen ut ſemper dicas *eorum*, ſi inter præditas perſonas adſit mas aliquis, ut ſuperius in ſimilibus dicebamus. Nunc ſupereſſet agere, num verſus *Anima ejus* in cantu dici debeat, & nonnulla alia examinanda forent circa antiphonam *Si iniquitates* & pſalmum *De profundis*, ſed quoniam de his omnibus late egimus in Decr. 15. cap. 62., tu contentus eſto recolere ibidem dicta a n. 32. ad n. 36., atque pro præſenti caſu idem judicium facito.

XIII. Videamus modo ulteriora, quæ habet Decretum; *Sed ſuper lecticam in die commemorationis omnium fidelium defunctorum nihil eſt ſuperaddendum*, videlicet poſt *Requieſcant in pace* addi non debet verſus *Animæ*, nec antiphona *Si iniquitates* cum pſalmo *De profundis*, ſed ſtatim clerus cum ſilentio debet recedere. Facilis, & obvia eſt diſpoſitionis ratio, nam preces illæ adduntur in vale defunctis omnibus, & finis hujuſmodi ceſſat in die commemorationis omnium fidelium defunctorum, in qua jam præcedentes preces omnes dictæ fuerunt in ſuffragium omnium mortuorum, & nonniſi inepte, & nimis proxime repeterentur. Idem judicium conſequenter fieri debet, quoties extra diem commemorationis omnium fidelium defunctorum fit abſolutio ad tumulum pro animabus purgantibus generatim; inconſequenter enim admodum loquitur Baruffaldus, dum *n.* 179. ut aliquo modo diſtinguat preces a precibus, in hoc caſu præfatas preces dicendas quidem contendit, ſed eſſe applicandas pro ſacerdotibus defunctis; eadem namque ratio prorſus militat pro die commemorationis omnium fidelium defunctorum, in qua tamen nihil penitus addendum eſſe, neque pro ſacerdotibus defunctis, aut quovis alio perſonarum genere, ad Decreti tramites ultro fatetur *n.* 174. quaſi in officio diei omnium defunctorum incluſi manerent quidem etiam ſacerdotes defuncti, non tamen in officio, quod extra talem diem in ſuffragium generale defunctorum omnium apud particulares inſtituitur Eccleſias.

XIV. Quamvis vero fere omnia, quæ competunt commemorationi omnium fidelium defunctorum, communia ſint commemorationibus, quas de ſuis defunctis Regulares Ordines ſolent inſtituere; non ſic tamen eſt de ſilentio prædictarum precum, quia harum precum ſilentium in die commemorationis omnium fidelium defunctorum nullos ex defunctis præterit, cum defuncti omnes comprehenſi æque maneant in precibus, quæ ea die de mandato Eccleſiæ inſtituuntur, ubi ſilentium earumdem precum in die commemorationis omnium defunctorum alicujus Religionis, deſpectos redderet mortuos eos omnes, qui eamdem Religionem in vita non fuerunt profeſſi, utpote qui de præcedentibus precibus nequaquam participant, nec in iiſdem manent incluſi. In ejuſmodi itaque commemorationibus, aliiſque officiis, quæ in ſuffragium omnium defunctorum univerſalis Eccleſiæ inſtituta non ſunt, in fine abſolutionis ſemper addi debet *Animæ eorum, & animæ omnium fidelium defunctorum* una cum antiphona *Si iniquitates*, & pſalmo *De profundis*.

DECRETUM II. CAP. IN ORDINE CCXLI.

In abſolutione in die commemorationis omnium fidelium defunctorum non eſt dicenda tota concluſio in oratione. S. R. C. 5. Julii 1698. *in Colien.*

I. QUænam oratio in abſolutione ad tumulum generatim uſurpari debeat, perſcrutemur prius, doctrinæ expoſtulat ordo. Nominis etymologia ſtat pro oratione *Abſolve*, a qua juxta Doctores plurimos derivat *Abſolutionis* vocabulum, quo appellantur preces in functione ejuſmodi dici præſcriptæ, & pro eadem oratione etiam communius Auctores pronunciant, & adeo, ut Marcellus *in Cærem. Pap. lib. 2. cap.* 35. eam conſtanter habeat, etiam in abſolutione Prælatorum, & eamdem item magis dici laudet Gavantus *par. 2. tit. 13. lit. ...* Rubrica ſæpe laudata Miſſalis, & Rituale *de exeq. abſ. corp.* conveniunt quoque in oratione *Abſolve*, licet in convenientia ipſa magnam diſcrepantiam habeant; Rituale namque aſſignat orationem *Abſolve*, quæ in Breviario dicenda notatur pro die depoſitionis defuncti, & inſuper per hanc rubricam, *vel dicatur oratio, quæ dicta eſt in miſſa, vel alia conveniens*, pro altera æque libertatem facit, ubi Miſſale aſſignat orationem *Abſolve*, quæ in Breviario habetur inter pſalmos graduales, & in miſſali deſervit pro poſtcommunione in miſſa pro uno defuncto, quin pro altera libertatem largiatur.

II. Rubrica Miſſalis tamquam modernior id honoris meretur, ut ejuſdem oratio præferenda videatur, non crederem ita tamen, ut etiam ea Ritualis uſurpari non valeat, aut illa, quæ dicta eſt in miſſa, aut alia quæcumque conveniens; rubrica enim Miſſalis, etſi modernior, ſiſtit in aſſignanda particulari oratione, quin habeat verba aliqua, quæ vel a longe auferant libertatem, quam facit Rituale. Aſſertioni huic noſtræ favet Cæremoniale Episc., quod *lib. 2. cap.* 11. ex quinque orationibus, quas enumerat, quamcumque liberum declarat dicere. Quæcumque vero dicatur, in ea ultra perſonæ nomen exprimenda erit dignitas, ſi defunctus fuerit ſacerdos, aut Epiſcopus, ut diſerte ibi Rituale notat, & nos alibi tradidimus.

III. Supereſt nunc ſtabilire, quænam determinate oratio in die commemorationis omnium fidelium defunctorum dici debeat, & licet potemus orationem *Abſolve*, aut quamcumque aliam in uſum eſſe poſſe, attamen orationem *Fidelium* arbitramur caſui adaptatiorem, & convenientiorem, atque præferendam; & præſertim quia dubium, quod pro deciſione porrectum extitit, non erat ſuper oratione *Abſolve*, aut quacumque alia, quæ in abſolutione ad tumulum in Miſſali, & Rituali jam concluſionem brevem habent, ſed ſuper oratione *Fidelium*, quæ in tali die præ ceteris ſub longiori, & integra concluſione per Rubricas Breviarii, & Miſſalis dici præſcribitur, ſub qua conſequenter & terminanda videbatur in abſolutione ad tumulum. Dum itaque Decretum pro concluſione brevi pronunciat, quia ſuper qualitatem orationis definiat aliquid, indirecte orationem *Fidelium* in tali circumſtantia laudare videtur. Hinc autem habes cauſam concluſionis brevis, exempla ſcilicet Ritualis, atque Miſſalis, perpetuumque Eccleſiæ uſum tali pacto concludendi orationes extra officium, & miſſam, contra quem conſequenter perperam adducuntur Rubricæ Miſſalis, & Breviarii, quæ unice ſiſtunt in directione officii, & miſſæ.

IV. Mos eſt abſolutionum plurium in tali die, quarum etſi triplex communiter laudetur numerus, non minus probatur uberior, & præſertim apud Regulares, qui clauſtra, Cœmeteria, Eccleſiam, aliaque loca circumire ſolent. Monet Gavantus *par. 4. tit. 15. n. 19.*, quod ultima abſolutio fieri debet ad lecticam mortuorum cum reſponſorio *Libera*, & oratione *Abſolve* in plurali numero, ut hæc ultima abſolutio ceteras colligat, quemadmodum in miſſa oratio *Fidelium*, quæ eſt generalis, eadem de cauſa ultimo loco ponitur poſt collectas ſpeciales. Modus iſte nobis arridet admodum, licet loco orationis *Abſolve*, orationem *Fidelium* magis dici probemus. Hujuſce autem abſolutionis ritus erit, qualem ſuperius deſcripſimus.

V. Ad alias abſolutiones cantentur, & diſtribuantur reſponſoria nocturnorum ex officio mortuorum juxta numerum abſolutionum, illis deſumptis, quæ videntur magis apta, & cuique addatur verſus *Requiem æternam*, ſicuti fit in reſponſoriis tertio, & ſexto, ut repeti poſſit ſecunda pars reſponſorii, quæ dum repetitur, a ſacerdote imponitur incenſum in thuribulo, & ut ſupra dicebamus, cantatis *Kyrie eleiſon*, idem ſacerdos dicet *Pater noſter*, & reliqua ſecrete proſequens, interim ter aſpergit, & incenſat in medio, a dextris, & a ſiniſtris, non circumiens, ſed ſtans in loco ſuo, poſtea dicit *& ne nos inducas* cum verſibus *A porta inferi*, & *Requieſcant* in plurali numero, necnon *Domine, exaudi*, ac *Dominus vobiſcum*, & ſubinde cantat aliquam ex orationibus, quæ pro pluribus aſſignantur in Miſſali, ſecretis dumtaxat omiſſis.

VI. Dicta oratione ſub concluſione brevi, non additur verſus *Requiem æternam*, nec *Requieſcant*, niſi ad ultimam abſolutionem, eo fere modo, quo in officio canonico, ubi fiunt plures commemorationes, non dicitur *Dominus vobiſcum*, nec *Benedicamus Domino*, niſi poſt illarum ultimam. In hoc lapſi ſunt nonnulli, etiam ex iis, qui de ſacris ritibus ſcripſerunt, addentes ſingulis abſolutionibus poſt orationem alterum, vel etiam utrumque ex præfatis verſibus, in ſui patrocinium perperam allegantes Gavantum, qui, ut alibi diximus, aperte loquitur de verſu *Requiem* reſponſoriis ut ſupra inſerendo, non dicendo poſt orationem. Quam ad rem facit admodum

Digitized by Google

Rituale, quod nullum ex iiſdem verſibus adjungit orationi, quæ inter exequias dicitur poſt reſponſorium *Libera*, ſed utrumque reſervat poſt ultimam orationem in exequiarum fine. A fortiori ſubticendus erit verſus *Animæ eorum* cum antiphona *Si iniquitates*, & pſalmo *De profundis*, nedum quia in tali die nec in ultima abſolutione dici debet ob ſuperius tradita, ſed etiam quia cum abſolutiones illæ omnes unum veluti conſtent cum ultima, in qua terminatur functio, in hac reſervari deberet prædictus verſus, qui inſtitutus eſt ad ultimum vale dandum defunctis omnibus.

VII. Ex his elucet regula ſervanda a Regularibus in commemorationibus defunctorum Confratrum, Benefactorum, aliorumque ſimilium, in quibus plures abſolutiones agunt. Omnia namque præſtare debent, ut faciendum monuimus in commemoratione omnium fidelium Defunctorum, ſed ad ultimam abſolutionem adhibeant orationem *Abſolve* ex miſſa pro uno Defuncto in plurali numero, & in fine addant verſum *Animæ eorum* cum Antiphona *Si iniquitates*, & pſalmo *De profundis*. Eorum vero non approbamus uſum, apud quos ter ut ſupra facta per ſacerdotem aſperſione, & incenſatione ſuper ſepulcra, ſeu locum, in quo ſunt ſepulcra, pergunt acolythi aſpergentes, & incenſantes totum locum, qui ſi non phyſice, utique moraliter, ab eodem ſacerdote jam aſperſus fuit, & thurificatus.

DECRETUM III. CAPITIS IN ORDINE CCXLII.

Ubi ex diſpoſitione Teſtatorum ſingulis diebus canendum eſt in Eccleſia reſponſorium pro defunctis, poteſt quotidie decantari, exceptis feſtis 1. & 2. claſſis, & octavis privilegiatis, necnon tota hebdomada majori; in prædictis autem feſtis 1. & 2. claſſis, & octavis privilegiatis, ac majori hebdomada, ne pia Teſtatorum voluntas defraudetur, reſponſorium prædictum recitetur privatim in choro, abſolutis horis canonicis. S. R. C. 8. Junii 1741.

I. Decreti uberem expoſitionem recole in Decreto 6. cap. 2., diebus enim omnibus, quibus ibidem illicitam fecimus publicam, & ſolemnem officii Defunctorum decantationem, abſtinendum eſſe cenſemus a decantatione reſponſorii, de quo præſens procedit Sanctio, licet eorumdem dierum minime meminerit; unde diebus ut ſupra exceptis adjungimus etiam dies omnes Dominicæ, & feſtivos de præcepto, & vigilias Nativitatis, & Pentecoſtes. Equidem Decretum dumtaxat afficit reſponſorium *ſingulis diebus* cantari mandatum, ſed ratio, ob quam in exceptis diebus cani vetatur, idem juris eſſe ſatis oſtendit de reſponſorio, quod non diebus ſingulis, ſed ſolum aliquibus, aut una, vel altera vice foret indictum. Solummodo id diſcriminis adeſſe poteſt, quod hoc ſupplendum non videtur privatim, ſed magis transferendum, ut voluntati Teſtatoris etiam quoad cantum ſatisfiat, ubi illud transferri non convenit, cum jam in die, in quam transferetur, idem reſponſorium cantandum occurrat, & nonniſi inepte ea die idem reſponſorium bis cantaretur pro eodem defuncto, unde fit ſatius, in die præſcripta illud privatim dicere ad Decreti tramites, modo poſſibili ſatisfaciendo menti Teſtatoris. Quæ in eodem Decreto 6. cap. 2. dedimus, omnino recolenda ſunt; rem enim apprime elucidant.

II. *Privatim in choro* recitandum indicitur, & *abſolutis horis canonicis*, & hæc contraire videntur iis, quæ laudato loco, & alibi fuerunt a nobis tradita, ubi ſub veſperum, aut poſt ſecundas veſperas officium defunctorum ſolemniter facere, licitum declaravimus, ſolemnioribus diebus dumtaxat exceptis, quinimmo & in corpore quorumcumque dierum, dummodo ſubmiſſe, & privatim illud dicatur. Verum id de prælato reſponſorio ſtatutum fuit, quia *ſingulis diebus* ſupponitur indictum, unde nimis læderet dierum plurium ſolemnitatem, lætitiam, myſteria, atque rationes congruas, & myſticas, ob quas ab iiſdem luctuoſe Defunctorum officia rejecta extitere. Quod ſi etiam Defunctorum officium ſingulis diebus cani demandatum eſſet, ut ſupra privatim non minus ſuplendum eſſe crederemus, quemadmodum & cani poſſe credimus in diebus ut ſupra exceptis ſub veſperum, vel poſt ſecundas veſperas reſponſorium, quod non quotidie, ſed ſolum aliquibus diebus fuiſſet demandatum, ſolemnioribus dumtaxat diebus exceptis, a quibus jam excluſimus etiam ipſum Defunctorum officium, & miſſam diei obitus præſente corpore. Quinam autem ſint ejuſmodi dies, jam diximus in Decreto 4. cap. 3.

III. Pariformiter, ac de Defunctorum officio elocuti fuimus, præfatum reſponſorium privatim dici poſſe credimus in corpore quorumcumque dierum, eſto abſolutæ non fuerint horæ omnes diei canonicæ; quæ enim Defunctorum ſunt, ſi ſubmiſſe, & privatim in choro dicuntur, vix officiunt diei lætitiæ, aliiſque rationibus, quarum cauſa repelluntur. Decretum itaque, dum reſponſorium dicendum mandat *abſolutis horis canonicis*, haud intendit talem diſpoſitionem edere, cui contrairi non poſſit, ſed ſolummodo congruentiorem aſſignare locum, & tempus, in quo dici convenit, unde abſolutis horis canonicis, etiam per Completorii recitationem, conſultius quidem erit illud dicere, ne quæ Defunctorum ſunt, interſerantur diei officio, hujuſque myſteria aliqualiter interturbentur, non tamen neceſſarium.

IV. Reſponſoria hujuſmodi ſe habent inſtar abſolutionis, & cum regulariter decantentur ſine interventu miniſtrorum ſacrorum, nobis ſuggerunt nonnihil dicere de abſolutione, quæ ſuper lecticam fit, aut pannum nigrum ſuper pavimento ſtratum, miniſtris ſacris non intereſſentibus. Ad hanc ſi pergat clerus, ceroferarii omitti poterunt, & unus acolythus, vel quicumque alter ſuperpelliceo indutus præcedente thuriferario, & acolytho aquæ benedictæ, crucem deferet, ſequetur clerus, poſtea ſacerdos, & omnes ſe ſtatuent, & alia fient, prout in abſolutione ſolemni; ſed quia Diaconus deficit, thuriferarius thuribulum porriget ſacerdoti, huncque comitabitur in incenſatione tumuli, elevans fimbriam pluvialis, & genuflectens prout ſupra altari, & cruci, & ſic reſpective faciet in aſperſione aquæ benedictæ, Thuriferarius vero, tamquam miniſter in hoc caſu dignior, celebranti inſerviet ſuſtinendo librum, dum orationem legit. Diximus *ad hanc ſi pergat clerus*, quia ſi clerus in choro ſiſtat, dum ab eodem cantatur reſponſorium, cum acolytho aquæ benedictæ, & thuriferario ſacerdos, nulla præcedente cruce, ibit ad abſolutionis locum, & per chorum cantato ultimo *Kyrie* dicet *Pater noſter*, & poſtea ter aſperget, & thurificabit tumulum, ſeu pannum in medio, a dextris, & a ſiniſtris, non circumiens tumulum, aut pannum, ſed ſtans in loco ſuo, qui erit a parte Epiſtolæ in ſpatio correſpondente medio ejuſdem lecticæ, ſeu panni. Quo facto dicit *Et ne nos inducas* cum reliquis ut ſupra, thuriferario ſuſtinente libro. In his abſolutionibus ſacerdos non utetur candela, cereis tamen quatuor ſtipatus erit tumulus, vel ſaltem duobus, & tunc unus erit ad caput, alter ad lecticæ pedes.

V. In uſum & eſt, nec ab Auctoribus reprobatur, brevis abſolutio altera, in qua, dum a choro cantatur reſponſorium, acolythi extendunt pannum nigrum in plano ante medium altaris, ſacerdos terminata miſſa, cum acolytis accedit ad cornu Epiſtolæ, & ibidem reliqua ut ſupra peragit. Ad hanc abſolutionem neceſſe non eſt ſtatuere, vel ad pannum deferre cereos, cum ſufficienter deſerviant illi, qui ardent in altari, ante cujus medium dumtaxat fieri debet. In hac, uti & in præcedenti abſolutione ſacerdos non utetur planeta, ſed hanc deponet una cum manipulo in cornu Epiſtolæ, ubi accipiet pluviale, vel ſtabit in ſola alba, & in incenſatione, & thurificatione numquam circumitur pannum.

VI. An in fine harum abſolutionum ſubdi debeat *Anima ejus &c.* cum Antiphona *Si iniquitates*, & pſalmo *De profundis*, ſuccedit dicere; & videtur, quod non, quia cum juxta rubricam dici debeat a clero revertente in Eccleſiam, vel Sacriſtiam, locum habere nequit in caſu, in quo clerus perſiſtit in choro, nec procedit ad tumulum. Quatenus hæc omnia omitti deberent, dubium non eſt, quod præcedens verſus, ſcilicet *Requieſcant* in plurali numero dici deberet, cum tunc deſerviret in ultimum vale defunctis omnibus. Nos tamen verſum *Anima ejus*, qui in tranſitu dici præſcriptus non eſt, & alias dici mandatur a primo Decreto hujus capitis, non videmus omitti poſſe, in quo cum detur ultimum vale defunctis, præcedens verſus accommodari deberet perſonarum numero, pro quibus fit abſolutio, quando etiam ſequens Antiphona *Si iniquitates* cum pſalmo *De profundis* omitti deberet. Verum & hanc Antiphonam cum pſalmo dicendam eſſe, nobis placet aſſerere; cum enim alternatim optime dici queat a ſacerdote, & miniſtris tranſeuntibus ad Sacriſtiam, hocce ſuffragio defraudandi non videntur Defuncti. Quod ſi itidem alternatim dicantur a clero perſiſtente in choro, peccatum nullum committet in rubricam, quæ eatenus eumdem in tranſitu dici mandat, quatenus ſupponit clerum ad tumulum proceſſiſſe.

VII. Meratus *par. 2. tit. 13. n. 27.* alterius moris meminit, in quo verſus finem miſſæ acolythi extendunt pannum in plano ante medium altaris, & ſacerdos, dum a choro cantatur reſponſorium, ante Evangelium S. Joannis ſe exuit planeta, induit pluviale, abſolutionem peragit, & hac peracta cum pluviali accedit ad cornu Evangelii, & ibidem miſſam complet per recitationem conſueti Evangelii S. Joannis. At modus ille omnino eſt rejiciendus; valde enim peccat in Rubricas, juxta quas abſolutio fieri debet *finita miſſa*, & finita *de toto*, ac conſequenter etiam per Evangelium S. Joannis. Itidem contra Rubricas, atque Decreta miſſæ interſerit extranea, abſolutionem in verſu *Anima ejus &c.* obtruncat, & hinc derivante ſuffragio defunctos privat, ac in pluviali ſacerdotem Evangelium S. Joannis facit dicere. Abſurda hæc omnia ſunt, quæ nos deglutire apti non ſumus, quidquid Meratus, aliique Auctores ſentiant.

VIII. Nonnunquam evenit diebus impeditis Miſſam defunctorum ſuppleri per eam de die cum ſacrificii applicatione; hinc ſi facienda ſit abſolutio, dubium exurgit, an fieri debeat ante, vel poſt miſſam, vel poſt mortuale officium, ſi hoc itidem dicendum ſit? In caſu, in quo non dicitur officium, nulla afferri valet decentiæ ratio, ob quam magis miſſæ abſolutio præmitti debeat; in caſu autem officii ea militat, ut nempe ſimul abſolvantur, quæ defunctorum ſunt, & ne a lugubri officio fiat tranſitus ad miſſam feſtivam, & ab hac iterum ad funeream abſolutionem. Rubrica abſolutionem dilucide mandat poſt miſſam, nec aliter expoſcit *abſolutionis* vocabulum; quid igitur? Si non dicatur officium defunctorum, indubie eſt poſt miſſam facienda, quia ſicuti ſi præmittitur, fit tranſitus a lugubri ad feſtivum, ita ſi poſtponitur, dumtaxat fit tranſitus a feſtivo ad lugubre, in pari autem diſcrimine æquum eſt, locum habeat Rubrica, quæ eamdem indicit poſt miſſam. Quod ſi officium dicatur, diſcolorem illum tranſitum tanti nos minime facimus, ut diſcedendum putemus e præſcripto rubricæ, quæ poſt miſſam aperte illam indicit, ac *abſolutionis* vocabulo eamdem conſulto inſcripſit, ut daretur intelligi,

per

per eam abſolvendam eſſe functionem, ſeu eamdem ultimo loco eſſe ponendam, præſertim quia in caſu miſſa de die ſtat loco miſſæ de requiem, quæ dici deberet.

IX. An in caſu miſſæ de die teneri debeant candelæ accenſæ ad Evangelium, & elevationem SS. Sacramenti, eſt quæſtio alia, quam nos negative reſolvimus, exemplo ducto a Purificationis feſto, in quo ad elevationem SS. Sacramenti, & Evangelium accenſæ tenentur candelæ benedictæ, ſi miſſa dicatur de feſto, ſecus, ſi miſſa ſit de Dominica, aut alio feſto occurrente, ut aperte ſtabilit Cæremoniale Epiſc. *lib. 2. c. 16.* Quoties miſſa variatur, ruunt myſterioſæ rationes, quarum cauſa ſunt teneri præſcriptæ, & ideo ſicuti propterea non ſunt amplius accendendæ in Purificationis feſto, ita nec in miſſa de die, quæ ſubrogatur loco illius de requiem.

X. Miſſa de die cum applicatione ſacrificii pro defunctis quotidie dici poſſe, dubium non eſt, ſecus miſſam, aut officium defunctorum, vel abſolutionem ad tumulum; quod illa nullum incommodum, aut præjudicium feſto afferat, quoties de eo dicitur, bene vero iſta, uti ſuperius, & alibi ponderavimus; unde ſi ex propria pietate miſſa cantari debeat in refrigerium defunctorum, utique per miſſam de die ſuppleri poterit cum applicatione ſacrificii, ſed non propterea licitum erit poſt miſſam abſolutionem publice, & ſolemniter agere, aut officium defunctorum canere, niſi in diebus, in quibus, & prout ſuperius licere tradidimus. Diximus *ex propria pietate*, quia ſi ea mercede, aut legato in præcepto forent, ad diem aliam inimpeditam transferri deberent, ut teſtatoris, & ſtipendiarii mens integre, prout fieri licet, ſervaretur tam quoad qualitatem miſſæ, quam quoad decantationem officii, & abſolutionis, ut per Decreta plurima manet ſancitum. Par nec eſt ratio de reſponſorio, quod præſens Sanctio in diebus impeditis privatim ſuppleri permittit; hoc enim ideo, tum quia agitur de re levi, quæ facile compenſari poteſt per ablationem damni, quod defuncti alias ea dilatione perſentirent; tum quia, & ſatius, ſermo eſt de reſponſorio *ſingulis diebus* indicto, adeoque intransferibili, vel ſolum transferibili ad diem, in qua jam idem dici debet. Haud dubitarem autem, quod, ſi item officium, aut miſſa defunctorum in cantu *quotidie* eſsent demandata, in diebus impeditis ſatisfieret legato per decantationem miſsæ de die cum applicatione ſacrificii, & per privatam officii recitationem. Cum enim prævaleat Eccleſiæ lex, & huic ſemper ſubordinetur mens Teſtatorum, tunc legato ſatisfieri cenſetur, quando ſatisfit modo poſſibili, ac ab Eccleſia permiſſo; non aliud quippe nobis Decretum indicat, dum, ut modo dicebamus, de prædicto reſponſorio faciendum eſse mandat.

CAPUT DECIMUMNONUM

De Agone Infirmorum.

I. AGon græca vox eſt, pro loco conflictus quandoque quidem uſitata, ſed quæ communiori acceptione dicit conflictum ipſum, certamen, & luctam: hinc celebres ludi, atque ſpectacula, quibus admodum incubuit antiquitas, curſus, luctæ, pugnorum &c. *agones* dicta inveniuntur; unde pro pertinentibus derivarunt nomina *agoniæ*, victimæ, quæ a præliatoribus præofferebatur; *agoniſmatis*, præmio victoribus conſtituto; *agonothetæ*, præliorum præſidi; & *agoniſtæ*, præliatoribus ipſis, & luctatoribus, contra quos congrediens, *antagoniſtæ* nomen obtinuit. *Pro juſtitia agonizare pro anima tua*, dicitur *Eccli. 4. 33.* & Communiter exponitur: *Ut ſalves animam tuam, acerrime pugna pro juſtitia, æque ac olim pugiles, ac olympionicæ in agone pro corona certabant uſque ad mortem*; ad quos itidem Apoſtolum alluſiſse credimus, dum 1. *Cor. 9. 25.* ſcripſit: *Omnis, qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet, & illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* Agon itaque ſignificat certamen, pugnam, conflictum, ſeu luctam, quo in ſenſu Bern. Orl. 24. 14.

Vicino a loro, anzi in quel ſteſſo loco
Si fa un' altra miſchia, un altro agone.

II. Quæ licet ita ſint, nunc uſus obtinuit, ut agon de infirmo aliquo ſimpliciter dictus, notet mortis articulum, ſeu extremum vitæ ſtatum, in quo proximus eſt, & imminens exitus animæ e corpore. Hoc in ſtatu Baruffaldus *tit. 32. n. 20.* nominis proprietatem, ſeu certamen in eo agnoſcit, quod anima quodammodo cum corpore luctetur contendendo ſeparationem, & diviſionem; ſed quis hoc crederet, cum anima potius anxietur, atque laboret, quod per vim morbi e corpore adigatur abſcedere, cum quo tamquam comparte nata eſt hominem conſtituere? Satius itaque dixeris conflictum cum morte fieri, ſeu magis cum vi morbi, quatenus natura, ut ſe, ſuamque vitam tueatur, omne ſuum robur expromit, & extremum potentiæ ſuæ exerit, unde plurimi a mortis periculo eluctantur, & vitæ reſtituuntur; vel ſitum eum eſse in naturali renixu ſeparationis ejuſmodi, quæ quam dura ſit, & aſpera, illa 1. *Reg. 15. 32.* verba obertim indicant: *Siccine ſeparas amara mors?* Quibus ſi addas ſpiritualem pugnam, quam animæ ut cum maxime Dæmon parat, & inſtituit, *ſciens.* Apoc. 12., *quod modicum tempus habet*, ecquis dubitaret tempus illud, & ſtatum eſse certaminis, conflictus, & pugnæ? Eapropter chriſtiana pietas efficacibus ſacramentorum remediis, ferventibuſque precibus, & orationibus fideles tunc temporis adjuvare quammaxime ſtudet, ut earumdem virtute anima morientis corroborata, ab hoc certamine, a quo tota pendet æternitas, victrix evadat. Preces has exponere ſuſcipientes, quodammodo ab inſtituto noſtro videmur deflectere, ſed qui de mortuis huc uſque egimus, abs re non fore putavimus, ſi tanquam de appendice, ageremus de agone infirmorum, qui proxime præit mortem ipſam.

DECRETUM I. CAPITIS IN ORDINE CCXLIII.

Approbatur, & conceditur pro Eccleſia univerſali miſsa nova ad poſtulandam gratiam bene moriendi, ponenda, in miſsali poſt Miſsam *Pro remiſſione peccatorum*, & in Rubricis generalibus *in tit. de coloribus paramentorum* ſub colore violaceo, ac præterea in Gradualibus ad cantum chori in eodem cantu, & tono, qui in antiquis habetur feria IV. Dominicæ primæ, & ſabbato Dominicæ tertiæ in Quadrageſima, & in Dominicis IV. VI. XVI. XX. & XXI. poſt Pentecoſten. S. R. C. 20. Martii 1706. approbante Clemente XI. die 27. ejuſdem menſis, & anni.

I. USum commendandi animas Deo in earum deceſsu, cujus meminit Gregorius *homil. in Evang. 37.* Eccleſiæ coævum faciunt, quæ tradit S. Antoninus *par. 1. tit. 6.* cap. 10. §. 1. de obitu S. Marthæ hoſpitæ Chriſti. Quibus id fieret præciſe precibus, certo definiri non poteſt; ritus tamen, qui in obitu S. Marthæ ſervatus extitit, in pluribus concordat cum noſtro, qui Gavanto teſte *ſect. 9. cap. 5. n. 2.* & convenit cum antiquis manuſcriptis, excepta mutatione aliquorum Sanctorum in litaniis brevibus.

II. Joannem Eleemoſynarium ad morientes ventitare ſolitum, ex Metaphraſte deſcribit nobis idem Gavantus *n. 3.* ubi putat illos ab eo fuiſſe benedictos, ritumque Epiſcopalis Benedictionis in fidelium obitu ſua non carere antiquitatis laude, ex Aimoino eruit, qui *lib. 5. cap. 19. de geſtis Francor.* Ludovicum Pium Imperatorem morientem acceſſiviſſe ſcribit Diogenem Epiſcopum Metenſem, & ab eo benedictionem petiiſſe. Quam benedictionem ut ægroti diligentius procurarent, & ſimul iiſdem redderetur utilior, S. Carolus Borromæus a Gregorio XIII. die 30. Decembris 1580. facultatem obtinuit omnibus Epiſcopis Provinciæ Mediolanenſis concedendæ indulgentiæ ægrotis, quos vel ipſi, vel eorum nomine alii viſitaverint.

III. Ad ipſum egreſſum, vel agonem animæ ſacroſanctum altaris ſacrificium obtuliſſe majores noſtros, eoque morientis animam ad tremendum Dei tribunal comitari ſolitos, luculentum monumentum eſt offertorium, quod tunc dicebatur in tali miſſa, nunc vero traductum quidem eſt in illam defunctorum, ſed in eo evidentia apparent adhuc veſtigia prædictæ circumſtantiæ temporis, in qua dicebatur, ut ex plurimis ejuſdem verbis, & ſignanter ex illis *Fac eas Domine de morte tranſire ad vitam*, nos ipſi ponderavimus in præliminaribus cap. 10. n. 10. Agebant illud quavis diei hora, licet non jejuni, tantaque religione uſum hunc cuſtodiebant, ut propterea, nec ab iteratione Sacrificii abſterrerentur. Id minus placuit tertiæ Carthaginenſi Synodo, quæ propterea ſanxit: *Sacramenta altaris nonniſi a jejunis hominibus celebranda eſſe, & ſi aliquorum poſtmeridiano tempore defunctorum commendatio facienda ſit, ſolis orationibus eſſe faciendam, ſi illi, qui faciunt, jam pranſi inveniantur.*

IV. Quidquid nonnulli ſcripſerint, ſcite notat Theodorus Balſamon, nec iterationem ſacrificii, nec poſtmeridianam celebrationem per Synodum inhiberi; etſi namque agonizantium, & defunctorum commendationem poſtmeridiano tempore ſolis orationibus ſtatuat eſſe faciendam, in conditionem adjicit: *Si illi, qui faciunt, jam pranſi inveniantur*, quapropter non pranſi, ſed jejuni ab iteratione & celebratione ſacrificii, etiam poſt meridiem, minime prohibentur. At quoniam non deſunt monumenta plurima, quæ & diſtricte inhibent iterationem ſacrificii, & poſtmeridianam celebrationem, de quibus egimus cap. 3. Decr. 1., & cap. 12. Decr. 7., idcirco modo agonizantium animæ, quarum tranſitus incongruenti tempore pro celebratione miſſæ contingit, ſolis precibus commendandæ ſunt Deo; quæ vero congruenti ut ſupra tempore in agone conſtituuntur, etiam media miſſa commendari poterunt, & quod commendentur, dubio procul laudabile valde eſt, atque utile.

At qua miſſa? Certe non de requiem, quæ ex dictis in Decr. 1. cap. 10. ex intentione Eccleſiæ inſtituta eſt, ut agatur pro mortuis, de quorum numero nondum ſunt, qui in agone ſunt conſtituti. Quod certi ſtatui poteſt, eſt, quod ſi occurrat officium duplex, aut ex privilegio extraneas miſſas reſpuens, miſſa, licet ſolemniter haberetur, facienda eſt de officio; nulla enim relaxatio ſuper rubricarum, aut Decretorum diſpoſitionibus legitur facta favore morientium, uti defunctorum, ut ſicuti de his, ita de illis extranea ab officio miſſa nihilominus haberi valeat. In caſu itaque miſſa determinante erit de officio cum additione collectæ de infirmo morti proximo, niſi officium fuerit duplex 1. vel 2. claſſis; a cujus miſſa additiias commemorationes Decreta removent. Quod ſi nec officium duplex, nec ut ſupra privilegiatum occurrat, erit liberum, miſſam de die, aut votivam facere. Opportuna quidem erit Miſſa de Sanctis illis, quorum devotione tenetur infirmus, & in quorum patrocinio ſemper multum confidit, ſed omnium proculdubio aptior eſt miſſa *Exaudi Deus* cum orationibus de infirmo morti proximo, valde enim quadrat caſui, & ad hunc effectum in miſſale fuit inducta. Quæ ſi dicatur, fiet in paramentis violaceis, ſine *Gloria*, & *Credo*, & in ea dicentur orationes aliæ juxta exigentiam rubricarum, & temporis.

VI. Cum vero approbata ut ſupra fuerit pro Eccleſia univerſali miſſa *ad poſtulandam gratiam bene moriendi*, inſurgit dubium,

dubium, num cafui ſit appoſita? Equidem talis miſſa non videtur inducta pro infirmis in anguſtiis agonis poſitis, ſed magis pro fidelibus, qui futurorum probe memores, divinam miſericordiam pro tanto beneficio ſalubriter admodum precibus prævenire non negligunt, ſed quoniam miſſæ textus in tali temporis circumſtantia dici non refugit, eamdem nos dici poſſe credimus, adaptando orationes generi, & numero perſonæ, pro qua dicitur. Decretum autem aperte deſignat locum, colorem, cantum, & tonum ajuſdem miſſæ, quare nos dumtaxat ſubdimus, quod ſemper erit ſine *Gloria*, & *credo*, etſi ſolemniter fieret, cum demandata ſit in colore violaceo, nec nuquam dici valeat in diebus Dominicis, ut propterea in ea recitandum ſit ſymbolum.

DECRETUM II. CAPITIS, IN ORDINE CCXLIV.

In Litaniis Sanctorum pro diverſitate functionum, & temporum aſſignatis, & in illis pro commendatione animarum, poſt nomen S. Joannis Baptiſtæ ſtatim adjungi debet illud S. Joſephi, dicendo *Sancte Joannes Baptiſta ora pro nobis: Sancte Joſeph ora pro nobis. Omnes Sancti Patriarchæ &c.* Benadictus XIII. 19. Decemb. 1726. *in Decreto Urbis, & Orbis.*

I. PReces, quibus ex Eccleſiæ inſtituto Deo commendantur decedentes animæ, expianare arripientes, a Rituali Romano non putamus digredi, a quo *tit. de modo juvandi morientes* diſcimus, quod ingraveſcent morbo Parochux infirmum frequentius viſitans, ut ad ſalutem eumdem adjuvet, Sanctiſſimo Viatico, & Sacra unctione congruo ut ſupra tempore morientem communira curabit, quibus adhibitis, ſi infirmus videatur morti proximus, periculumve imminere, ſtatim commendationis animæ officium præſtabit, ſi vero tempus ſuppetat, in ſalutis monitis detinebit infirmum, & in nonnullis pietatis officiis, quæ Eccleſia in Rituali ſuggerit, a Parocho, ſi ita expedire judicaverit, præſtanda pro conditione perſonæ.

II. *Ac primo, ſi ægrotus indulgentiam legitima auctoritate conceſſam conſequi poſſit, eam illi reducat ad mentem, proponatque, quid ad eam conſequendam agi debeat*, ne videlicet ob oblivionem, aut non poſitionem operum, quibus foret alligata, eamdem deperdat. Huc ſpectant indulgentiæ, quas infirmus conſequi valet per aggregationem alicui Regulari Ordini, vel Confraternitati, aliæque plurimæ, da quibus infra reſervamus agere, ubi ſermo erit de indulgentia pro invocantibus in mortix articulo ſanctiſſimum nomen Jeſu, qua utique ſaltem atiam de cauſa a Parocho modo infirmus admoneri mandatur, *præſertim ut contrito corde ſanctiſſimum nomen Jeſu ſemel, vel ſæpius invocet.*

III. *Deinde hortetur infirmum, & excitet, ut dum mente viget; elicias actus fidei, ſpei, & charitatis, aliarumque virtutum.* Æterna felicitas, quæ inde pendet, ubertim oſtendit, noviſſima vitæ momenta inutiliter profundenda non eſſe, ſed tranſigenda in virtutum actibus, & præſertim fidei, ſpei, & charitatis, quorum præceptum tunc temporis dubio procul per ſe fideles obligat, & adhuc per accidens, ad ſuperandas nempe tentationes, quibus Dæmon tunc maxime eoſdem impetit. Sit itaque Parochorum curæ, morientes, dum mente vigent, ad hos hortari, & excitare actus, & pro conditione perſonæ, quatenus nempe infirmus rudis fuerit, etiam ſuggerere actus ipſos, ſeu verba, quibus debent concipi, ut inde eadem ore pro viribus, ſin corde repetere, & proſequi valeat, & ne projectix pretioſis momentis illis, mentis tenebræ forte eum apprehendant, & nox veniat, in qua nemo poteſt operari.

IV. Virtutum actus, in quibus ægrotans exerceri mandatur, ſunt, *nempe ut firmiter credat omnes articulos fidei, & quidquid S. R. E. Catholica, & Apoſtolica credit, & docet;* ſine enim fide, quæ ſalutis noſtræ fundamentum eſt, & juſtificationis radix, impoſſibile eſt placere Deo, & ad conſortium filiorum ejus pervenire. Similis profeſſio Catholicæ fidei a Cæremoniali Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 38. bis fieri demandatur Epiſcopis, ante ſcilicet, & poſt ſumptionem ſacri Viatici, ut inde ediſcant fideles ceteri ſi non cum ſimili ſolemnitate, certe profeſſionem fidei in mortis articulo a nemine eſſe omittendam. Sunt tamen ex myſteriis, quæ non ſufficit credere ejuſmodi generali, & implicita fide, ſed de neceſſitata medii juxta capacitatem uniuſcujuſqua expoſcunt explicitam, qua ſi infirmus careat, incapax eſt ſacramentalis abſolutionis juxta propoſitionem 64. inter damnatas ab Innocentio XI. inter ajuſdem myſteria ab Apoſtolo *Hebr.* 11. 6. connumerari cernimus *exiſtentiam unius Dei, qui remunerator ſit*, a ſacris Evangeliſtis *Myſterium SS. Trinitatis*, de quo adoceri, & in ejuſdem perſonarum nomine omnes gentes baptizari mandantur; & tandem *Myſterium Incarnationis Chriſti Jeſu*, in cujus nomine *Act.* 4. oportet nos ſalvos fieri. Parochorum itaque ſummæ erit curæ, quos noſcent rudes, & inſcios, ſuper ejuſmodi myſteriis pro ratione temporis ut minimum inſtruere, antequam ad ſacramenta eoſdem admittant, & iis adhuc morientibus illa inculcare, & credenda proponere.

V. Subduntur a Rituali adhortationes aliæ ad virtutum actus procurandos in moriente, cut & inſinuantur utiles nonnullæ preces eo modo, quo poterit, ſaltem ex corde per intervalla faciendæ, ſed quoniam ſunt cuncta perlucide expreſſa, contenti ſumus advertere, quod in prece illa *Maria mater gratiæ* dici non debet *Tu nos ab hoſte protege*, ut ibi notatur, ſed *Tu me ab hoſte* &c... in omnibus enim precibus aliis moriens dumtaxat orat pro ſe, & reapſe neceſſitas, & anguſtiæ, in quibus eſt conſtitutus, minime patiuntur ſuas orationes aliis communes facere, qui magis per hæc verba pro moriente precari monentur. *Deinde* (Parochus) *ſequentes preces, quanta poterit, majori devotione dicat, admoneatque domeſticos, & circumſtantes, ut ſimul orent pro moriente.* Equidem variationi prædictæ obeſſe videtur, quod ſit pars hymni, ſed quoniam nihilominus *tit. de expiratione* notatur cum *Tu me ab hoſte protege*, videre non eſt, cur etiam hoc pacto hic non debuerit adnotari. Cum itaque vel inconſequentiæ, vel erroris rituale notare neceſſe ſit, nos illud erroris notare malumus, qui ex mera typographorum incuria irrepſerit, & legere *Tu me &c.*, qualis lectio cuncta ad facilem concordiam revocat.

VI. Hactenus de iis, quæ præmitti veluti debent officio commendationis animæ, cum tempus ſuppetit; non adeo autem dici aſſignata ſunt, ut liberum non ſit, prout prudentia dictaverit ſacerdoti, prædicta, vel ſimilia morienti ſuggerere. Ecce Rubricam: *Hæc, & his ſimilia poterit prudens Sacerdos vulgari, vel latino ſermone pro perſonæ capta morienti ſuggere.* Quæ itaque ex precibus ex ſacris literis, vel ab orationibus ab Eccleſia approbatis excerptæ ſunt, latino ſermone, quo ſunt in iiſdem exaratæ, cuique ſuggerendas eſſe crederem, aliis vulgari, præſertim ſi infirmus latinam linguam ignoret, ut & ipſe intelligat, quid loquatur, & majori animi, cordiſque fervore eaſdem proſequi valeat. Eadem utique de cauſa virtutum actus in materna lingua exhibeantur ægrotis, etſi latinam linguam probe callaant, ne in illis anguſtiis nimium delatigentur, & dum ad verba, ſenſumque coguntur advertere, potiorem partem, uberioremva fructum deperdant.

VII. Nunc preces, rubricaſque ordinis commendationis animæ perſcrutari ſumentibus, nobis illico occurrit, quod *Parochus ad decendent animæ commendationem accedens, clericum ſaltem unum, ſi poteſt, ſecum habeat, qui deferat vaſculum aquæ benedictæ, ſuperpelliceum, & ſtolam violaceam.* Rituale id quidem muneris facit Parochi, ad quem cum agatur de æterna ſalute animæ ejus curæ commiſſæ, potiori jure indubie ſpectat; ſed ne occaſione reſervationis quis hicce ſine precibus decederet, ipſas Eccleſias noluit ad Parochos privative ſpectare, ſed de ſalute filiorum ſuorum admodum ſollicita, ultra Rituale, quod ad Parochorum commodum præcipue inſtitutum eſt, in Breviario eaſdem inſertas voluit, ut forent ad manus cujuslibet Sacerdotis, neceſſitate præſertim urgenta.

VIII. Aſſiſtentiam clerici congruam quidem in hoc caſu deſignant munia, quæ ipſi Rituale committit, & minus decens eſt a Sacerdote præſtari, *deferre nempe vaſculum aquæ benedictæ, ſuperpelliceum, & ſtolam*, ſed validiorem rationem Rituale fortaſſe reticet, & eſt, ut præſto ſit, qui ſimul oret, & reſpondeat precibus, & orationibus, cum perſæpe non adſint, niſi pueri, & fœminæ, quæ in fletibus, & ejulatibus inutiliter conſumuntur. Si huc ſpectare dixeris dictionem *ſaltem*, qua Rituale unum ita expoſcit clericum, ut plures optet, qui ſimul reſpondeant, & orationi vehementer inſtent, libens aſſentior; nequa enim ad ſupradicta deferenda impar eſt unus, ut per dictionem *ſaltem* alii exoptari debuiſſent. At quid, ſi nec unus præſto ſit clericus? Difficultatem dirimit to *ſi poteſt*, quod diſerte denotat, non propterea a Sacerdote omittendum eſſe tantæ charitatis officium; quapropter vel ab aliquo laico ut ſupra neceſſaria portari curabit, vel quatenus opus ſit, ſacerdos ipſe ea defert, ſuperpelliceum nempe ſaltem, & ſtolam, nam aqua benedicta in cujuſvis fidelis domo, & infirmi cubiculo regulariter habetur, & in defectu adhuc ubivis facile benedici poteſt. Quæ miniſtri munera cum æque bene aptæ ſine præſtare Sanctimoniales fœminæ, ſcire nos Baruffaldus admonet, quod in monaſteria monialium introduci non debet clericus, quem Rubrica Sacerdoti aſſignat comitem.

IX. Proſequamur Ritualis verba: *Quibus*, ſcilicet ſuperpelliceo, & ſtola, *ipſe Sacerdos ante infirmi cubiculum indutus, locum ingrediens dicat: Pax huic domui, & omnibus habitantibus in ea.* Ante infirmi cubiculum, vel in alio vicino loco Sacerdos induit ſuperpelliceum, & ſtolam, ut ingrediens cum veſtibus ſacris, majorem inferar morienti venerationem; cubiculum vero ingreſſus, dicit illico *Pax huic domui* juxta Chriſti præceptum, qui *Lucæ* 10. conſimilem ſalutationem indixit: *In quamcumque domum intraveritis, primum dicite: Pax huic domui.*

X. *Deinde aſpergat ægrotum, lectum, & circumſtantes aqua benedicta, dicens: Aſperges, me Domine &c.* Virtutes aquæ benedictæ jam alibi deſcripſimus, præſertim ad expellendos Dæmones, qui tunc maxime inſidiantur morientis animæ, hinc aſpergitur ægrotus & lectus, ut procul abeant infernales ſpiritus; circumſtantes vero, ne horum preces impediant, vel interturbare tentent, quas pro infirmo devota fundunt. Loco circumſtantium Rituale *tit. de viſit., & cura Infirmor.* cubiculum aſpergi mandat, ſed id, quia non ſupponit inibi circumſtantes flexis genibus inſtantes precibus pro infirmo in extremis anguſtiis nondum conſtituto, modo autem circumſtantes tanquam nobiliores data de cauſa rite quidem aſpergi jubet, ſed in circumſtantibus cubiculum, in quo ſunt diſtributi, ſimul aſpergi credimus, ut inde etiam iidem ſubdoli abſcedant ſpiritus, nec per illud in variis formis, apparentiis, & transformationibus morienti habeant illudere. Ceterum in cubiculi aſperſione etiam circumſtantes aſpergi credimus, ſi forte adſint.

XI. *Dicens: Aſperges me, Domine*, nec aliud a Rituali ſubditur, ſed tantum ponit dictionem *&c.*, quæ cum de ſui natura importet extenſionem ad ea, quæ de ſtylo, & conſuetudine

ne ſequuntur, & præſertim ſi hæc præcedenter jam ſint poſita, dubium non eſt, quod prædicta Antiphona cum omnibus dici debet, prout ponitur *tit. de communione infirmor*. Fere ob cauſam ſimilem, quia nempe *tit. de Sacram. extremæ unctionis* aſperſio in modum crucis facienda dicitur, etſi hic de aſperſionis modo Rituale taceat, in modum crucis faciendam eſſe judico, & præſertim quia talem aſpergendi modum ſuerunt ſtylus, & conſuetudo, & myſteria probant. At quid de ſalutatione *Pax huic domui*, quæ tum duobus modo laudatis titulis, tum tit. de viſit. & cura Infirmor. a Sacerdote ingrediente tantum inchoanda dicitur per verba *Pax huic domui*, & ſequentia *& omnibus habitantibus in ea* miniſtris, ſeu circumſtantibus reſpondenda aſſignantur, cum tamen in præſentia a ſacerdote cuncta verba dicenda mandentur? Sacerdos contentus ſit verbis Chriſti, cujus perſonam gerit, ſcilicet *Pax huic domui*, & reliqua clericus, ſi adſit, vel circumſtantes reſpondeant; nos enim ℟. *& omnibus habitantibus in ea* Rituale dumtaxat omiſiſſe credimus, quia ut plurimum aſſiſtentia clerici, quam optat, deficit, & circumſtantes neſciunt, quid reſpondere debeant, quibus propterea ſolummodo aſſignantur reſponſiones *Ora pro eo*, & *Amen*, quæ notæ ſunt lippis, & tonſoribus. Quæ dicta ſint, quatenus erroris Rituale inſimulandum non eſſe credas, quod plurimis nos abundare putamus, per typographorum incuriam ceteroquin invectis.

XII. *Poſtea Salvatoris noſtri Crucifixi imaginem ægroto oſculandam præbeat, verbis efficacibus eum ad ſpem æternæ ſalutis erigens, ipſamque imaginem coram eo ponat, ut illam aſpiciens, ſalutis ſuæ ſpem ſumat.* Quoniam *ſolum deſperationis crimen* (loquitur Auguſtinus ſerm. 38. de temp.) *eſt, quod mederi non poteſt*, in illud Diabolus morientem toto conatu ſtudet inducere, ſub ejuſdem præſertim ponens oculos ſeriem peccatorum, & abuſionem plurimam divinorum beneficiorum, quibus a Deo miſericorditer donatus extitit. Inſidiis ejuſmodi ſubdoloque molimini opportunum Eccleſia opponit remedium, imaginem nempe Salvatoris noſtri Crucifixi, quam propterea oſculandam ægroto præbet, eamque coram eo ponit, ut illam aſpiciens, ſalutis ſuæ ſpem ſumat, ad quam efficacibus item verbis eumdem laborat erigere. Ipſe enim eſt, qui per paſſionem, & mortem nos redimere dignatus eſt a peccati, & diaboli ſervitute, advocatus noſter apud Patrem in cœleſtibus, quique non venit vocare juſtos, ſed peccatores, quos ut ſalvet, & protegat, etſi peccatorum onere preſſos, *Matth.* 11. ad ſe vocare, & allicere non ceſſat dulciſſimis illis verbis: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.*

XIII. *Deinde accenſa candela genibus flexis cum omnibus circumſtantibus breves litanias devote recitet in hunc modum.* Mox circa morientis lectum accenditur candela, cujus uſus quam in Eccleſia antiquus ſit, & quam mirifice morientem adjuvet per expulſionem Dæmonum, uber argumentum ſit quod refert S. Antoninus *par. 1. tit. 6. cap. 10. §. 1.*, videlicet quod *S. Martha Chriſti hoſpita, adveniente die obitus ſui, admonuit ſuos, ut accenſis luminaribus uſque ad obitum ſuum circa eam vigilarent; ſed cum media nocte adſtantibus ſomno gravatis, per vehementem ventum extincta omnia illa fuerint, mox præſto fuit malignorum ſpirituum turba, quam illa cernens, orare cœpit, & dicere. Mi Pater heli, Mi hoſpes care, congregati ſunt ſeductores ad me devorandum, ſcripta tenentes, quæ geſſi. Heli ne elongeris a me, ſed in adjutorium meum intende. Et ecce ſubito ſororem Mariam vidit cum multitudine Angelorum ad ſe venientem cum facula accenſa, qua extincta luminaria ſunt rurſus accenſa.*

XIV. Num candela ejuſmodi debeat eſſe benedicta, Rituale non explicat, fidelium tamen praxis aliquam ex benedictis uſurpat, & præſertim ex benedictis in die Purificationis, & quoties ex illis nulla ſupperat, in Miſſali, & Rituali præſto eſt formula benedicendi candelas, quæ cum hæc verba teneat: *Talemque benedictionem ſignaculo ſanctæ Crucis accipiant, ut quibuſcumque locis accenſa, ſive poſita fuerint, diſcedant principes tenebrarum, & contremiſcant, & fugiant pavidi cum omnibus miniſtris ſuis ab habitationibus illis, nec præſumant amplius inquietare, aut moleſtare ſervientes tibi Omnipotenti Deo*; & aliunde benedictione ſemota videre non ſit, unde illis ineſſe queat vis contra Dæmones, nos haud ambigimus, aliquam ex benedictis eſſe adhibendam.

XV. Accenſa ut ſupra candela genuflectit ſacerdos (circumſtantes enim genuflectere prius debent, cum nempe a ſacerdote ingrediente aſperguntur) & cum omnibus circumſtantibus breves litanias devote recitat, circumſtantibus ſcilicet ad quemcumque verſiculum reſpective reſpondentibus *ora*, vel *Orate &c.* An vero debeant dicere *Ora pro nobis*, vel *Ora pro eo*, non levem dubitationem præſens Decretum ingerit, quod in Litaniis, quacumque occaſione, etiam commendationis animarum, recitentur, dicendum mandat *Sancte Joannes Baptiſta ora pro nobis &c.* Verum nullatenus diſcendum eſt a Rituali, quod in præſenti circumſtantia temporis Litanias dicit eſſe recitandas *in hunc modum*, & modus, quem illico diſerte ponit, eſt, ut dicatur *ora pro eo*, & non *pro nobis*. Et reapſe circumſtantia, & occaſio, in quibus dicuntur, expoſcunt utique, quod oratio noſtra integre fiat pro æterna ſalute morientis, quem ad effectum preces iſtæ ab Eccleſia ſunt inſtitutæ, & circumſtantes ipſi genuflexi orare intendunt, unde laudata Ritualis verba, *Admoneatque domeſticos, & circumſtantes, ut ſimul orent pro moriente*. Ad Decretum autem facilis eſt reſponſio, ejus namque ſcopus eſt, ut in Litaniis, quacumque occaſione dicantur, poſt S. Joannem Baptiſtam invocetur S. Joſeph, & in exemplis, quæ hac de cauſa producit, aſſignat *ora pro nobis*, non ut ita dicatur occaſione commendationis animæ, pro qua Rituale aliter aperte diſponit, ſed quia ita dicendum eſt in frequentioribus functionibus aliis, atque temporibus, in quibus Litaniæ dicuntur. Quod ſi moriens fuerit fœmina, circumſtantes dicant: *ora pro ea*, ut qualitati perſonæ magis quadret oratio.

XVI. In Litaniis igitur, quacumque occaſione dicantur, invocandus item eſt S. Joſeph, cui cum matrimonii lege in terris ſubjecta fuerit Deipara, & Jeſus ipſe dignatus ſit, ſe voluntarie præbere ſubditum, Eccleſia adjudicavit, plurimi faciendum eſſe ejuſdem patrocinium in cœlis; & præſertim favore morientium, quibus intercedere poſſe credidit dulciſſimam Jeſus Chriſti aſſiſtentiam, ejuſque Genitricis, quam ipſe in terris moriens, promeruit habere. Hinc facile habes cauſam, ob quam in Litaniis commendationis animæ, licet admodum præ ceteris breves ſint, & in invocationibus detruncatæ, adhuc S. Joſeph invocari mandetur. Cum autem poſt S. Joannem Baptiſtam invocandus ſit, una cum donis, & privilegiis plurimis, quibus S. Joſeph donatus extitit, diſerte produnt, quæ nos tradidimus *to. 1. cap. 31. Decr. 4.*

XVII. Litaniæ ejuſmodi *breves* dicuntur, & ſunt; vix enim aliquos ex Sanctis cujuſvis ſeriei recenſent, & claſſis. Si quæris cauſam, cum ſi non plures, ſaltem certe conſueti invocari debuiſſent pro infirmo in gravi adeo anguſtia conſtituto? Non incongruam rationem reddit Gavantus, nempe, *ut diſcedente anima, ſequentibus precibus magis propriis eam Domino commendemus.* Sequentes, quas Eccleſia pro tali circumſtantia præſcripſit, preces ad rem ſunt magis propriæ; quare ne iiſdem privaretur morientis anima, cujus exitus eſt plane incertus, magis Litanias decurtandas eſſe cenſuit in invocatione Sanctorum, qui tamen adhuc in generali invocatione reſpectivi ordinis minime prætereuntur. Quæ cum ita ſint, exurgit dubium, cur invocentur *Sancti Abel, & Abraham, ac omnis Chorus juſtorum*, quorum mentio nulla in Litaniis longioribus, & certe eſt cultus parcior in lege nova? Nullus, quem viderim, ex Auctoribus rationem allegat; eam tamen adduci poſſe crederem, quod pro re tanti momenti, qualis eſt æterna infirmi ſalus ab eo momento dependens, Eccleſia interponendam eſſe cenſuit interceſſionem Sanctorum cujuſvis ſtatus, & legis, qui cum fuerint in iiſdem mortis anguſtiis poſiti, felicem conſecuti ſunt tranſitum, & ideo invocat Abel primum ex Sanctis legis naturæ, & reliquos omnes juſtos ejuſdem legis nomine *omnis chori juſtorum* complectitur: ex lege autem veteri Abraham in hoc ſtatu ſimiliter primum, & ex eadem lege, ſeu ex Evangelii ſtatu ſubjungit SS. Joannem Baptiſtam, & Joſeph, & ceteros utriuſque laudati ſtatus communi invocatione *Omnes Sancti Patriarchæ, & Prophetæ* includit, deſcendens poſtea ad Sanctos novæ legis, quos per diſtinctas claſſes, licet parcius, recenſet.

XVIII. *Deinde cum in agone ſui exitus anima anxiatur, dicantur ſequentes orationes.* Agon eſt extremum vitæ tempus, in quo quando homo reapſe ſit conſtitutus, difficile profecto eſt judicare, cum vel peritiſſimi Medici in hoc ſæpe allucinentur, & experientia compertum ſit, quod qui jam jam moriturus credebatur, per dies ſupervixit, & quandoque adhuc ſanus factus eſt, ubi qui putabatur diſtans ab exitu, non ſemel repente mortuus eſt. Macini *in praxi viſit. Infirm.* nonnullas affert generales regulas ad id dignoſcendum, quas poterit lector recolere, dum ego pergo dicere, quod ſacerdos præceps eſſe non debet, ſed caute admodum progredi ad recitandas præfatas orationes, in quarum prima cum per verbum *Proficiſcere* denuncietur animæ, ut corpus deſerat, in minus fortibus, & mente præditis talis nonnunquam poteſt ingenerari tremor, ac pavor, qui eos, ſi non ſunt, conſtituat in mortis articulo, ac mortem ipſam iiſdem acceleret. Conſulto itaque prædictæ orationes recitari mandantur, *cum in agone ſui exitus anima anxiatur*, in quo propterea ſi recitatis Litaniis veroſimilius non judicetur infirmus, ſacerdos vel eaſdem Litanias repetere poterit, vel eas B. Mariæ dicere, aliaſve pias orationes, vel ad rem appoſitas preces, ſeu ſatius, ſi infirmus ſit compos mentis, occupari in actibus virtutum, & in ſalutis monitis.

XIX. Prima oratio *proficiſcere* compendium ferme eſt Litaniarum recitatarum, ſed præ his id peculiare habet, quod diſtinctius SS. Trinitatem exprimit una cum beneficiis, quæ ſpecialiter erga infirmum unaquæque ex perſonis operata eſt, ut inde moriens ferventiori charitate feratur in tantum ſuum benefactorem, & imminentem mortem patienter ſufferat, quam Deus ipſe ex Virgine natus, paſſus eſt, ut nos regeneraret ad vitam, quam ad conſequendam mors imminens eſt neceſſarium medium. Diſtinctius itidem recenſet Angelos, per eorumdem percurrens ordines, quibus cum Deus mandaverit de unoquoque noſtrum, aliquibus quidem ſpeciali, aliis generali mandato, propterea *gaudium eſt ſuper uno peccatore pœnitentiam agente*, qualis præſumitur in agone conſtitutus. Cur vero, cum Angelorum ordines novem ſint, recenſeantur dumtaxat octo, a me ne quæras, niſi id factum dixeris, quia cum ad diſtinctionem SS. Trinitatis, quarum perſonæ ſeorſim nominantur, ſancti invocentur bini, neceſſe fuit mentionem unius ordinis reticeri, qui creditus non eſt ob ſuperioritatem naturæ cum aliquo ex ſanctis hominibus, nec ob inferioritatem dignitatis, & donorum cum Deipara ſimul nominandus, & aggregandus. Verum cur potius reticeantur *virtutes*, quam alter ex Angelorum ordinibus, quis dicet? Dum hæc ſcribo, eſt, qui mihi ſuggerit, id factum eſſe, ne moriens, qui in ea circumſtantia temporis minus mentis habet, dum in no-

mine virtutum ſibi in ſanctam Sion properandum indicitur, ex nominis æquivocatione id ſibi mandari intelligat in nomina virtutum actuum, quos ipſe in vita egerit, & inde deſperet, aut paveat, ſi in nullis, aut paucis ſe exercuerit, plus æquo confidat, aut inſletur, ſi forte obſervantior fuerit. At congruentiis ejuſmodi, & ratiocinationibus inſiſtat quiſquis pro libito, nos quippe eaſdem paucis facimus, quapropter contenti ſumus ſubdere, quod morientis anima vocetur de hoc mundo ad cæleſtem Sion in nomine quorumcumque aliorum Sanctorum, in quorum conſortio debet illam in æternum habitare.

XX. Baruffaldus *nu.* 26. miratur admodum, quod in tot precibus, quæ ſuper morientem dicuntur, de B. Maria inſtituatur nulla mentio, exceptis ſolis litaniis, ubi ſancti alii & in litaniis, & in ſequentibus precibus invocantur. Quod autem ipſe addit de quinque orationibus ad Mariam Virginem, quæ habebantur in antiquo Rituali, & modo deſiderantur in Rituali Romano Pauli V., difficultatem adauget quidem, ſed prædicti ſilentii fortaſſe potuit eſſe cauſa, quatenus nempe cum de Deipara Virgine Maria jam haberentur prædictæ quinque particulares orationes, de ea in reliquis propterea nulla mentio habebatur, ſed illis poſtea reſecatis, quod commendationem animæ nimis longiorem facerent, & adaptatioribus non ſemel aliis precibus locum abriperent, ſolum illæ remanſerunt, quæ Deiparam nequaquam invocant, quin ejuſdem mentio illas introducta fuerit, tum quia jam circumſtantes interim occupari ſolent in litaniis, & aliis precibus ad Mariam Virginem, & infirmus ipſe ex hortatu Rubricæ per intervalla precari debet, dicens: *Maria mater gratiæ &c.* quod una cum *Sancta Maria ora pro me* Sacerdos ad expirantis aures clara voce pronunciat, & etiam ſæpius repetit.

XXI. Nunquam finis foret, ſi calamo indulgere vellemus, exponentes quæ ceteræ orationes continent, quarum textus jam ſatis explicat, licet præ reliquis non fortaſſe cauſas, quæ ceteroquin arbitrarie magis excogitari ſolent, quam ipſæ ſolido innixæ ſint fundamento; quare de ſecunda oratione *Deus miſericors* non habemus, quid dicemus, niſi quod cum inſertam habeat literam *N*, exprimi in ea debet morientis nomen, quod ſi fuerit fœminæ, latinitatis expoſcunt leges, quod illa præcedentia verba *ſuper hunc famulum tuum* mutentur, atque dicatur *ſuper hanc famulam tuam*.

XXII. Succedit oratio *Commendo te omnipotenti Deo*, quæ cum inſertam non habeat literam *N*, nec dubito, in ea exprimendum non eſſe morientis nomen, ſed cum in ea legatur *Chariſſime frater*, & verſus finem *Conſtitutus igitur*, non leve exurgit dubium, num abſque variatione ulla dici debeat, quando ſuper fœminam recitatur; an vero magis legi debeat *Chariſſima ſoror*, & *Conſtituta*? Pro utraque parte militant argumenta plurima, & pro invariatione ulla validum argumentum eſt Decretum ultimum capitis de Exequiis editorum, in quo definitur, in oratione *Non intres* to *Servo tuo* mutandum non eſſe in *Serva tua*, aut *Servis tuis*, etſi agentur exequiæ ſuper mulierem aut ſuper plures defunctos; quidni igitur & in præſenti caſu? Si dixeris id, quia verba illa ejuſdem orationis *Non intres in judicium cum ſervo tuo* deprompta ſunt ex Pſalmo 143. verſ. 2., ſequentia vero continueri adhuc in maſculino genere, & ſingulari numero, ne inde fiat diſcordia, & diſſonantia; repono ego, idipſum præſtandum a fortiori eſſe in prædicta oratione, quæ eſt integra Epiſtola, quam D. Petrus Damiani *to.* 1. *lib.* 8. *epiſt.* 55., *alias initio to.* 3. ſcripſit Amico ſuo morienti. Adhuc magis urgent, quæ in ejuſdem Decreti expoſitione produximus, morem nempe Eccleſiæ, quæ in divinis officiis retinet *Similabo eum, Sacerdos, & Pontifex, Hæc eſt virgo ſapiens &c.*, etſi de pluribus officium inſtituat, uti & invariata pronunciet, quæ in plurali numero ſunt exarata, quamvis de uno dumtaxat agatur officium. Hæc autem nihilominus quadrare diximus, quia in numero plurali etiam ſingularis continetur, & quæ in ſingolari numero dicuntur, ſatis pluribus conveniunt, ſi de unoquoque ſeorſim enunciata intelligantur, & quia maſculinum ſub ſe aptum eſt comprehendere fœmininum, unde perſæpe habent leges profanæ, & ſacræ *Qui*, vel *ſi quis*, quin propterea a lege fœminæ cenſeantur excluſæ, ut magis diximus in expoſitione ejuſdem Decreti, & tom. 5. cap. 34. Decr. 24. num. 9., & alibi ſæpe.

XXIII. Variationem vero grammaticales leges videntur expoſcere, & adhuc Rubricæ in commune tum Confeſſorum Pontificum, tum non Pontificum invectæ, quæ diſerte notant, quod ſi feſtum fiat de pluribus, *officium quidem fit ut ſupra*, nempe ut in Breviario exaratum eſt, *ſed in oratione, & ſermone, quæ dicuntur in ſingulari, dicantur in plurali*. Si itaque, quæ in ſermonibus, etſi homiliæ ſint, vel orationes Sanctorum Patrum, aut in orationibus dicuntur in ſingulari, dicenda ſunt in plurali, quando feſtum de pluribus occurrit, idipſum conſequenter erit etiam in præſenti caſu, quamvis prædicta oratio ſit integra epiſtola S. Petri Damiani, & multo magis, quia hic gerit, & locum tenet orationes, & orationes adaptandæ ſunt iis, de quibus dicuntur, juxta ea, quæ nos ipſi tradidimus in laudato tomo 1. Quæ ſi ita ſunt, quando officium fit de pluribus, par utique ratio ſimile expoſcit judicium pro fœminino genere, quando officium fit, aut orationes dicuntur ſuper mulierem; unde Rituale in exequiarum fine poſita oratione *Fac quæſumus* in maſculino genere, etſi hoc aptum ſit comprehendere fœmininum, illico adhuc ſubjungit eamdem orationem in fœminino genere, non leve utique argumentum pro ſimilibus aliis caſibus.

XXIV. Verum quoniam quæ productæ ſunt, confeſſorum rubricæ ita a Gavanto *ſect.* 8. *cap.* 3. *num.* 5. exponuntur, ut libertatem faciant, non præceptum imponant, & orationes ipſæ pote S. Felicis 14. Januarii, & S. Callixti 14. Octobris, quia depromptæ ſunt ex Sacramentario S. Gregorii, leguntur in plurali numero, etſi officium ſolummodo ſit de uno; ego crederem prædicta libertate, ſi quæ eſt, utendum non eſſe, ſed præfatam, ſive dicas Epiſtolam, ſeu orationem, legendam eſſe, prout jacet, abſque variatione ulla, & maxime quia variatio non ſiſteret in ſolo genere, ſed induceret novitatem verborum, nempe to *ſoror* vice *Frater*, quod quatenus faciendum eſſet, indubie rubrica non tacuiſſet; rigoroſæ enim inhibitiones cujuslibet, vel minimæ, mutationis, aut variationis, de quibus late egimus in toto capite 41. tomi primi, & præcipue in Decretis 52. 53. & 54. ejuſdem capitis, etſi pro Breviario directe latæ ſint, etiam Rituale afficiunt, & multo magis relate ad preces commendationis animæ, quæ etiam ad Breviarium ſpectant tamquam appendices quædam, cum in Breviarium fuerint invectæ, atque inſertæ. Quæ ſi adhuc non ita forent Bulle Pauli V., incipis *Apoſtolicæ Sedi* ſub datum 17. Junii 1614., Rituali Romano præfixa, ſi ponderetur exacte, non minus inhibet mutationem quamlibet, vel additionem.

XXV. Eapropter eam nos ſtatuimus regulam, ut preces iſtæ ſive dicantur ſuper plures morientes, ſive ſuper fœminam, numquam variari debeant, neque in numero, neque in genere, exceptis ſolum illis, quæ cum teneant literam *N.*, ſicuti per hanc exigunt expreſſionem nominis, ita conſequenter & adaptationem quoad genus, & numerum. Quam ſubdimus, ratio ad rem eſt valde accommoda, quia nempe in anguſtiis illis, in quibus ſacerdos ſtudet pro viribus adjuvare morientis animam, cogeretur alias advertere mutationibus plurimis, cum tamen eadem oratio, ut ſuperius dicebamus, in maſculino adhuc genere pronunciata, vel ſingulari numero, apta ſit & fœminas comprehendere, & ſuper plures dici. Secus nos reapſe diximus de litaniis: quod ſi in oppoſitum inſtes, nos admodum non refragabimur, licet accommodari conſultius fore putemus, quod æque ſit facile dicere, *Ora pro eo*, aut *pro ea*, vel *pro eis*.

XXVI. Hinc in ſequenti oratione *Suſcipe* patet reſpective ſemper eſſe dicendum *Servum tuum*, & *ſervi tui*; ultima tamen ex precationibus, dum tria recenſet tormenta, a quibus S. Thecla liberata extitit, dat inquiſitionis cauſam, quodnam ſit tertium tormentum, cum ſolum de duobus conſtet, de igne ſcilicet, & leonum faucibus, unde Gregorius Nazianz. *in præcept. ad virgin.*

Quis Theclam necis eripuit, flammæque periclo?
Quis validos ungues vinxit, rabiemque ferarum?
Virginitas. O res omni mirabilis ævo!
Virginitas fulvos potuit ſopire leones,
Dente nec impuro generoſos virginis artus
Auſi ſunt premere, & rigido diſcerpere morſu.

XXVII. Baronius *in not. martyr. ad diem* 23. *Sept.* pro tertio aſſignat *theatrum*, cujus nomine non expreſſerit quodnam tormentum veniat, miratur Gavantus, de cujus admiratione magis ſtupet Baruffaldus, quaſi Chriſtiani in theatris non exponerentur carnificinis plurimis, & adhuc tenellam virginem inibi fuiſſe expoſitam inſultationibus lictorum & gentium, non foret inter atrociſſima tormenta adſcribendum. Quæ ſi adhuc minime arrideant, addo ego, quod ultra foſſam plenam ſerpentibus, in quam juxta Breviarium *ad diem* 23. *Septembris* conjecta fuit, liberata extitit a beſtiis taurinis, quibus ut in diverſa actis diſcerperetur, alligatam fuiſſe noſcimus, unde apud Metaphraſtem *ad diem* 10. *Aprilis* precatio iſte SS. Terentii, & ſociorum martyrum: *Qui Danielem de ore leonis eripuiſte, & de manu Pharaonis Moyſen ſervaſti, & S. Theclam ab igne, & theatro, & beſtiis taurinis defendiſti &c.*

XXVIII. Sequitur oratio *Commendamus tibi Domine*, & cum inſertam habeat literam *N.*, exprimendum in ea erit nomen, & ut ſupra accommodanda generi, & numero. At quid, ſi agonizantes fuerint plurimi, & diverſi ſexus? Si fuerint duo, utriuſque exprimetur nomen, ſi plures, nullorum, & ſimpliciter dicetur *Animas famulorum tuorum*, ſi omnes fuerint viri, & adhuc ſi viri, & fœminæ, licet hæ eſſent numero plures, exemplo ducto a feſto SS. Euphemiæ, Luciæ, & Geminiani, in quorum oratione dicitur *Sanctorum*. Si vero omnes fuerint mulieres, dicendum erit *Animas famularum tuarum*. Oratio ejuſmodi præ ceteris id habet ſpeciale, quod in ejuſdem fine Rituale non notat ℟. *Amen*, unde quæritur, an nihilominus ſit reſpondendum? Nequaquam; neque enim habet aliquam ex clauſulis conſuetis puta *Per Chriſtum* &c. *Qui vivis* &c., & licet contineat deprecationes plurimas, in his tamen minime deſinit, ut propterea reſponderi debeat *Amen*, ſicuti ſit in duabus præcedentibus. *Delicta juventutis* incipit oratio ſubſequens, & hæc nulli obnoxia eſt variationi, vel additioni.

XXIX. *Si vero diutius*, eſt rubrica Ritualis, *laboret anima, poterit legi ſuper eum hoc Evangelium S. Joannis*. Cum omnino incerta ſit hora exitus, certus orationum numerus aſſignari non poteſt, quo circumſcribatur agoniæ tempus; quare ſi nondum abſolutis ſuperius recenſitis orationibus tempus expirandi inſtiterit, aut infirmus extemplo expiraverit, omiſſis iis, quæ adhuc dicendæ ſuperſunt, ſacerdos reſpective præſtabit ea, quæ in tali circumſtantia temporis inferius præſtanda eſſe dicemus. Quod ſi abſolutis ſupra aſſignatis orationibus, adhuc anima in agone laboret per modum ſubſidii modo adduntur preces aliæ dicendæ, quarum prima eſt totum caput 17. Evangelii S. Joannis, ad rem utique quam maxime appoſitum; continet enim orationem Chriſti ad Patrem pro diſcipulis, & iis,

Digitized by Google

qui per illos credituri eſſent in eum, ut ſervenitur a malo, & omnes ſalvi fiant, & digna, quæ memoretur, profecto eſt illa Chriſti expreſſio: *Pater, quos dediſti mihi, volo, ut ubi ſum ego, & illi ſint mecum*; pro noſtra namque æterna ſalute magnum eſt conſolationis argumentum, quod quemcumque ea peccatoribus aptum eſt ad ſpem, & charitatem erigere. Et hæc eſt causa, ob quam deinde legi mandatur hiſtoria paſſionis Chriſti, ut ad memoriam revocentur, quæ Chriſtus pati dignatus eſt, ut nos ad æternam vitam repararet.

XXX. Lectio hiſtoriæ paſſionis Chriſti in tali circumſtantia temporis ex Apoſtolico inſtituto rite creditur, quod S. Antonino teſte *par.* 1. *tit.* 6. *cap.* 20. habita ea fuerit in obitu S. Marthæ, tunc quidem *Secundum Lucam*, nunc vero legitur *Secundum Joannem*, quia brevior eſt, & accuratior, utpote a teſte oculari conſcripta. Lectionis ejuſmodi fructus uberes deſcribit Petrus Damiani *Epiſt.* 6. *Lit.* 7., & tanti eamdem facit Eccleſia, ut poſt lectionem totius hiſtoriæ ſubdendum crediderit compendium ejuſdem paſſionis *in quadam oratione ad Dominum Jeſum Chriſtum de ſingulis articulis paſſionis ejus, dicende a moriente*, ſi ſit compos mentis, ſenſuum, & loquelæ, *vel ab alio pro eo*, ſi ipſe nempe compos ſenſuum, aut loquelæ minime ſit, vel cum memoria eam minime retineat, eamdem dicere non valeat.

XXXI. Juxta Rubricam, ſi hanc orationem moriens recitet, debet dicere *Libera me*; ſi vero alius pro eo, *Libera famulum tuum N.* Quatenus itaque moriens ipſe recitet, dicet *Libera me*, nec ſuum nomen exprimet; ſi vero alius pro eo recitet, dicet *Libera famulum tuum*, vel *famulam tuam*, & illico ſubjunget morientis nomen. Quod ſi alius pro moriente quidem recitet, ſed ut huic præciſe verba ſuggerat, quæ cum memoria non habeant, etſi compos mentis, & loquelæ ſit, per ſeipſum non poteſt dicere, in hoc caſu dicat *Libera me*, ut hanc vocem infirmus repetere valeat: tunc enim perinde eſt, ac ſi moriens ipſe ſine alterius adjutorio prædictam orationem diceret. Idipſum a Sacerdote præſtandum eſſe crederem, quando infirmus, ſin vocis, mentis compos eſt, & mente eoſdem percurrit articulos, & orationem proſequitur, & ad id aſſerendum præſertim moveor, quod ad expirantis aures ſacerdos alta voce pronunciare jubetur, *Sancta Maria, ora pro me*, etſi alter pro eo pronunciet, ut moriens, ſin voce, ſaltem corde eaſdem percurrat preces. Quod ſi alius prædictam orationem recitet ſuper infirmum mentis minime compotem, aut per vim morbi adeo obtuſum, & hebetatum, ut ad eamdem non credatur advertere, tunc locum habet Rubrica, quæ dici præſcribit *Libera famulum tuum N.* Quæres, cur adhuc in expirationis tempore *ora pro me* a Sacerdote dicendum eſſe Rubrica mandet, non vero in præſenti circumſtantia temporis? Infirmus non in adeo extremis anguſtiis, & neceſſitate poſitus eſt, ſicuti in expirationis momento, & ideo non putavit inquietandum illum eſſe, alta voce ad ejuſdem aures pronunciando prædictam orationem; quæ cum ſidem longa ſit, multum faſtidii illi afferret.

XXXII. Ex quo Rubrica habeat *Vel ab alio pro eo*, Baruffaldus infert, quod opus non eſt, ut ſemper ſit Sacerdos, qui prædictam orationem recitet, & quod etiam alius præter ſacerdotem poteſt illam recitare pro moriente. Equidem to *alius* ſimilem amplitudinem importare videtur, & vero ſimile apparet, quod ea uſa ſit cautulio Rubrica, cui æque erat facile notare *vel a ſacerdote pro eo*, ut cuilibet indicaret liberum, eamdem orationem dicere. Nemo tamen audeat id attentare in præſentia Sacerdotis, cui ex omni capite id muneris incumbit; ſi vero ſacerdos non adſit, prædictam orationem, & preces alias commendationis animæ, non ejus puto rationis, ut in neceſſitatis caſu a quolibet, ſemper ſervato dignitatis ordine, ſuper agonizantem recitari non poſſint. Ad rem forſitan facit disjunctive *Aſſiſtens, ſive ſacerdos*, qua Rituale utitur *tit. de expiratione*; ſed de hac ſuo loco reſervamus dicere, ſolummodo nunc lectorem advertentes, quod in fine præfatæ orationis dici debet *Amen*, quia etſi id Rubrica minime notet, oratio tamen habet clauſulam *Qui cum Patre, & Spiritu Sancto &c.*, quæ Romano more expoſcit *Amen*.

XXXIII. *Dici præterea poſſunt ſequentes pſalmi*, per quæ verba aſſignat Rituale alias preces, ſi forte moriens adhuc in agone perſiſtet, videlicet pſalmos *Confitemini Domino*, *Beati immaculati*, & *Retribue ſervo tuo*, & quatenus non ſufficiant, ſubdit tres alias pias, & utiles morientibus orationes cum tribus *Pater noſter*, & tribus *Ave Maria*. Quarum orationum inſtituendarum occaſionem Baruffaldus Papam quemdam dediſſe refert, qui juſſit Cappellano ſuo, ut dum eum videret in agone poſitum, dominicam orationem pro eodem diceret tribus vicibus, primam in memoriam agoniæ Chriſti, ſecundam in commemorationem omnium paſſionum ejuſdem, & tertiam in honorem ineffabilis charitatis ejuſdem Chriſti. Quod cum Cappellanus præſtitiſſet, ei apparuit continuo Papa, qui dixit, quod poſt primum *Pater noſter* Chriſtus ſudorem ſuum ſanguineum Patri oſtendens, a ſe omnem propulſavit anguſtiam; poſt ſecundum per amaritudinem omnium paſſionum cuncta peccata ſua delevit; & poſt tertium per charitatem cælos reſeravit, & cum gaudio ſe introduxit in gloriam. At cum hæc non ſatis ſolido fundamento nitantur, nos dicere malumus, quod ex earumdem orationum textu ubertim apparet, quam utiliter in tali circumſtantia ſint dici inſtitutæ, quidquid ſit de inſtitutionis occaſione.

XXXIV. Inſertam habent literam *N*, adeoque juxta ſuperius dicta in iiſdem exprimi debet nomen, ipſæque accommodandæ ſunt genere, & numero. In fine ultimæ dici ℟. *Amen*, ſed cum in fine habeat clauſulam *Qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivis, & regnas Deus &c.*, quis dubitabit eſſe dicendum? Idipſum evincit dictio, qua afficitur clauſula prædicta; ejuſdem enim vis eſt, ut virtualiter includat omnia, quæ ſunt de natura ſubjectæ materiæ, ſtylo, aut conſuetudine, & quæ quoquo modo ſubintelligi poſſunt ad perficiendam orationem.

XXXV. Preces commendationis animæ, quæ in Breviario aſſignantur, omnino quidem conveniunt cum iis Ritualis, quæ abſolute, & ſimpliciter dici præſcribuntur, nempe uſque ad orationem *Delicta juventutis* incluſive, non tamen in iis, quæ per modum ſubſidii ponuntur, ſi forte anima diutius in agone laboret. Ubi namque Rituale in ſubſidium vocat evangelium S. Joannis *Sublevatis*, hiſtoriam paſſionis Chriſti, orationem de ſingulis articulis ejuſdem paſſionis, pſalmos, treſque orationes, de quibus modo dicebamus, Breviarium omiſſis omnibus ſolos pſalmos aſſignat, ſed ne poſtea deſint preces, ſi agon diutius perduret, ex pſalmo 118. nedum legendum mandat, quod ex eodem legitur ad Primam, ſcilicet *Beati immaculati*, & *Retribue*, uti Rituale præſtat, ſed totum pſalmum ipſum, prout diſtributus eſt ad Primam, Tertiam, Sextam, & Nonam.

XXXVI. Ex his inferes primo, quod breves litaniæ cum aliis ſequentibus precibus uſque ad prædictam orationem *Delicta* incluſive, ſemper dicendæ ſunt, quoties tempus ſuppetit, nec quod niſi iiſdem præmiſſis, quæ abſolute indicuntur, progrediendum eſt ad alias preces, quæ ſolum in ſubſidium ponuntur. In dicendis vero iis, quæ in ſubſidium vocantur, procedendum erit juxta ordinem Ritualis, quod præcipue in ejuſmodi cauſas eſt inſtitutum, nec immediate tranſeundum erit ad prædictos pſalmos, ad quos dumtaxat Breviarium immediate pertranſit, quia cum ipſum ad ejuſmodi officia inſtitutum non ſit, & in illud invectæ dumtaxat fuerint preces commendationis animæ, ut ad ſacerdotis manus foret pro ingruentis neceſſitatis caſu, rite putatum extitit, in ipſum introducendas dumtaxat eſſe preces, quæ in tali officio abſolute præſtandæ ſunt, non vero, quæ in ſubſidium aſſignantur, ne Breviarii volumen nimis excreſceret in cleri incommodum, cum tamen jam ipſum habeant præfatos pſalmos, qui quodammodo ſupplere queunt, & a Rituali ipſo, licet non immediate, in ſubſidium accitantur. Evidentius id fit, tum ex pinguiori ubertate ſpiritualium fructuum, quos Ritualis preces aptæ ſunt ingenerare, tum ex Rubrica prædictis pſalmis in Rituali præfixa, ſcilicet *Dici præterea poſſunt ſequentes pſalmi*; dictio enim *Præterea* rerum agendarum ſucceſſionem inducit, & ordinem, & quaſi dicit *præter ea*, ſcilicet quæ prius dici aſſignata ſunt.

XXXVII. Secundo, quod ſi recitatis precibus Ritualis, adhuc anxietur anima, confugiendum non erit ad orationes ab Auctoribus excogitatas, quæ a Rituali minus dici probantur, dum tot orationes pro caſu prolixioris agonis inſtituit. Repetendæ igitur erunt illæ ejuſdem Ritualis, vel ſatius continuabitur pſalmus *Beati immaculati* uſque ad finem, incipiendo a *Legem pone* prout ad Tertiam, ubi deſitum fuit. Cum enim Breviarium aſſignet totum prædictum pſalmum in tali circumſtantia dicendum, præferendus eſt utique precibus aliis per Auctores excogitatis, dum illæ Ritualis deficiunt.

XXXVIII. Tertio, quod commendatio animæ ex Breviario legi non debet, niſi in defectu Ritualis, quod in ejuſmodi cauſas præcipue inſtitutum eſt, non vero illud, quod ad aliud inſtitutum deſervit, & prædictas preces inſertas non habet, niſi pro neceſſitatis caſu, ut non ſemel diximus. Ex quocumque autem legatur, quando dicitur totus pſalmus *Beati immaculati*, dici debet, prout per horas eſt diſtributus, videlicet interjecto toties verſu *Gloria Patri*, quoties in Breviario interjectus habetur. Et ſane, ſi Rituale ipſum aſſignans pſalmum *Beati immaculati*, & *Retribue*, nedum notat verſum *Gloria Patri* in fine pſalmi *Retribue*, ſed etiam in fine *Beati immaculati*, etſi talis pſalmus continuandus ſit per ſequentem *Retribue*, cur cum eadem interjectione dici non debebit, qui per reliquas horas eſt diſtributus?

XXXIX. Quarto quod etſi Breviarium abſtineat ab aſſignandis iis, quæ a Rituali tempore expirationis præſtanda dicuntur, non propterea ſacerdos ab iiſdem præſtandis ſe abſtinebit, licet in commendatione animæ utatur Breviario, quod illa omiſiſſe dumtaxat credimus, quia conſiſtunt in ſola pronunciatione, & repetitione aliquorum, quæ nota ſunt lippis, & tonſoribus. Quæ autem ſint, ſequens dabit Decretum.

DECRETUM III. CAP. IN ORDINE CCLXV.

Sixtus quintus in Bulla *Reddituri* 11. Julii 1587. univerſis Chriſtifidelibus, qui SS. Nomen Jeſus, aut Mariæ devote invocaverint, indulgentiam viginti quinque dierum conceſſit; iis vero, qui præfate agere conſueverint, ſi in articulo mortis conſtituti, & ore, vel ſi non potuerint, ſaltem corde ſanctiſſimum nomen Jeſus, & Mariæ invocaverint, inſuper indulgentiam plenariam adjecit. Quas indulgentias Apoſtolica auctoritate confirmat Benedictus XIII. in ſuo Brevi 12. Jan. 1728.

I. *Cum vero tempus expirandi inſtiterit*, proſequitur Rituale, *tunc maxime ab omnibus circumſtantibus, flexis genibus vehementer orationi inſtandum eſt*. Baruffaldus ſerio ponderanda eſſe notat magni momenti verba, quibus rubrica utitur ad hortandos circumſtantes, ut orent pro agonizante in ar-

Digitized by Google

in articulo mortis conſtituto. Ego tamen crederem, prædicta verba tanti non eſſe ponderis, quanti ipſe facit, quoniam to *maxime* inibi indobie ſtat pro *præſertim*, unde ſenſum reddit, quod quidem omni agonis tempore a circumſtantibus pro Infirmo vehementer orationi inſtandum eſt, potiori autem jure in expirationis hora, in qua moriens poſitus eſt in majori neceſſitate. Textum meditare funditus, & ſi vales, oc oobis rationem facito.

II. *Ipſe vero moriens, ſi poteſt, dicat, vel ſi non poteſt, Aſſiſtens, ſive ſacerdos pro eo clara voce pronunciet: Jeſu, Jeſu, Jeſu.* Non eſt aliud nomen ſub cœlo datum, in quo nos oporteat ſalvos fieri, niſi nomen Jeſus, quapropter extremo illo tempore moriens invocure præcipitur nomen Jeſus, & quatenus ipſe illud pronunciare non valeat, aſſiſtens, ſive ſacerdos pro eo ter illud clara voce pronunciare mandatur, idque præſtabit alta voca, etiam ad illius aures clamando, ſi moriens minus in ſenſibus vel extra ſenſus appareat, ut inde, ſi fieri poteſt, quoquo modo expergefactus, udeertere valeat pro circumſtantia temporis ad tale nomen, illudque ſia voce, ſaltem corde invocare, & plenariam indulgentiam conſequi, de qua dicemus illico. *Aſſiſtens, ſive ſacerdos*, & cum dictio *ſive* de ſui natura disjunctiva ſit, videtur, quod aſſiſtens poſſit eſſe alius a ſacerdote. Equidem nos putamus dictionem *ſive* hic ſumi declarative, & expoſitive pro *id eſt*, uti non ſemel accipi ex juribus, & juriſtis late oſtendit Barboſa; ceterum etiam disjunctiva non inficiamur ſumi poſſe, quatenus putamus in defectu ſacerdotis, ad quem, dum præſens eſt, privativa ſpectat, etiam ab aliis morienti tantæ charitatis officium præſtari poſſe & debere.

III. *Quod, & ea, quæ ſequuntur, ad illius aures, ſi videbitur, etiam ſæpius repetat.* En brevem expoſitionem. *Quod*, ſcilicet nomen Jeſus, *& ea quæ ſequuntur*, & hæc quæ ſint, trademus ſtatim, *ad illius aures*, ut ſi fieri poteſt, illa percipiat, *ſi videbitur*, quatenus nempe dubitetur, quod moriens prius illa minime, aut minus perceperit, aut expedire judicetur, *etiam ſæpius repetat*, quare haud ambigimus, quod cuncta debeant morienti ſuggeri, & quod eo *videbitur* ſolummodo cadat ſuper repetitionem, & repetitionis modum. Sunt autem, quæ ſuggerenda mandantur. *In manus tuas, Domine, commendo ſpiritum meum*, quæ dicentem in cruce Chriſtum expiraſſe didicimus Luc. 23. 46. *Domine Jeſu Chriſte, ſuſcipe, ſpiritum meum*, & ſic clamabat Stephanus *Act.* 7. 58., dum a Judæis lapidabatur ad mortem. Denique *Sancta Maria, ora pro me*, & *Maria mater gratiæ, &c.*, per quæ expoſcitur auxilium Deiparæ pro felici tranſitu. Etſi vero hæc pronunciet aſſiſtens, ſive ſacerdos, adhuc rita dicit *ſpiritum meum*, & *me*, quia eadem pronunciat *pro eo*, ſcilicet infirmo, ſeu ejuſdem nomine, & maxime quia eidem prædicta verba ſuggerit, ut ipſe ore, vel corde repetat.

IV. Æquum eſt, nunc brevi expoſitione perſequamur Decretum, quod primo univerſis Chriſtifidelibus, qui, & quoties ſanctiſſimum nomen Jeſus, aut Mariæ devote invocaverint, concedit indulgentiam viginti quinque dierum, per quam ſcilicet delentur tantæ pœnæ purgatorii, quantæ explarentur, ſi perageretur ardua pœnitentia viginti quinque dierum. Hæc indulgentia alligata non eſt nominationi devotæ utriuſque ex dictis ſanctis nominibus collective, ita ut ad ejuſdem acquiſitionem neceſſe ſit utrumque nomen reverenter invocare, ſed disjunctive per dictionem, *aut*, adeoque quodcumque ex iiſdem nominibus invocetur, prædicta acquiritur indulgentia, & quoties reverenter nominetur utrumque, fit acquiſitio duplicis indulgentiæ, ſeu quinquaginta dierum.

V. Ad cujus item acquiſitionem indulgentiæ neceſſe non eſt, utrumque, vel ulterutrum ex dictis nominibus ſoliturie, ac ſeorſim a precibus reverenter invocare, ſed ſive hoc modo nominetur, dicendo v. g. *Jeſus Maria*, aut ſolum *Jeſus* vel *Maria*, ſeu eadem nomina nominentur inter preces, quas fundimus, puta dum ex more ad campanæ pulſum Virginem ſalutamus, aut ejus coronam dicimus, vel penſum canonicum perſolvimus, miſſamve celebramus, vel cuicumque ulteri orationi incumbimus, dummodo reverenter illa invocemus, ſemper lucramur prædictam indulgentiam, quotieſcumque aliquod ex dictis nominibus reverentee invocamus.

VI. Idipſum eſt de indulgentia plenaria pro mortis articulo, quæ acquiritur, ſive aliquod ex dictis nominibus ſeorſim invocetur, ſive inter preces, quas tunc temporis ore, vel corde moriens effunderet, quales ſunt, quæ ad ejuſdem aures a Sacerdote intonantur. Ubi autem indulgentia vigintiquinque dierum non acquiritur, niſi prædicta nomina ore pronuncientur, ad hanc ſufficit, quod ſolo corde invocentur, dummodo tamen ore nominari non valeant, ut aperte indicunt illa Decreti verba: *Et ore, vel ſi non potuerint, ſaltem corde SS. nomen Jeſus, & Mariæ invocaverint.* Ubi itidem ad indulgentiam viginti quinque dierum Decretum utitur particula disjunctiva, *aut*, pro plenaria uſurpat particulam, *&*, quæ cum ſit copulativa, invocationem utriuſque nominis videtur expoſcere. Verum dictionem, *&*, hic ſumi disjunctive pro, *vel*, qualiter non ſemel uſurpari alibi diximus, dubium eſſe non poteſt, cum diſpoſitio ſit ſub eadem oratione concepta, adeoque repetitiva conditionum præcedentis ſermonis, qui cum pro acquiſitione indulgentiæ viginti quinque dierum in conditionem disjunctive expoſcat devotam invocationem nominis Jeſus, vel Mariæ, idipſum conſequenter erit de ſubſequenti diſpoſitione pro indulgentia plenaria in articulo mortis, pro quo Eccleſia ſemper extitit liberalior.

VII. Cujus indulgentiæ ſolum illi fiunt participes, *qui præfata agere conſueverint*, ſcilicet qui in vita aſſueverunt prædicta nomina reverenter invocare; ſufficit autem, quod illa vel ut ſupra ſeorſim, aut intra preces devote nominaverint. Conſuetudo ex actuum repetitione conſurgit, & ideo non ſatis eſt, unus, vel duo præceſſerint, ſed tres ut minimum requiruntur, qui etſi ad præſcribendam conſuetudinem, qualem Decretum non exigit, minime ſufficiant, valent tamen ad eam inducendam ex cap. *Cum Eccleſia, de cauſa poſſeſſ. & prop.* At quid, ſi moriens ejuſmodi non habeat conſuetudinem? Indulgentiam plenariam minime conſequetur, bene vero illam viginti quinque dierum, quæ omnibus præfata nomina ſimpliciter invocantibus reperitur conceſſa, quin ejuſmodi acquiſitioni obeſſe queat conceſſio indulgentiæ plenariæ, quia hæc eſt nova gratia favore morientium, cum quibus liberalius ſemper Eccleſia proceſſit, adeoque ſaltem ſi ea minime acquiratur, non excludit gratiam omnibus communem. Diximus, *Saltem ſi ea minime acquiratur*, quia verbum *adjecit*, quo Decretum utitur indulgentiam plenariam, etiam a prædictæ partialis indulgentiæ acquiſitione morientes non videtur expellere, licet poſtea quia indulgentia plenaria tollit pœnas quaslibet pro peccatis debitas, partialis ſuum effectum ſortiri non valeat.

VIII. Hæc eſt ratio, ob quam indulgentia plenaria, de qua agimus, pluries in eodem articulo acquiri non poteſt; ſecundæ enim nullum pœnæ debitum remanet, quod auferat, cum prima totum abſtulerit. Ceterum ex ſe eſt pluries acquiſibilis, cum ſit conceſſa per propoſitionem indefinitam, quæ æquivalet univerſali; quinimmo cum ejuſdem conceſſio ſit expreſſa ſimilibus verbis, ac forma, quibus expreſſa eſt conceſſio indulgentiæ viginti quinque dierum, & hæc in communi omnium ſententia acquiratur, qualibet vice ut ſupra prædicta nomina fuerint invocata, quidni idipſum erit de prædicta indulgentia plenaria? In ſimilibus ſimiliter docuimus in noſtro libro de ſacro Cingulo *par.* 2. *num.* 479., ubi & eidimus præfatæ iterationi minime obeſſe Decretum *Delata*, quia indulgentiæ in articulo mortis conceſſæ, non comprehenduntur in reſtrictionibus, ſuſpenſionibus, & revocationibus, niſi de iiſdem ſpecialis mentio habeatur. Verum ut ibidem tradidimus *n.* 254., neque ſuperflua ſecunda indulgentia plenaria, ſi nempe poſt primæ acquiſitionem moriens incidat in aliquod peccatum, aut dum primam acquiſivit, tenebatur aliquo peccato veniali; in priori enim caſu ſi moriens peccati pœniteat, deleta culpa per pœnitentiam, deletur per ſecundam indulgentiam & pœna, & in poſteriori cum per primam indulgentiam, etſi ex ſe plenariam, ablata non fuerit pœna tali peccato reſpondens, eam delet ſecunda, ſi idem peccatum poſtmodum retractetur.

IX. Sentiunt complures, indulgentias pro articulo mortis conceſſas, acquiri dumtaxat in vero mortis articulo, non in præſumpto, cum ſcilicet mors adeo vicina eſt infirmo, ut jam ſit illi inevitabilis, & ſtatim futura, ſeu in inſtanti, in quo deſinit homo vivere; idque probant ex mente concedentis, quo præſumitur eſſe, ut infirmus decedat ex hac vita abſque onere luendi pœnas in purgatorio. Verum opus eſt inter indulgentias diſtinguere, & licet id verum ſit de illis, quæ independenter ab alterius applicatione, vel miniſterio acquiruntur, nec ad ſui conſecutionem adnexum habent opus aliquod tamquam conditionem ab ipſo moriente ponendam, cujuſmodi fortaſſe ſunt indulgentiæ numiſmatum, quæ propterea ſuum effectum dumtaxat habent in vero mortis articulo, & in inſtanti, in quo homo eſſe vere deſinit; ſecus tamen eſt de indulgentiis, quas conſequitur moriens dependenter ab alterius applicatione, & miniſterio, vel a conditione alicujus operis ab illo ponendi; hæ enim tunc acquiruntur, quando ei applicantur, vel quando ab eodem moriente ponitur opus præſcriptum, cui Indulgentia eſt adnexa, *alias*, ut bene notat Pellizarius, *conceſſio ſæpe redderetur inanis, cum mors ſæpe ſuperveniat, aut phreneſis, & privatio uſus ſenſuum, quæ impediunt effectus uſus conceſſionis.*

XI. Indulti tamen verba ſunt ſerio ponderanda, nam ſi affecta ſunt particula aliqua reſtrictiva, puta *ſemel* aut *pro vero mortis articulo*, tunc locum non habet doctrina, quam modo docebamus, & gratia non poteſt extendi ultra limites, quibus per conceſſionem eſt affecta. Si vero conceſſa ſit per propoſitionem indefinitam ſine aliquo reſtrictivo, tunc cum beneficium Principis ſit late interpretandum, & ſit diſpoſitio mere favorabilis, & ex qua nemini præjudicium emergit, indulgentia amplianda eſt ad omnes caſus, ad quos conceſſionis verba ſecundum propriam ſignificationem extendi poſſunt, adeoque tam ad verum, quam ad præſumptum mortis articulum, & adhuc ad plures vices in eodem articulo, quemadmodum etiam communiter intelligitur extenſa facultas facta pro mortis articulo abſolvendi infirmum a caſibus, & cenſuris reſervatis. Cum itaque ejuſmodi ſit indulgentia, de qua agimus, acquiri ea poterit in quovis mortis articulo, & pluries in eodem articulo, & utile ejuſdem acquirendæ tempus incipiet, cum juxta æſtimationem prudentis, & periti parochi, atque medicorum judicium quis in tali ſtatu infirmitatis poſitus eſt, ut mortem ſit ſubiturus, & confiteri debet ad recipiendum SS. Viaticum, quia tunc conſtitutus eſt in articulo mortis præſumpto, licet non vero, ſi mors inde minime ſequatur.

XII. Revertentibus vero, unde digreſſi ſumus, ea nobis occurrunt Ritualis verba; *Tunc ubi viget pia conſuetudo, pulſetur campana parochialis Eccleſiæ aliquibus ictibus ad ſignificandum fidelibus in urbe, vel loco, aut extra in ſuburbanis exiſtentibus, inſtantem mortem expirantis ægroti, ut pro eo Deum rogare poſſint.* Ratio, ob quam in ejuſmodi circumſtantia temporis laudatur campanæ pulſatio, ut videlicet *fideles admoniti de inſtanti morte expirantis ægroti, pro eo Deum rogare poſſint.*

ut ſe-

Digitized by Google

ut felicem morienti donet exitum, profectò talis eſt, ut conſuetudini loci haud digna ſit mere committi. Putamus nos itaque, quod ubi conſuetudo non viget, ea ſit inducenda, ad quod fortaſſe rubrica reſpexit, dum eamdem conſuetudinem *piam* nuncupat. Quod eadem rubrica habet de *campana Parochialis Eccleſiæ*, nolo id privative dictum intelligas; ſolum enim rubrica campanæ Eccleſiæ parochialis meminit, quia ad hanc morientes fideles potiori jure ſpectant, ceterum in quacumque Eccleſia tale ſignum dari poſſe non dubitamus, alias quippe, & præcipue in parochialibus frequentioribus, & valde diſſitis, non ſemel fideles ſine tali ſuffragio decederent.

XII. His quæ addamus, minime ſuppetunt, niſi quod reſponſorium *Subvenite*, quod e corpore vix egreſſa anima, a Rituali dici mandatur, dicebatur olim, dum moriens jam jam expiraturus erat, unde S. Guilelmum Aquitaniæ Ducem, & S. Dominicum inclyti Prædicatorum Ordinis inſtitutorem inter cantum prædicti reſponſorii ſpiritum Deo reddidiſſe legimus. Equidem temporis circumſtantiæ quadrat admodum, ſed poſt expirationem latius rejectum fuiſſe credimus, ut noviſſime vitæ momenta tranſigerentur in præfatis precibus, morienti certe utilioribus tum ratione ipſius textus, tum adnexæ indulgentiæ. Quæ præſtanda ſunt animæ de corpore egreſſæ, nunc reliquum foret brevi expoſitione proſequi; ſed quoniam de his jam egimus in cap. 15., idcirco lectorem remittimus, ad ibi tradita, & præſertim in Decr. 1., & 9. ejuſdem capitis.

AD CAPUT II.

De Officio Defunctorum.

APPENDIX.

Decretum PRIMUM Cap. In Ord. 467.

Obſervandum eſt Decretum 22. Januarii 1701. In quo præſcribitur non poſſe recitari in choro Matutinum Defunctorum in die omnium ſanctorum, ſed ſervandæ ſunt Rubricæ. S. R. C. 19. Januarii 1743. *in una Camaldul. Montis Corona*.

DECREDUM SECUNDUM Cap. in Ord. 468.

Privata officii Defunctorum recitatio pro generali illorum commemoratione abſolvi licite poteſt poſt veſpertinas horas feſti omnium ſanctorum, in choro autem juxta Rubricas adimplenda eſt mane die ſecunda Novembris, niſi ut populi commodius, & frequentius illis intereſſe poſſint, contraria jam faceret conſuetudo. S. R. C. 4. Septembris 1745. *in Ratiſponen.*

Bina iſta Decreta ſi ſerio ſubjiciantur examini, non offendunt, ſed magis roborant ea, quæ nos dedimus in tom. 1. cap. 2. Decreto 1.

DECRETUM TERTIUM. Cap. in Ord. 446.

Quod ſtatutum fuit per plura Decreta S. R. C., dicendos nempe eſſe pſalmos *Lauda anima mea* ad veſperas, & *De profundis* ad laudes pro defunctis, exceptis diebus commemorationis omnium Fidelium defunctorum, & depoſitionis defuncti, ſervandum erit etiam in illis Eccleſiis, ubi ex vi regulæ, ſeu ad adimplendas pias defunctorum voluntates totum officium defunctorum ritu duplici recitare tenentur, ut fit diebus ſupra expreſſis. S. R. C. 9. Maii 1739. *in una Camald. Montis Coronæ*.

Etiam in Commemorationibus, quas de ſuis defunctis vi Regulæ, aut Conſtitutionum Regulares agunt ſolemniter, aut Canonicorum, aliorumve Capitula, prædicti pſalmi recitari mandantur, uti & quandocumque totum officium ritu duplici recitatur ad adimplendas pias Defunctorum diſpoſitiones; qua de re jam ubertim egimus in tom. 3. cap. 2. Decreto 10., ubi quæ ſubdimus de eorumdem pſalmorum omiſſione, quoties ita ferunt Rubricæ Breviarii proprii per auctoritatem Apoſtolicam comprobatæ, aut conſuetudinem immemorabilem, adhuc integra ſtare poſſe credimus.

DECRETUM QUARTUM, Cap. in Ord. 470.

In officio defunctorum, quando recitatur integrum, numquam omittendum eſt Invitatorium. Ead. Congr. in eod. Decret. Vide, quæ a nobis fuerunt tradita tom. 3. cap. 2. Decreto 9. num. 5.

Finis Tertii Tomi.

INDEX RERUM

Numeri paginas notant. Ubi habetur &c., deſignat, etiam in ſequentibus paginis de re notata ſermonem haberi.

A

Abſolutio ſolemnis ad tumulum.

ORigo, & etymon. 97
An, & quando ſit in præcepto. *ibid.*
Eam omittere quale peccatum ſit. *ibid.* &c.
Facienda poſt miſſam, & adhuc poſt ſermonem in laudibus defuncti. 98
Ritus progrediendi ad tumulum finita miſſa, ſeu abſolutione. *ibid.*
Quæ præſtanda ſint circa tumulum. *ibid.* &c.
Quid de verſibus prævijs ad orationem, & de ipſa oratione. *ibid.*
Quæ oratio dici debeat. 99
Sub qua concluſione. *ibid.*
Quando exprimendum in ea nomen, & dignitas. *ibid.*
Quid ſacerdos præſtet dicta oratione. 98
Qui Miniſter debeat elevare Pluvialis fimbriam. *ibid.*
Subditur verſus *Requiem*, a quo, & ſub quo numero. *ibid.*
Deinde *Requieſcant*, a quo, & an ſemper in numero plurali, &c. *ib.*
Denique *Anima ejus* cum pſalmo *De profundis*. 99
Id tamen non in die commemorationis omnium defonctorum. *ibid.*
Neque quando ſit abſolutio pro omnibus generatim defunctis. *ibid.*
Quando ſit miſſa de die, an abſolutio debeat fieri ante, vel poſt miſſam. 101
Poſt omnes miſſas de die haberi nequit. *ibid.*
Quid ſi quotidie eſſet indicta. 100. &c.
Quid ſi non quotidie. *ibid.*

Abſolutio minus ſolemnis ad tumulum.

Ritus ejus ſine ſacris Miniſtris, ad quam pergit clerus. 100
Ad quam nec clerus pergit. *ibid.*
Alterius brevis in plano ante altaris medium. *ibid.*
Quid de *Anima ejus*, & *De profundis* in harum fine. *ibid.*
Reprobatur ritus altarius ante Evangelium S. Joannis. *ibid.*
Si fiat miſſa de die, an ante, vel poſt miſſam habenda. *ibid.*
Poſt omnes miſſas de die haberi nequit. 101
Quid de reſponſorio, aut abſolutione quotidie haberi indicta. 100
Quid de indictis non quotidie, ſi incidant in dies impeditas. 101

Abuſus non tolerandi.

Miſſarum de requiem pro morte inimicorum. 32
Item pro vivis, quaſi mortui forent. *ibid.*
Item dum ſacrificatur pro vivis. *ibid.*
Pro mortuis quando ſacrificandi de die. 33
Non pulſandi campanas in agone infirmorum. 57
Non eas pulſandi expirata infirmi anima. 56
Eas pulſandi per omnes Parochias, per quas funus tranſit, & quando. 57
Reſervandi aliquam campanam pro ſolis nobilibus. *ibid.*
Celebrandi pro Defunctis Februa. 59. &c.
Efferendi cibos ſuper ſepulcra. *ibid.*
Eos inferendi menſæ, cui aſſidebant defuncti, &c. *ibid.*
Ornandi cadavera cupreſſu. 60
Immoderate lugentium in funerum aſſociatione. 58
Præficarum. *ibid.*
Conviviorum occaſione funerum, & quorum. *ibid.* &c.
Sepeliendi cadavera ſine lumine, cruce, & Parocho. 66
Deferendi cadavera ad Eccleſiam curru clauſa. 67. &c.
Conquirendi eleemoſynas pro ſepultura pauperum. 40. 92
Membratim concidendi, & coquendi cadavera. 93
Plus exigendi pro ſepeliendis in Eccleſiis Regularium, quam ſecularium. 91. &c.
Sequeſtrandi cadavera. 94
Moleſtandi moribundum ob debita civilia. *ibid.*
Retardandi ſepulturam defunctis. *ibid.*
Deponendi, & abſolvendi ſuper cadaver per viam, aut ad Eccleſiæ januam. 71. &c.
Sepulcrorum ſupra terram, & quorum. 89. &c.
Sepulcrorum ſub altarium bradellis. 90

Agape funeralas.

Quæ fuerint, quæ nunc licitæ, & quæ inhibitæ. 59. &c.

Agnus Dei.

In miſſis Defunctorum quomodo dicendus. 40

Agon Infirmorum.

Agon quid dicat, quid derivata nomina, & quid apud nos ſimpliciter dictus. 101
Proprietas nominis quo pacto ſervetur in agone infirmorum. *ibid.*
Antiquitas uſus commendandi Deo animas in tali circumſtantia temporis. *ibid.*
Media benedictiona Epiſcopali. *ibid.*
Miſſa etiam a non jejunis, & cum iteratione. *ibid.*
Laudabile & eſt, nunc fiat media miſſa, & quando. *ibid.*
Qua mediante miſſa fieri poſſit, & debeat. *ibid.* &c.
Quæ præmitti debeant commendationi animæ. 102
Quæ ſuggerenda, & procuranda in ægroto. *ibid.* &c.
Quæ in vulgari, & quæ in latino ſermone. *ibid.*
Quæ a ſacerdote præſtanda, dum accedit ad hoc charitatis officium. *ibid.* &c.
Quæ ante infirmi cubiculum, & intra. *ibid.*
An ingrediens dicat ſolum *Pax huic domui*, & reliqua clericus. *ib.*
Quæ aſpergat aqua benedicta, & quo ritu. *ibid.*
Cur Crucifixum ægroto oſculandum præbeat. 103
Accenſa candela Litanias recitat cum circumſtantibus, & quas. *ibid.*
Quæ recitet, dum anxiatur anima. *ibid.*
Quid præſtet, ſi nondum anxietur abſolutis Litaniis. *ibid.*
Quas orationes recitet agonis tempore. *ibid.*
Quas, ſi diutius laboret anima. 104. &c.
Cautela in dicenda oratione de articulis paſſionis Chriſti. 105
Quæ ſacerdos recitet, ſi agon adhuc duret. *ibid.*
Quæ ſemper, dum tempus ſuppetit. *ibid.*
Quo ordine ea, quæ in ſubſidium ponuntur. *ibid.*
Quæ, ſi preces deſint. *ibid.*
An ex Breviario, vel Rituali debeat legere. *ibid.*
Quæ præſtare expirationis tempore. *ibid.* &c.

Almutia.

Origo, & antiquus ejus uſus, & quomodo facta ſit inſigne canonicalis dignitatis. 89
Canonicis vivis paratis ejus uſus interdictus, non mortuis. *ibid.*

Altare.

Sepulturæ Sanctorum reſervatum. 90
Sub eo olim condita corpora Epiſcoporum, & ſacerdotum vitæ probitate celebrium. *ibid.*
Modo interdicendum, ſi ſub eo ſint ſepulta cadavera. *ibid.*
Adhuc, ſi ſolum ſub ejus bradella. *ibid.*
An nedum amovenda ſint de ſubter cadavera, ſed etiam lapis ſepulcralis. *ibid.*

Altare privilegiatum.

Antiquitas, quidditas, & virtus. 49
Genus, & qualitas. *ibid.*
Quando deperœat ad reparationem, vel novam conſtructionem altaris, vel Eccleſiæ. 54
Quid de conceſſo Regularium Eccleſiis. *ibid.*
Non communicatur per communicationem privilegiorum. 49. &c.
Non ſuſpenditur anno ſancto. 51
Qua tabella indicandum. *ibid.*
Secum non fert privilegium miſſæ de requiem pro diebus impeditis. 50
Exigit miſſam de requiem, etſi in indulto id expreſſum non ſit. 49
Quando ſufficiat miſſa de die. *ibid.* &c.
An miſſa pro defuncto debeat applicari. 51
Habet adnexam indulgentiam plenariam. 49
An hæc a ſacrificio poſſit dividi. *ibid.*
Num ſacerdos eam dividens, duo ſtipendia recipere valeat. 55. &c.
Obligatus celebrare, & non celebrans in altari privilegiato, an peccet, & ad quid teneatur. 52
Clauſula *volumus autem* non comprehendit altaria privilegiata. 51
Quibus officiat clauſula *ſimilia ad præſens* &c. 50. 51

Altare limitate privilegiatum.

Abſolute privilegiatum pro diebus inimpeditis, non ſuffragatur pro impeditis, etiam poſt emanationem indulti. 50
Septennii, vel alterius limitati temporis initium unde petendum. *ibid.* &c.
Unde conceſſi in renuvationem prioris. 51
Alligatum miſſarum numero, harum celebrationem expoſcit. *ib.* &c.
Quinam defectus non ſuſpendat privilegium. 52. &c.
Excreſcens aliis diebus numerus, non ſupplet pro iis, quibus non impletur. *ibid.* &c.
Quibus impletur, ſuffragatur privilegium. 53
Quæ regula ſervanda pro iis, quibus non impletur. *ibid.*
Numerus utiliter impletur etiam per ſacerdotes adventitios. *ibid.*
Limita, ſi Breve exprimat ſacerdotes Eccleſiæ. *ibid.*
Qui veniat in caſu, ſi Eccleſia ſit Regularis. 53
Qui, ſi ſæcularis. *ibid.*
Qui, ſi Parochialis. 54
Privilegium factum Eccleſiæ ornatæ certo ſacerdotum numero, horum præſentiam, non celebrationem expoſcit. 53
Quæ abſentia privilegium non ſuſpendat. 52. &c.
Privilegio facto ſacerdotibus alicujus Eccleſiæ ſolum gaudent ſacerdotes ejuſdem. 53
Qui ſint ſacerdotes Eccleſiæ. *ibid.* & 54

Amictus.

Eo olim ſacrifici caput tegebant. 66
Mos iſte apud aliquos adhuc eſt reliquus. *ibid.*
Cur ei, & quomodo birretum ſit ſubſtitutum. *ibid.*
Cum eo non ſe ſignat ſacerdos, dum illum induit. 39

Anima ejus &c.

Dicitur in exequiarum ſine præſente corpore, & an in cantu. 78
Etiam in abſolutione ad tumulum. 98. &c.
Non tamen in die commemorationis omnium defunctorum. 99
An dici debeat in abſolutione minus ſolemni. 100
Quoad numerum ſingularem, vel pluralem quibus accommodari debeat. 98

Animæ Defunctorum.

An, & quæ juventur viventium precibus. 1. &c.
Ad quid deſerviant preces fuſæ pro iis, quibus non proſunt. *ibid.*
Cur earum ſuffragio prima dies menſis ſit deſtinata. 23
Cur feriæ ſecundæ. *ibid.*
An diebus dominicis a ſuppliciis ferientur. 54
An item tempore miſſæ. 35
Pro ſeipſis orare queunt, & quomodo. 34
An item pro viventibus. 32
An noſcant orationes noſtras. *ibid.*
Quid de miraculis in viventium favorem actis. *ibid.*
Correpti, qui pro iiſdem nunquam celebrabant. 34

Anniverſaria diei obitus per Teſtatores indicta.

Antiquitas, origo, & cauſæ. 57
Ea computandi rationes variæ. 15. &c.
A ratione delecta quando, necne recedi queat. *ib.* &c.
Quando, quomodo, & a quibus ſint immutanda. 15. 20
In eis poteſt cantari miſſa de requiem, etiam in duplici majori. 17
An item ſine miniſtris ſacris, & ſi ſint temporanea. 18
Quid de anniverſariis in unum reductis. *ibid.*
Quibus diebus cantari non poteſt. 18. 19. 20. 21
Quoties miſſa impeditur, transfertur. 19. 20. 21
Et transfertur cum eodem privilegio. 16. 19 &c.
Transferendane in ſequentes, vel antecedentes dies. 20
Semper transfertur in primam diem non impeditam, & quæ cenſenda ſit talis. *ibid.*
Quæ miſſa dici debeat. 35
Quæ, quando transfertur, & an varianda ſit oratio. 35. &c.
Quando, ubi, & a quibus valeat ſuppleri per miſſam de die. 16. &c.

Miſſæ

Miſſæ privatæ, ſi impediantur, ſupplentur per eas de officio. 18
Anniverſaria quoad diem incidentiæ ignorata, vel ſtatæ diei
nuo addicta.
In ſolis diebus non reſpuentibus miſſas de requiem, poſſunt celebrari. 21
Etiam in duplicibus, & in quibus, quando alias intra annum cele- *ibid.*
brari non poſſunt. *ibid.*
Quando cenſeantur intra annum celebrari non poſſe. 20
Methodus tunc ea celebrandi.
Quando, ubi, & a quibus ſuppleri poſſunt per miſſam privatam de 16. *&c.*
die.

Anniverſaria ad inſtantiam vivorum.

Locum habent in duplici minori. 19
Solum in die obitus, ſufficit unius ex defunctis, ſi petantur pro plu- *ibid.*
ribus. *ibid.*
Impedita non transferuntur cum privilegio. *ibid.*
A quo impediantur.
An in omni Eccleſia, & ad quorumcumque petitionem haberi queant.
ibid.

Antiphonæ finales B. V.

Abripiuntur officio, ad quod ſequitur officium defunctorum. 8
An dicendæ poſt officium defunctorum, vel ſi ſequatur alia hora. *ibid.*

Aqua benedicta.

In tumulis olim recondita. 58
Quem ad effectum adhibeatur defunctis. 58. 68. 80
Ad quem in agone conſtitutis. 102
Ritus aſpergendi feretrum. 76. *&c.*
Aſpergendi tumulum in abſolutione minus ſolemni. 100
Aqua benedicta non ſe ſignat ſacerdos, dum e ſacriſtia celebraturus 39
procedit.

Aurora.

Quid dicat phyſice, & quid moraliter ſumpta. 45
Ut accipienda, ubi phyſice non eſt. *ibid.*

B

Baruffaldus.

Laudatur. 9. *bis*, 66. *bis*, 75. 78. 104. *bis*, 105
Rejicitur. 12. 15. 60. 69. 71. 78. 99. 101. 105

Beati immaculati pſalmus

Dicitur per viam in funere parvulorum. 80
Dicendus ſolum uſque ad *Retribue*. *ibid.*
Niſi pſalmi deſint, & tunc quomodo. *ibid.*
Una cum *Retribue* a Rituali vocatur in ſubſidium pro commenda-
tione animæ. 105
A Breviario pſalmus integer. *ibid.*
Quandonam integer, & quomodo dici debeat. *ibid.*

Benedictio Epiſcopalis.

Quam antiquus ejus uſus erga morientes. 101
Quid particulare habeat in Provincia Mediolanenſi. *ibid.*

Benedictus qui venit.

An in miſſis cantatis defunctorum a choro cantandus ante canonem,
vel poſt conſecrationem. 40
An item, & quando in miſſis vivorum. *ibid.*

Birretum clericale.

Origo, qualitas, & forma. 65
An cum tribus, aut quatuor elevatis angulis eſſe congruat. *ibid.*
A clero ſæculari in proceſſionibus deferendum, & quando. *ibid.*
Quid de clero Regulari. *ibid.*
Cum eo obtegendum caput clerici defuncti. 89

C

Cadaver vix expiratum.

CUM campana dandum eſt ſignum obitus. 55
Dicendum reſponſorium *Subvenite*. *ibid.*
Lavandum in toto corpore, & a quibus. 57
De more honeſte componendum. *ibid.*
Ut compoſitum eſt, ubi, & quando collocandum. *ibid.*
Nunquam deferendum lumine. *ibid.*
In ejuſdem manibus ponenda parva crux, & quid in defectu crucis
ibid. *ibid.*
Interdum aſpergendum aqua benedicta.
Orandum ſuper defunctum, & preces hæ cuique ab hæredibus com-
mitti poſſunt. 58
De nocte ſuper defunctum vigilari debet, & quem ad effectum. *ibid.*
Arbitrio hæredum vel domi retinendum, vel in quavis Eccleſia de-
ponendum. *ibid.*
Ad hanc quomodo deportandum. *ibid.*
Si domi retinetur, quando ad valvas aſportandum. *ibid.*

Cadavera in funere.

De nocte non efferenda. 61
De die ſemper efferri queunt. *ibid.*
Qua hora. *ibid.*
Quibus diebus ſolum ſine cantu, & ſub veſperum. *ibid.*
Quorum mors dubia, retardanda ſepultura. *ibid.*
Quid præſtandum, ſi nihiloſecius abſolvantur exequiæ. 62
In quavis Eccleſia etiam abſque licentia Parochi deponi poſſunt. 58. 64
Non tamen ſine licentia ipſius Eccleſiæ. 64
Niſi fuerit ſua Parochialis. *ibid.*
Non tenentur hæredes ad ea deponenda in Parochiali. 62
Neque arbitrio hæredum ad hanc aſportari poſſunt, dum in funere
deferuntur. *ibid.* 67
Breviori via, & recto tramite ad Eccleſiam deferenda, & quando. 62
Cujus ſit ſtatuere viam, & tempus illa efferendi. 62
Quo uſque ſub Parochi juriſdictionem permaneant. *ibid.*
Non ſepelienda privatim ſine lumine, cruce, & Parocho. 66
Tametſi id caviſſet defunctus. 63. 66
A quibus aſſocianda ad ſepulturam. 63. *&c.*
Quibus cereis. 66
Quorum impenſis. 63. 66
Quid de cadaveribus pauperum. 63. 66. *&c.*
Quid de illis divitum. 63. 67
Non deferenda ad Eccleſiam curru clauſa. 67. *&c.*
Quando, & uſquequo referri queant. *ibid.*
Quæ feruntur, ad Eccleſiam Regularium, non levanda, niſi voca-
to, & expectato Parocho. 69
Limitationes. *ibid.* *&c.*
A quibus deferenda. *ibid.* *&c.*
Aſſocianda a Parocho uſque ad Eccleſiam Regularium. 70. 72
Intus Eccleſiam ubi, & quomodo collocanda. 73
Super illa omittitur *In paradiſum*, ſi ad ſepulturam non deferantur.
77
Item benedictio, & aſperſio, ſi ſepulcrum ſit benedictum. 78
Quomodo veſtienda. 57. 79. 88
Quorum capita redimienda corona. 79
Vide tit. omnes *exequiæ*, & tit. *ſepulturæ*.

Cadavera Parvulorum.

Quomodo veſtienda. 79
Quomodo componenda. *ibid.*
Florum capitibus cur imponenda corona, & quæ. *ibid.*
Aſpergenda aqua benedicta ante elationem. 80
An inter exequias thurificanda, ſi ſepulcrum ſit benedictum. 81
Vide *Exequiæ Parvulorum*, necnon *Sepultura Parvulorum*.

Cadavera ſepulta.

In Eccleſia, in qua ſepeliri non debebant, reſtituenda. 84. 93. 94. 96
Limita, ſi non petantur. 93. 96
Item ſi multo tempore ſint ſepulta, vel eorum oſſa non poſſunt di-
ſcerni. 93
Emolumenta occaſione ſepulturæ percepta ſemper reſtitui debent.
93. 96 93. 96
An deducta quarta. 93
Quid ſi defunctus fecerit legatum Eccleſiæ ſepulturæ. 93
Tradita perpetuæ ſepulturæ, an, quoties, & quomodo alio aſporta-
ri queant. *ibid.*
Tumulata per modum depoſiti, ad ſuam ſepulturam abſque ullius
venia poſſunt transferri. *ibid.*
An, & de cujus licentia exhumari valeant pro recognitione a curia
ſæculari facienda. 94
Humata ſub altarium bradellis, alio transferenda. 90
Item quæ in locis ſupra terram, & quæ. 89. *&c.*

Campanarum ſonus pro defunctis.

Approbatus pro caſu expiratæ animæ. 55
Pro convocando clero ad funus. 56
Et hos ſonos nec Epiſcopus impedire poteſt. *ibid.*
Limita pro peſtis tempore, aut frequentis mortis. *ibid.*
Item ſi campanæ non ſint benedictæ. 55
Servanda conſuetudo pulſandi campanas, dum cadaver defertur ad
ſepulturam. 57
Item quando dicendum eſt officium defunctorum. 56. 57
Hatum pulſationum quæ ſint commoda. 55. 56. 57
An iiſdem juventur defunctorum ſpiritus. 55. 56. *&c.*
An permittenda, & quando conſuetudo pulſandi campanas in ſingu-
lis Parochis, per quas funus tranſit. 57
Pro pulſatione merces poteſt exigi. *ibid.*
A quo ſit taxanda. *ibid.*
Pro pauperibus ſine mercede pulſandæ. 67
Nulla campana pro ſolis nobilibus reſervanda. 57
Pulſatio campanarum occaſione funerum divinitus probata. *ibid.*
An pulſatio commiſſa ſit loci conſuetudini, vel ſolum ejus ritus, &
modus. 55. 56
An, & quo ſono pulſandæ in funere parvulorum. 79

Campanæ benedictæ.

Benedictionis ritus, & antiquitas. 55
Impoſitio nominis, & compatres. *ibid.*
Benedictionis effectus. *ibid.*
Earum uſus deſcripti. *ibid.*
Aptæ præſtare munia omnia non benedictarum. *ibid.*
Non pulſandæ tamen, niſi ad uſus ſacros. 56
Qui ſint iſti uſus. 55. 56
De conſenſu Epiſcopi etiam ad uſus profanos pulſari queunt. 56
Ad quos, & quando. *ibid.*
Sufficit licentia ſemel obtenta, & adhuc conſenſus tacitus. *ibid.*

Campanæ non benedictæ.

Campanarum uſus univerſim deſcripti. 55. 56
Quos non benedictæ ſupplere nequeant. 56
Ad uſus profanos ſolum pulſari poſſunt, & ad quos privative. *ibid.*
Ne pulſentur, Epiſcopus prohibere poteſt, & ad quos uſus. *ibid.*
Immo & eas a turri removeri facere. *ibid.*
Earum pulſatio etiam ad ſacros uſus tolerari poteſt. *ibid.*
An etiam ad diſſipandas grandines. *ibid.*

Campanile.

Quas campanas ab eo Epiſcopus poſſit removeri facere. 56
Uſus apponendi gallum in ſummitate ejuſdem. *ibid.*
Crux in eo nunquam deſiderari debet. *ibid.*

Candela in agone Infirmorum.

Antiquitas, & virtus. 103
Quando accendenda. *ibid.*
An debeat eſſe benedicta. *ibid.*

Candelæ in miſſa ſolemni Defunctorum.

Sex in altari, duæ ſuper credentiam ardere debent, & ex qua cera. 42
Intra miſſam diſtribuantur clero, quando, & an neceſſario. 40
Diſtribui queunt, etſi ad miſſam non ſequatur abſolutio. *ibid.* *&c.*

Ad quæ tempora, & quomodo a clero teneantur accenſæ. 41
Tenendæ ab iis ſolum de choro, non a celebrante, & miniſtris. *ib.*
Non tenendæ, ſi fiat miſſa de die. 108

Cappellanus.

Quotidianus in die commemorationis omnium defunctorum tenetur miſſam offerre pro fundatore. 3
An, & quomodo offerre queat pro omnibus defunctis, etiam accepto ſtipendio. *ibid.*
Quam conformitatem ſervare poſſit, & debeat cum miſſa Eccleſiæ. 42. 43. 44

Cardinales S. R. C.

Quæ Defunctorum miſſa pro ipſis dici debeat. 35. 38
In orationæ exprimi debent nomen, & dignitas. 39

Cenotaphium.

Quidditas, & antiquitas. 97
Multiplicitas, & ornamenta. *ibid.*
An in eo eſſe poſſint mortuorum imagines, vel crucis albæ. *ibid.*
An poni inſignia dignitatis, & artis. *ibid.*
An ad illud ſtatui debeat crux, dum divina fiunt officia. 98

Cerei in funeribus.

Eorum uſus fluxit Ethnicis, & primitivæ uſque Eccleſiæ. 66
Unde inductus. 61. 66
Omnino ſervandus. 66
Licet ſecus caviſſet defunctus. *ibid.*
Obſequium inest, ſuffragium, & myſterium. *ibid.*
Qui cerei adhiberi debeant. *ibid.*
Quantitas, & qualitas in arbitrio hæredum. *ibid.*
Horum expenſis ſubminiſtrandi. *ibid.*
Quid ſi fuerint deſides. *ibid.* &c.
Quid ſi mortuis nihil ſupereſt. 67
Ubi, & quando diſtribuendi, & accendendi. *ibid.*
Papyrus cera circumdatus olim adhibitus. 66
Cujus beneficio cedant, qui apponuntur ſuper ſepulcra. 60
Cujus item qui ardent circa cadaver in aliqua Eccleſia depoſitum. 65
Ad eos comparandos cogi poſſunt hæredes defuncti divitiis. 67
Cruci inaccenſi non alligandi. *ibid.*
Iiſdem ſtipandum corpus in medio Eccleſiæ poſitum, dum divina celebrantur officia. 75
An in funere ſacerdos cereum deferat. 69
Nunquam cadaver deferendum cereis, ſi ſepultum differatur. 78. 79
Etiam ante elationem. 57. 79
Reſidua illorum, qui in ſepeliendis pauperibus gratis impenduntur, prætendi nequeunt nec a Parocho, neque ab Eccleſia tumulante, & quando. 92
Aliqui extincti deferri queunt offerendi, dummodo duplum ardeant. *ibi.*
Juxta conſuetudinem debentur Rectoribus, dum impediti mittunt crucem Eccleſiæ ſuæ. *ibid.*
Reſtituendi percepti ex ſepultura cadaveris, quod ad aliam ſpectabat Eccleſiam. 93
Excepta quarta. *ibid.*
Quid ſi Eccleſia tumulans, ad electionem ſepulturæ induxerit. 95. &c.

Ceroſemrii.

An exequiis intereſſe poſſint, & debeant. 66
Qui ſit eorum locus. 66. 68
Quid præſtent ad defuncti domum. *ibid.*

Chitri.

Quæ ſolemnitas apud Athenienſes. 59
Mos coquendi in ea legumina. *ibid.*

Clericus aquæ benedictæ.

Exequiis intereſſe debet, & in quo habitu. 66
Quem locum teneat. 66. 68
Quid præſtet ad defuncti domum. 68
Ubi ſe ſiſtit ad feretrum. 73. 100
Defert etiam ritualem librum. 75
Quod ſit ejus munus in agone infirmorum. 102

Clerus in funere.

Quem habitum induere debeat. 65
An, & quoties birretum, vel pileum deferre debeat. *ibid.* &c.
A quo vocetur ad funus. 63
An, & quoties aliqui præferri debeant. *ibid.*
Quid ſi hæredes vocent ſolum Parochum. *ibid.*
In qua Eccleſia, & quo ordine debeat convenire. *ibid.* &c.
In cereis nihil avare, aut indigne committat. 66
Quos medio jure poteſt petere. *ibid.*
Pauperes omnino gratis ſepeliat. *ibid.* &c.
Quo ordine, & ritu procedat ad defuncti domum. 64. 66
Quæ ad hanc præſtet. 68. 69
Clerus ſæcularis præcedit Regularem, & quando. 69
Quorum cadavera deferat. *ibid.*
Quid, & qua voce cantat per viam. 70. 71
Quid ad Eccleſiæ januam. 71. 72
Quid Eccleſiam ingreſſus, & quo ſe ritu collocat. 73
Quid præſtat a miſſa uſque ad finem exequiarum. 74. 75.
Quid in parvulorum funere. 80

Collectæ Defunctorum in miſſis vivorum.

Mortuales ſuffragiorum generalium in quibus vivorum miſſis locum habeant. 34. 35
In quibus aliæ. *ibid.*
An etiam in cantatis. 35
Iiſdem penultimus ſemper locus. *ibid.*
Quæ ceſſare faciant alteram a rubricis indictam. 35. 36
An poni poſſit loco tertiæ ad libitum, & quo loco. 35
Quid ſi per additionem mortualis par fiat orationum numerus. 36
Una ſolum ex mortualibus dici poteſt in vivorum miſſis. *ibid.*
Num mortualis præferri queat illi de officio. *ibid.*

Collectæ vivorum.

Excluduntur a miſſis de requiem. 34
Etiam quæ communes ſunt vivis, atque defunctis. *ibid.*
Demandatæ a rubrica omitti nequeunt, ut ſubſtituatur alia defunctorum. 35
Fallit, ſi oratio eſt ad libitum. *ibid.*
Item ſi oratio *Fidelium* indicta ſit a rubricis. 36
Omiſſio demandata a ſuperioribus, dici non poteſt loco tertiæ ad libitum. 35
In collectis neceſſe non eſt diſparem ſervari numerum. *ibid.*
Eſt tamen laudabile. *ibid.*

Color paramentorum altaris.

Sequitur colorem officii. 41
Licet miſſa diſcordet ab officio. 42
Sub miſſa ſolemni color concordet cum miſſa. *ibid.*
In commemoratione omnium Fidelium defunctorum etiam ſub miſſis privatis. *ibid.*
Idipſum eſt de Commemoratione omnium Defunctorum Religionum. *ibid.*
Limita pro miſſa Conventuali de officio. *ibid.*
Pro nigro adhiberi poteſt etiam violaceus. *ibid.*
Conopæum numquam ſit nigrum. *ibid.*
Tolerari poteſt, ſi tabernaculum ſit vacuum. *ibid.*

Color paramentorum miſſæ.

Quatuor olim adhibiti, & quibus attributi. 45
Violacei uſus non erat, niſi in feſto SS. Innocentium, & Dominica *Lætare*. *ibid.*
Quibus poſtea attributus. *ibid.*
Niger cui reſervatus. *ibid.*
Pro eo deſervit & violaceus. *ibid.*
Color auri pro quibus valeat deſervire. 42
Qui color apud gentiles, veterem Eccleſiam, & novam primitivam. *ib.*
Qui in miſſa in aliena eccleſia. 42. 43

Color veſtium Clericalium.

Qualis olim eſſet. 42
Qualis aliarum Chriſti. 42
Quando niger adoptatus. 41. 43
Cujus coloris ſacris veſtibus induendum cadaver clerici. 88

Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum.

Antiquitas. 1
Inſtitutor, & inſtituendi cauſæ. *ibid.*
Non celebranda in die dominico, nec feſtivo. 2
Bene in duplici minori. *ibid.*
Etiam tranſlato. *ibid.*
Etiam in die octavæ. *ibid.* &c.
Si duplex minus occurrens ſit ſolemne, amovendum commemoratione retenta. 3
In quam diem transferendum, vel immutandum. *ibid.*
Si feſtum incidens ſit primæ, vel ſecundæ Claſſis, transfertur commemoratio. 22
Idipſum eſt de duplici majori. *ibid.*
Si ejuſmodi feſta fuerint tranſlata, differtur eorum repoſitio. *ibid.*
Quando impeditur, in quam diem transferenda. 2. &c.
Probatur uſus apponendi ea die cereos ſuper ſepulcra. 60
Cujus beneficio cedant. *ibid.*
Vide *Officium Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum*.

Commemoratio prædicta quoad Miſſas.

Ei debentur miſſæ privatæ, etſi fiat de duplici officium. 2. 3
Idipſum eſt de die, in quam impedita transfertur. *ibid.*
Ei debetur & miſſa principalis, & poſt quam horam. 2. 26
Quoties hora poſſit perverti. 26
Debet dici miſſa altera de officio. 2
Cur etiam de die infra octavam, ſi de ea fiat officium. 24
Miſſæ in ea die ſunt liberæ applicationis. 3
Non ceſſat onus Cappellaniæ quotidianæ, etſi celebretur pro omnibus defunctis. *ibid.*
Quo pacto miſſam, quam eo die Cappellanus facit pro fundatore, poſſit etiam applicare pro defunctis omnibus. *ibid.*
Si eam diem Cappellanus in vacationem aſſumat, poteſt celebrare pro omnibus; etiam accepto ſtipendio. *ibid.*
In Cathedralibus miſſa conventualis eſt obligata omnium ſuffragio. *ibid.*
Secus in non cathedralibus. 4
In his adhuc id ſuffragii demi non debet defunctis. *ibid.*
Quæ miſſa ſit dicenda, ſi ea die non ſacrificetur pro omnibus. *ibid.*
Quid ſi facienda occurrit miſſa dici obitus. *ibid.*

Commemoratio prædicta quoad abſolutionem ad Tumulum.

Ad eam quæ oratio ſit dicenda. 99
An ſub brevi concluſione. *ibid.*
Non additur *Animæ eorum*. *ibid.*
Mos, & ritus, ubi ea die fiunt plures abſolutiones. *ibid.*
Ad ſolam ultimam ſubdendi verſus *Requiem* &c. *ibid.*
Ablegandus uſus aſperſionis & thurificationis per acolythos poſt aſperſionem, & thurificationem factam a Sacerdote. 100

Commemoratio omnium Defunctorum alicujus Religionis.

Laudabiliter inſtituta apud Regulares Ordines. 25
Traducta etiam ad eos, qui foris ſunt. *ibid.*
Etiam ad particularia loca. *ibid.*
Privilegium eam celebrandi in duplici feſto. *ibid.* &c.
An commune ſit etiam aliis Eccleſiis, & quibus. 22
An etiam commemorationibus non addictis ſtatæ diei. *ibid.*
An item, quæ ſolemnes non ſunt. *ibid.*
Secum fert miſſas privatas, & ſolemnem de requiem. *ibid.*
An etiam eas, quæ non applicantur. *ibid.*
Quibus in diebus, & feſtis occurrens, ſit transferenda. *ibid.* &c.
Et transfertur cum privilegio. *ibid.*
Feſta tranſlata, quæ eam impediunt, ulterius protrahenda. *ibid.*
Secus ea, quæ eam non impediunt. *ibid.*

Quæ

Digitized by Google

Quæ miſſa ſit dicenda. *ibid.*
Vide *Officium Commemorationis Defunctorum alicujus Religionis.*

Commendatio Animæ.

Quibus precibus fiebat olim. 108
Quibus nunc. 102. uſque ad. 107
Non ſpectat privative ad Parochum. 102
A quo haberi queat. 102. 104. 105
Indulgentiæ in articulo mortis conceſſæ. 105. 106
Vide *Agon Infirmorum.*

Communio miſſæ antiphona.

Qua occaſione, & cum quo verſu olim dicta. 35
Cur cum verſu *Requiem* ad nos traducta in defunctorum miſſis. *ibid.*

Conditio cadaverum.

Varii olim cadavera condiendi modi, & validi. 57
Nil vetat & nunc oſitari. *ibid.*
Cor Ægyptii feminas nonniſi triduo defunctas ſalinariis traderent condiendas. 62

Confraternitates laicorum.

Ad funera vocari poſſunt, & a quibus. 63
Quo pacto ad Eccleſiam debeant convenire, & ad quam. *ibid. & ſeq.*
Quo ordine incedant ad defuncti domum. 64. 67
Quo ad hanc progrediantur. 68
Quæ admittantur in proceſſione. 69
Quæ poſt funus incedant. *ibid.*
An cantent in proceſſione. *ibid.*
Quid de candelis, quas impendit in ſepeliendis pauperibus, vel ſuis Confratribus. 92

Confraternitatum Eccleſiæ.

Ex privilegio Epiſcopi poſſunt habere ſepulcra. 83
Non propterea in ea ſunt ſepeliendi confratres. *ibid.*
Sed ſolum, qui eorumdem ibi ſepeliri elegerint. 73. 83
Et hi ſepeliri queunt abſque licentia Parochi. 73. 83
An in caſu ad Parochum ſpectet, vel ad Cappellanum intra Eccleſiam officium facere. 83

Convivia.

Ab ethnicis, & priſcis Chriſtianis in funeribus frequentata. 59
Chriſtiani a quibus prohibiti. *ibid.*
Quid de Parochorum prandiis. *ibid.*
Quid de epulis ſuper ſepulcra. 60

Corona.

Imponitur capiti parvuli defuncti, & ex quo debeat eſſe efformata. 79
Item Capiti feminarum virginum, licet fuerint uxoratæ. *ibid.*
Quæ ad rem ſint, & cenſeantur virgines. *ibid.*
An item imponende per vim oppreſſis. *ibid.*
An item viris virginibus. *ibid.*
Corona clericalis reformatur in capite defuncti clerici, ſi in morbo fuerit deperdita. 89

Credentia.

Erigenda ad miſſas ſolemnes defunctorum. 42
Quomodo cooperienda, & quæ ſuper illam collocanda. *ibid.*

Crucifer.

In funeribus cotta ſit indutus. 66
Quem locum teneat in proceſſione. *ibid. &* 68
Quid præſtet ad defuncti domum. 68
Ubi ſe ſiſtit ad feretrum. 73. 75

Crux.

Parva ponenda in defuncti manibus, & quid in defectu crucis. 57
In ſepulcris olim etiam appoſita. 58
In funeribus ſolum elevanda crux Eccleſiæ tumulantis. 65
Illa cathedralis, ſi funeri interſit. *ibid.*
Et ſub ea omnes, etiam Parochus, incedunt. 66
Stante conſuetudine tot cruces elevantur, quot ſunt capitula. 65. 66 & 69
Sub qua cruce incedent, qui ad nullum ſpectant capitulum. 65
Elationis ejuſmodi ſymbola, & antiquitas. 68. 69
Neceſſe non eſt, crux habeat crucifixi imaginem. 69
Cur antiqui non crucifixum, ſed agnum in ejus baſi figuraverint. *ibid.*
An media deferri poſſit, aut debeat inter ceroferarios. 66. 67.
Eidem cerei inacceoſi non alligandi. 67
Crux Eccleſiæ parochialis non intrat Eccleſiam Regularium. 75. 72
Quo pacto in funere deferende. 75
Semper ſiſtitur inter feretrum, & Eccleſiæ fores. 73
Licet cadaver ſit Sacerdotis. 75
Qua reverentia a ſacerdote incenſante, & diacono honoranda. 77.
An tum proceſſionalis, tum altaris majoris. *ibid.*
Crux parvula cur ponenda in manibus defuncti infantis. 79
Cur in funere parvulorum proceſſionalis deferatur ſine haſta. *ibid.*
In exequiis, ſeu abſolutione ad tumulum non ſtatuende ad caput defuncti, aut tumuli, dum divina celebrantur officia. 75. 98
Statuenda ad caput Chriſtiani in loco profano ſepulti. 98
Non tamen ſepulti in cæmeteriis. *ibid.*
Morienti cur detur oſculanda. 103
An crux ſtolæ oſculanda, dum ſacerdos ſacras veſtes induit, miſſam de requiem facturus. 39

Cuppreſſus.

Uſus, fabulæ, & ſymbola. 42
Non apponendæ in altari in agenda mortuorum. *ibid.*
Multo minus in diebus coloris violacei. *ibid.*
Cum iiſdem non ornanda cadavera, nec fores defuncti. 60

D

Damnati ad mortem.

An, & quando poſſint ſibi eligere ſepulturam. 97
Non poſſunt ſepeliri, niſi de conſenſu Principis. *ibid.*
Quando non ſepeliendi in Eccleſia magnæ devotionis. *ibid.*
Uxor non ſequitur ſepulturam viri tumulati in ſepulcro damnatorum ad mortem. 86

De profundis Pſalmus.

Quando omittendus in precibus officii defunctorum. 10. 11
Dicitur ſuper cadaver ad defuncti domum, & quo pacto. 68
An dici queat in funere. 71
Dicendus in exequiarum fine, ubi & an cum repetitione antiphonæ, & oratione. 78
Dicitur etiam in abſolutione ad tumulum. 99
Non tamen in die commemorationis omnium defunctorum. *ibid.*
An etiam in abſolutione minus ſolemni. 100

Dies iræ ſequentia.

Varia ejus nomina, & origo. 30
Cur etſi lætitiæ canticum, dicatur in miſſis de requiem. *ibid. &c.*
In quibus dicenda. 31
Quis ejus auctor. *ibid.*

Dies obitus, ſeu depoſitionis.

Ab Eccleſia confunduntur, ſed ille dicit diem mortis, hic ſepulturæ. 11
Antiquitas moris non ſepeliendi cadavera, niſi prævia miſſa. *ibid.*
Et quidem quavis hora, etiam a pranſis, & cum iteratione ſacrificii. *ibid.*
Qui ex his oſibus fuerint proſcripti. *ibid.*
A Benedicto XIII. renovata opinio de iteratione, ſed non ſequenda. *ibid.*
Celebranda in eo miſſa non obſtante contraria conſuetudine. *ibid.*
Licet incidat commemoratio omnium fidelium defunctorum. 34
Etiam in diebus dominicis, & feſtivis. 12
Etiam in diebus privilegiatis. *ibid.*
Etiam in duplicibus primæ claſſis. *ibid.*
Limita pro ſolemnioribus primæ claſſis, & adhuc inferioris ritus, & quæ ſint hæc feſta. 13
Ex his quod occurrens eam reſpuit, non reſpuit tranſlatum. 18
Unica ſolum miſſa ſolemnis haberi poteſt, etiam reſpectu diverſi capituli. 13
An una in Eccleſia depoſiti, altera ſepulturæ. *ibid.*
An in Eccleſia a qua, ſi non habeatur in ad quam. *ibid.*
Præſens debet eſſe cadaver in Eccleſia. *ibid.*
Quando cenſeatur præſens. *ibid.*
Miſſæ privatæ neque in duplicibus haberi queunt. 15
Quando, ubi, & a quibus loco ſolemnis privata ſubſtitui queat. 16. 17
Quæ in eo miſſa dici debeat. 35
Quando omitti poſſit. 74
An haberi valeat cum organo, & muſica. *ibid.*
An pro pauperibus Parochi unam gratis debeant facere. *ibid. &c.*
Vide *Officium dicti obitus.*

Dies obitus abſente corpore.

Haberi in eo poteſt miſſa ſolemnis de requiem in duplicibus, & in quibus. 13. 14
Quando, ubi, & a quibus loco ſolemnis privata ſubrogari valeat. 17
Vide *Officium abſente corpore.*

Dies quaſi obitus.

Quis ſit. 14
Fieri in eo poteſt miſſa cantata de requiem etiam in duplicibus, & quibus. *ibid.*
Quibus in Eccleſiis. *ibid.*
Utile ad eam habendam ſpatium. *ibid.*
Quando privata ſubſtitui valeat. 17
Quæ miſſa dici debeat. 32
Vide *Officium Anniverſarii.*

Dies 3. 7. 30.

Solemnitas, & myſteria. 15
Eos computandi ratio. *ibid. &c.*
Solemnis miſſa, & cantata de requiem haberi poteſt, & quando. 18
Impedita transfertur cum eadem ſolemnitate. 56
In quam diem. 17
Si ſolemniter, vel in cantu haberi nequeat, locum non habet ſubſtitutio privatæ. 17
Quid in caſu præſtandum. *ibid.*
Quæ miſſa dicenda. 31
Etſi transferatur, non variatur oratio, nec miſſa. 30
Vide *Officium Anniverſarii.*

E

Eccleſia Cathedralis.

Matutinum commemorationis omnium defunctorum pridie veſperi licite recitat. 4. 5
Commune ei non eſt privilegium miſſarum de requiem in commemoratione Sacerdotum ejuſdem. 22
De ejuſdem obligatione ad cantandas, & applicandas miſſas conventuales 25. uſque ad 27
Quid de miſſa commemorationis omnium fidelium defunctorum. 4
Quid de miſſa, & commemoratione ſuffragiorum generalium. 23. uſque ad 25
Si funeri intereſt, ejus crux privative defertur, & quando. 65
Canonicis defunctis rite imponit almutias, non vivis paratis. 89
Ubi ſepeliendi, ſi ſine electione ſepulturæ decedant. 85
Ei non debetur pileus Epiſcopi in alia Eccleſia tumulati. 89
Quando tumulet exteros, & an poſſit rejicere eos de diœceſi, qui in ea ſepeliri elegerunt. 94

Ad

Ad parentandum in ea non poteſt cogere hæredes, qui parentant in Eccleſia ſepulturæ. 97
Neque aliquid quodvis onus iiſdem imponere. 63

Eccleſia Parochialis.

Arbitrio hæredum cadavera in ea deponi poſſunt. 58
Etiam licentia non obtenta. ibid.
Ob depoſitionem nihil illi debetur ultra jura parochialia. 66. 67
Non tamen cogere poteſt hæredes ad ea deponenda. 62
Neque ad ſe aſportari facere, dum in funere deferuntur. ib. &c.
An, & quoties in ea conventus cleri fieri debeat pro funere. 63. 64
Suum parochianum ad ſepulturam tenetur admittere. 68
Quid de exteris morientibus intra ejuſdem limites. ibid.
De jure communi jus ſepulturæ eidem competit. 82. 83
Sed in decedentibus ſine electione ſepulturæ cedit juri ſepulcri majorum. 83
Pro pueris debet habere ſeparata ſepulcra. 81
Pro clericis itidem. 85
Nullum jus ſepulturæ ei convenit ſuper Regularem, licet novitium, extra clauſtra defunctum. 86
Quid de novitiis decedentibus ex morbo, quo ante ingreſſum tenebantur. 87
Quid de famulis, & commenſalibus Regularium. ibid.
Quid de morientibus cum habitu alicujus Religionis. ibid. & ſeq.
Ad eam privative non ſpectat pulſatio campanæ pro parochiano in agone conſtituto. 106. 107
Non tenetur lege miſſæ conventualis. 26
An in die obitus, vel anniverſarii, aliiſque poſſit miſſam privatam facere loco ſolemnis. 42. 43
Quid de anniverſariis ad inſtantiam vivorum. 19
Vide *Parochus*, & *Sepultura*.

Eccleſiaſtici.

Eorum habitus in proceſſionibus. 65
Laicorum cadavera non deferunt. 72
Congruit, deferant illa Eccleſiaſticorum, & quomodo. ibid.
Ubi ſepeliendi. 85
Ubi Regulares. 86
Eorum cadavera quomodo veſtienda, & exponenda. 88. 89
Super eadem exponi poſſunt inſignia dignitatis. 89
Quorum olim ſub altari tumulata. 90
Exhumari non poſſunt ſine licentia ſacræ Congregationis pro recognitione facienda a curia ſæculari. 94
Quam pœnam incurrant inducantes ad electionem ſepulturæ. 95. 96
Sacerdotum corpora in medio Eccleſiæ quomodo collocanda. 98

Eleemoſyna funerum.

Nulla debetur Eccleſiæ, in qua cadaver deponitur. 65
Parocho debetur duplum illa, quæ datur ſimplicibus ſacerdotibus. 63
Quorum impenſis danda eſt. ibid. & 66
Qua clerus debeat eſſe contentus. 66
An hanc medio jure poſſit exigere. ibid.
Gratis ſepeliendi pauperes. ibid. &c.
Pro ſepeliendis pauperibus non conquirenda. 67
Conſueta non defraudandus Parochus ob ſepulturam in Eccleſia confraternitatum. 82
An & quando eidem debeatur ob ſepulturam Regularium, vel novitiorum. 92
Pro ſepeliendis in Eccleſiis Regularium major non poteſt exigi. 87
Quid pro ſepeliendis forenſibus, aut extraneis. ibid.

Epiſcopus.

Miſſis de requiem quando præmittat preces præparatorias. 39
Quando officii defunctorum orationem dominicam. 8
Stando preces defunctorum recitat. 9
An, & quando impedire valeat campanarum pulſationem occaſione funerum. 56
Poteſt permittere pulſationem campanarum benedictarum ad profanos uſus, & ad quos. ibid.
Item non benedictarum ad uſus ſacros, & ad quos. ibid.
Campanas non benedictas a turri poteſt removeri facere. ibid.
Debet impedire præficas. 58
Poteſt, ſed quam caute licentiam dare debeat efferendi Cadavera de nocte. 61
Poteſt cogere hæredes ad dandam clero conſuetam funeris eleemoſynam. 66
Item ad comparanda lumina & quos. 67
Non poteſt impedire hebdomadarium Regularium cum cotta, & ſtola in funere, quod ad eorum eccleſiam ducitur. 68
Pro regularibus ſtatuit tempus expectandi Parochum. 70
Quod tempus debet ſtatuere. ibid.
Intus Eccleſiam Regularium non poteſt ſuper cadaver officium facere. 75
Neque aliquid ſtatuere contra privilegia eorumdem. 73
Poteſt dare licentiam confraternitatibus conſtruendi ſepulcra. 83
Quin a Parochis impediri valeat. 73. 84
Salvis juribus parochialibus. 56
Prohibere debet, ne plus exigatur pro ſepeliendis in Eccleſiis Regularium. 92
Sine ejus venia non poſſunt alio aſportari cadavera perpetuæ ſepulturæ tradita. 93
Bene vero tumulata per modum depoſiti. ibid.
Non poteſt dare licentiam exhumandi cadaver perſonæ eccleſiaſticæ pro recognitione facienda a curia ſæculari. 94
Bene vero perſonæ non eccleſiaſticæ. ibid.
Et hanc dat etiam pro ſepultis in Eccleſiis Regularium. 93
Nequit arreſtare cadaver ob debita erga menſam. 94
Neque impedire ornamenta ſepulcrorum, & qualia. ibid.
Benedictio ejuſdem erga morientes. 108

Epiſcopus moriens, & mortuus.

Moriens bis facit profeſſionem fidei. 102
In officio, quod ſuper eo mortuo Mendicantes recitant, quæ particulariter præſtare debeant. 10
Quæ defunctorum miſſa pro eodem fieri debeat. 38
In collectis exprimendum ejuſdem nomen & dignitas. 39
Olim tumulabatur ſub altari. 90
Tumulandus ubi ſepeliri elegit. 85
In Cathedrali ſi decedat ſine electione ſepulturæ. ibid.
Pileus debetur Eccleſiæ tumulanti, non cathedrali. 89
Quibus in veſtibus olim humaretur. 88

Epiſtola, & Evangelium.

In his differt unaquæque ex defunctorum miſſis. 31
Olim continenti ſerie ſub una miſſa referebantur omnes. ibid.
Illæ unius miſſæ dici poſſunt in alia. ibid.
Conſultius dicuntur ſub reſpectiva miſſa. ibid.

Exequiæ abſolute.

Etymon, & nomina. 55
In quo conſiſtunt. ibid.
Preces ſemper dici debent, ſed non alternatim, & in cantu. 63
Quomodo diſtingui debeant. 28
Novæ non inducendæ. 71
Ad quem ſpectent intus Eccleſias regulares. ibid.

Exequiarum ordo.

Conveniendi in Eccleſiam pro funere. 71
Procedendi ad defuncti domum. 65
Diſtribuendi, & accendendi cereos, & intortitia. 67
Quoad præſtanda ad defuncti domum. 68
Progrediendi ad Eccleſiam. ibid. &c.
Quoad preces itineris. 70
Quoad ſervanda ad Eccleſiæ ingreſſum. 71. 72. 73
Intus eccleſiam. 73
Cantandi officium, & miſſam defunctorum præſente corpore. 74
Quoad præſtanda a miſſa ad exequiarum finem. ibid. uſque ad 78

Exequiarum tempus.

Cadavera de nocte efferebantur olim, nunc de die efferenda. 61
De licentia Ordinarii etiam de nocte efferri poſſunt. ibid.
De die quacumque hora, ſed quæ ſit congruentior. ibid.
Decens eſt, non neceſſe, exequiæ conſocientur cum miſſa. 60
Abſolute quacumque omnino die haberi queunt, & quomodo, & quando. ibid. &c.
Quid de triduo mortis Chriſti. ibid.
Quid de die Paſchatis, & Dominica Nativitatis. 61
Quid de diebus, quibus miſſa ſolemnis de requiem haberi nequit. ib.
Quid de tempore, quo in Eccleſia expoſitum eſt SS. Sacramentum. ib.
Quid de tempore divinorum officiorum. 74
Quid quoties dubium eſſe poteſt ſuper veram mortem. 61
Parochi eſt ſtatuere exequiarum tempus. 62
In eo ſtatuendo cujus rationem habere debeat. ibid.

Exequiarum via.

Decernenda a Parocho. 62
Licet funus ducatur ad Eccleſiam Regularem. ibid.
Brevior via debet eligi, rectuſque trames. ibid.
Fallit in funeribus numeroſis, & vicinarum ædium. ibid.
Item ſi recta ſit ſecreta ab hominum commercio, aut a proſtitutis feminis inhabitata. ibid.
Item ſi impedita, vel lutuoſa. ibid.
Breviori viæ quomodo inſiſtendum. ibid.
Quoties proximus viam præſtare teneatur. ibid.
Quid quoties funus ducitur ad alteram Parochialem. ibid.

Exequiæ quoad intereſſentes.

Hæredum eſt, ad funus vocare, quos, & quot voluerint. 63
Neque per Synodos cogi poſſunt ad vocandos aliquos, vel præferendos, aut nonniſi juxta aliorum numerum. ibid.
Parochum vocare tenentur, etſi a defuncto excluſus. ibid.
De congruo etiam aliquos alios, de neceſſitate ſolum Parochum. ibid.
Et ex his unum ſolum, ubi per duos adminiſtratur Parochiam. ibid.
Si ab hæredibus non fiat electio devolvitur ad Parochum. ibid.
Et hic poteſt vocare quos, & quot voluerit. ibid.
In quantitate tamen rationem habeat ad facultatem defuncti. ibid.
In qualitate præferat Eccleſiæ ſuæ clericos. ibid.
Vocari non poſſunt clerici contemptis ſacerdotibus. ibid.
Nec debent acciri, qui cantum, aut cæremonias non callent. ibid.
Regulares impediri non poſſunt a Parochis, ne funus aſſocient, ad quamvis Eccleſiam ducatur. 65
Primi invitari debent, dum funus ad eorum Eccleſiam ducitur. 67

Exequiæ quoad intereſſentium conventum.

Vocati ad funus, in Eccleſia Parochiali, vel alia convenire debent juxta loci conſuetudinem. 63
Commodior eſt conventus in Eccleſia ædibus defuncti viciniori, & quoties præferendus. 64
Quid ſi reſiſtat conſuetudo. ibid.
Conveniendum nullo modo eſt ad defuncti domum. ibid.
Ne quidem ab ultroneis. ibid.
Quoties cadaver depoſitum eſt in aliqua Eccleſia, in hac Regulares convenire debent. ibid.
An item clerus ſæcularis, & laicorum Confraternitates. ibid.
Quid ſi Parochus inde deberet ſolus accedere ad eccleſiam depoſiti. ibid.
Congruus conveniendi ordo. ibid.

Exequiæ Parvulorum.

Quibus adhibendæ. 79
Non pulſandæ campanæ, vel quo ſono. ibid.
Cur crux ſine haſta deferatur. ibid.
Cur in his uſus ſit ſtolæ albæ. 80
Cur pſalmorum laudes, cum *Gloria Patri*. 79
Cur in tono feſtivo, & *Laudate pueri* in ſecundo tono. ibid. &c.
Proceſſionis ordo ad elevandum cadaver. 80
Laudate pueri dicitur ante elationem in domo, non per viam. ibid.
Quando elevandum cadaver. ibid.
Per viam dicitur *Beati immaculati*, & an integre. ibid.
Si tempus ſupereſt, etiam *Laudate Dominum de cælis*, & quo ritu. ibid.
Cur pſalmi viæ dicantur ſine antiphona. ibid.
Quid ſi de pſalmis ſupereſt, aut pſalmi deſint. ibid.
Quæ agenda ad Eccleſiæ januam, & ſtatim intus. ibid.
Quando cadaver ad ſepulturam deferendum, & quæ interim cantanda. ib.
An hæc cantanda, etſi ad ſepulturam non deferatur. ibid.
Quæ dicenda ad ſepulturam cadavere delato. ibid.
An to *parvuli* in orationibus mutari poſſit, & quando. ibid.
An benedicendus tumulus, ſi fuerit benedictus. 81

Ao

An omittenda benedictio, & thurificatio corporis, ſi tumulus fuerit benedictus. *ibid.*
An oſculandæ ſacerdotis manus, dum ei aliquid porrigitur. *ibid.*
Quo ritu facienda aſperſio, & thurificatio. *ibid.*
Deinde recedens clerus cantat *Benedicite* ante altare majus. *ibid. &c.*

Exultabunt antiphona.

Cantanda, dum elevatur cadaver. 71
Quando, ubi, & a quibus repetenda, &c. *ibid.*

F

Fabæ, atque legumina.

A Gentilibus cenſitæ convenire mortuis, & quidam ab earum eſu prohibiti. 59
A fidelibus coctæ, & diſtributæ pro mortuis. *ibid.*

Famuli Regularium.

Quibus ſepultura, & ſacramenta dari valeant inconſultis Parochis. 87
Volentes ſepeliri in Regulari habitu, ubi ſepeliendi. *ibid.*

Februa.

Ab ethnicis celebrata, quando, & quomodo. 59. *&c.*
Etiam a fidelibus, ſed his poſtea prohibita. *ibid.*

Feminæ.

Earum cadavera a quibus lavanda. 57
Defunctæ in partu quando tumulandæ. 61
Prohibendæ ab aſſociatione funeris de nocte. *ibid.*
Ab immoderatis lacrymis ſuper mortem ſuorum. 58
Multo magis arcendæ præficæ. *ibid.*
Earum ſepulcra a maritis reſperſa floribus. 60
Qui earum locus in funere. 69
An cantent in exequiis. *ibid.*
Quæ cadavera deferre valeant. 70
Quæ redimiendæ virginali corona. 72

Flores.

Non apponuntur in altari, ad quod fit miſſa ſolemnis de requiem. 42
Nec eorum loco ſubſtitui poſſunt cupreſſus, vel imagines mortuorum. *ibid.*
Olim ſuper tumulos diſperſi. 60
Corona florum, quorum cadavera ornanda. 72

Funalia ad miſſas ſolemnes.

Poſt præfationem deferuntur ad altare, & quamdiu permaneant in miſſis Sanctorum. 40
Quamdiu in miſſis jejuniorum, & defunctorum. *ibid.*
Quamdiu in vigiliis Nativitatis, & Pentecoſtes, in Cœna Domini, & quatuor temporibus Pentecoſtes. *ibid.*

Funus.

Cur ſic dictæ defunctorum exequiæ. 55
Ejus preces a quibus, quo cantu, & ritu cantandæ. 68. 70. 71
Quando incipiendæ, & quo ordine ſubrogandæ. 70. 71
Pſalmi abſolvuntur cum *Dona ei*. 71
Poſſunt omitti, & dividi, quæ, & quando. 72
Neceſſe non eſt, ſemper dicantur alternatim. 63
In quot partes diſtinguendæ. 70

G

Gavantus.

Laudatur. 1. 2. 6. 7. 8. 9. 15. 17. 18. 32. 34. 35. 38. 39. 40. 41. 42. 47. 48. 55. 75. 77. 80. 97. 99. 101. 103. 104
Rejicitur. 3. 5. 7. 10. 15. 20. 26. 29. 31. 38. 39. 40. 42. 44. 48. 60. 74. 99.
Exponitur ejuſdem mens. 2. 9. 12. 42
Non probatur ejuſdem ratio. 6. 34. 40

Graduale, & Tractus.

Eorum ſymbola, & cur ſemper dicantur in defunctorum miſſis. 30
Cur etiam in iis vivorum a Septuageſima ad Paſcha. *ibid.*

Guyetus.

Laudatur. 1. 2. 6. 7. 8. 9. 16. 17. 23. 26. 27. 31. 35. 40
Rejicitur. 2. 4. 6. 8. 10. 12. 15. 20. 23. 29. 31. 35. 39. 60

H

Hæres Defuncti.

Vide *Cadavera in funere*, *Cerei*, *Eccleſia*, *Exequiæ*, *Parochus*, *Sepultura &c.*

Hora utilis ad faciendas privatas miſſas.

In aurora incipit, & in meridie deſinit. 44. 45
Non phyſice, ſed moraliter ſumptis, & quæ ſit utriuſque latitudo moralis. 45
Ubi accipiendæ, ubi phyſice non habentur. *ibid.*
An peccet, & quo peccato, qui anticipiat, vel poſtponit. *ibid.*
Quando quis excuſetur a peccato ob anticipationem, vel poſtpoſitionem. *ibid.*
Quid ſi incidat aliqua ſolemnitas. 44

Horas cantandi miſſas de Requiem.

Quæ in die commemorationis omnium fidelium defunctorum. 3. 25
Quæ in eadem die in ruralibus Eccleſiis, aut ubi alia eſt conſuetudo. 26
Quæ in commemoratione defunctorum alicujus Religionis. *ibid.*
Quæ in ſuffragiis generalibus. 27. 44
Quæ in miſſis non ſolemnibus. 44

Quæ in diebus 3. 7. 30. & anniverſario, vel ſolemnibus. 26
Quid de miſſa depoſitionis, & præſente corpore. *ibid.*

I

Incenſum, & Incenſatio.

A Gentilibus, & lege veteri in novam profluxit, & qualis in eo olim cultus, qualis nunc. 46
Cur ab eo aliquando fideles abſtinuerint, & ejus myſteria. *ibid.*
Cur ejus uſus parcior in defunctorum miſſis. 40. 47
Qualis eſſe debeat in miſſis ſolemnibus, & in cantatis ſine ſacris Miniſtris. 47
An haberi valeat in miſſis dierum ſolemnium ſine cantu, & in miſſa Parochiali. *ibid.*
Num omitti valeat, ubi quotidie celebratur cum ſacris miniſtris. *ibid.*
Benedicendum thus, quo adolentur defuncti. 76
Ritus incenſandi feretrum. *ibid. &c.*
Quid de incenſatione tumuli inter exequias adultorum, & parvulorum. 77. *&c.* 81
In exequiis adultorum miniſtratur ſine oſculis, puerorum cum oſculis. 76. 81
Ritus incenſandi tumulum, ad quem non pergit clerus. 100. *&c.*

Inclinatio, & Reverentia.

Quæ, & quibus crucibus debeat fieri a ſacerdote, & diacono aſpergente feretrum. 76. *&c.*
Quid ſi tranſiri contingat ante altare SS. Sacramenti. 77

Indulgentia pro invocantibus nomina Jeſus, & Mariæ.

Pro qualibet vice indulgentia 25. dierum, & quomodo. 106
Plenaria in mortis articulo, & an plures in eodem articulo acquiſibilis. *ibid.*
An ſolum in vero, vel etiam præſumpto, & quid ſi prædicta non conſueverint invocari. 105. 106

Indulgentiæ pro defunctis.

Quæ ſuſpendantur anno ſancto. 52
An neceſſe ſit applicari opus injunctum, cui applicatur indulgentia. *ibid.*
Conceſſæ altari quando pereant. 54
Quando conceſſæ eccleſiæ. *ibid.*
An transferantur ad novam Eccleſiam, & quid ſi mutetur titulus. *ibid.*
Conceſſæ ad tempus quando incipiant, & expirent. 50. *&c.*
Quæ conceſſæ ſint eligentibus ſepeliri in habitu Regulari, vel in mendicantium Eccleſiis. 88
Nonnullæ indulgentiarum clauſulæ exponuntur. 50. 51. 52. 53

Introitus miſſæ de Requiem.

In quo differat ab eo miſſarum de vivis, & cur cum duobus pſalmi verſiculis. 39

L

Legatum.

Factum Eccleſiæ ſepulturæ, cui debeatur, ſi defunctus ſepeliatur in Eccleſia, in qua de jure ſepeliri non debebat. 93
An legato de miſſa cantata ſatisfiat per miſſam in cantu ſine ſacris miniſtris. 34

Libera me reſponſorium.

Quando dicendum in officio defunctorum. 9
Ritus illud dicendi ad feretrum. 76

Litaniæ.

Super morientem recitandæ, quæ, & quomodo. 103
In iis invocandus S. Joſeph. *ibid.*
Cur præ aliis invocent *SS. Abel, & Abraham, & omnem chorum Juſtorum*. *ibid.*

Lucernæ.

Iiſdem ethnici honorarunt ſepulcra. 66
In quo ſenſu a chriſtianis in cœmeteriis accendi vetitæ, & qua cauſa Reliquiis Sanctorum adhibitæ. *ibid.*

M

Mariæ mater gratiæ.

Cum *Tu me ab hoſte protege* ſuggeri debet infirmo expirationis tempore. 106
Item ante commendationem animæ, quidquid Rituale notet. 102

Matutinum diei.

Præmitti debet miſſæ, & an ſub peccato, & quali. 44
Conventuali miſſæ etiam reſpectivæ horæ, & quid de privatis. *ibid.*

Meratus.

Laudatur. 1. 13. 17. 21. 40. 42. 44. 75
Rejicitur. 7. 12. 20. 32. 40. 41. 42. 45. 75. 99. 100
Decreta aliter legit. 2. 3. 14. 16. 18. 21. 44

Memento mortuorum, & vivorum.

Quomodo olim fieret, & an in eo exprimenda nomina illorum, pro quibus oratur. 34
In quibus differant. *ibid.*
Cur unum præcat, aliud ſequatur conſecrationem. *ibid.*
Pro quibus in iiſdem orari valeat. 34
Cur in eo mortuorum inclinetur caput ad *Per eumdem*. *ibid.*
Num locus aptus ſit ad applicandam miſſam. 44

Meridies.

Cujus ſpatium dicat phyſice, & moraliter ſumpta. 45
Quid de media nocte. ibid.

Miſſa in aliena Eccleſia.

Debet eſſe conformis feſto Eccleſiæ, ſi cum ſolemnitate agatur. 42. 43
Si ſine ſolemnitate, laudabile eſt, ſit conformis, neceſſe quoad colorem, & quando. 43
Si non fiat conformis, de quo fieri debeat, & poſſit, & ſub quo colore. ibid.
Quid ſi Eccleſiæ officium ſit ſemiduplex. ibid.
An, & quoties poſſit, aut debeat ſervari uniformitas in credo, & orationum numero. ibid.
Quid ſi ſolum color ſit difformis, aut orationum numerus. ibid.
Quid de Eccleſiis monialium. 44
Quid de Eccleſiis non choralibus. ibid.

Miſſæ Conventualis.

Quæ ſit, & cur ſic dicta. 23
Non ceſſat ejus onus ob miſſam defunctorum. 25. 26
Quæ Eccleſiæ ad eam teneantur. 26
Quæ non tenentur, adhuc eam facere poſſunt. ibid.
Quin teneantur eam applicare. ibid.
Ad eam applicandam tenentur ſolæ Cathedrales, & Collegiatæ. 27
An ad applicandam omnes, ſi plures eadem die occurrant. ibid.
Quid ſi manſionarii eam faciant. ibid.
Quid ſi tenues ſunt diſtributiones. ibid.
Diſpenſatæ quoad applicationem, non diſpenſantur quoad celebrationem. ibid.
Diſpenſatæ ad dies feſtivos, non tenentur ad applicationem nonniſi unius, ſi duplex occurrat. ibid.
Pro quibus applicari debeat in die commemorationis omnium defunctorum. 4
Pro quibus in ſuffragiis generalibus. 23

Miſſa Parochialis.

Diebus feſtivis, etiam quoad ſolum præceptum audiendi miſſam applicanda pro populo. 27
Ab omnibus indiſtinctim Parochis, Vicariis, aliiſque quibuſcumque. ib.
Etiam ab œconomis, & Vicariis Parochialium aliis adnexarum. ibid.
Quid ſi hi congruam non habeant. ibid.
Etiam a Parochis, qui quaſi vivont ex miſſarum eleemoſynis. 28
Qua conditione hi diſpenſari poſſint ab Epiſcopis. ibid.
Quando loco feſtivæ poſſit applicari ferialis. ibid.
Eſt privata, ſi celebratur ſine cantu. ibid.
An nihilominus gaudere valeat thuris honore. 47

Miſſa ſuffragiorum generalium pro prima die menſis non impedita.

Quibus in menſibus indicta. 23
Quando ultra eam cantanda alia de officio. ibid.
Quæ miſſa ſit dicenda. 32
Quæ in non collegiatis. 23
Quæ, ſi eam non applicent. 24
In ea de die non fit commemoratio de defunctis. ibid.
Fit, ſi alia miſſa de defunctis non cantetur. ibid.
Per quam orationem. ibid.
Miſſæ privatæ erunt de officio. 23
Limita, ſi item applicentur. 24
An in privatis de die fit facienda commemoratio de defunctis. ibid.
Si fiat, ſubſtituenda loco alterius de rubrica. ibid.
Quo loco donanda. 39 &c.
Quibus in miſſis ſolum locum habeat. ibid.

Miſſa ſuffragiorum generalium in feriis ſecundis.

In quibus miſſa principalis poſſit eſſe de defunctis. 24
Quoties loco miſſæ debeat ſubſtitui commemoratio. ibid.
An tunc commemoratio ſit in præcepto. ibid.
Quæ tempora immunia ſint e lege miſſæ, & commemorationis. 25
De quo eſſe debeant miſſæ privatæ. 23. 24. 25. &c.
An in privatis facienda commemoratio de defunctis. 23
Quæ miſſa dici debeat. 35

Miſſæ de Requiem.

Quot ſint, & in quibus differant. 30
Unaquæque dicenda, prout ſignat ipſarum titulus. 31
Fallit in Papis, & Epiſcopis, non in aliis. ibid.
Demptis tamen orationibus unaquæque pro quolibet dici poteſt. ibid.
Quæ in iiſdem privatis, & ſolemnibus debent omitti. 39. &c.
Dici non poſſunt, quando ſacrificatur pro vivis. 32
Neque pro morte inimicorum. ibid.
Nec pro vivis, quaſi mortui forent. ibid.
Privatæ, ſi incidant in dies impeditas, ſupplendæ per eas de die. 29. 33
Limita, ſi ſint impoſitæ de requiem, & quando cenſeantur ſic impoſitæ. 33
Utiliores ſunt defunctis, quam illæ vivorum. ibid.
Utiliores item ſunt ſolemnes cantatis, & cantatæ privatis. 34
Legato de miſſa Cantata ſatisfit per miſſam in cantu ſine ſacris miniſtris. ibid.
Miſſis de requiem favorabiliores ſunt Rubricæ, quam votivis. 33
An miſſa ſolemnis de requiem præſente corpore poſſit haberi in die obitus, & ſepulturæ, ſi ſint diverſi, & feſtum duplex incidat. 13
An, & in quibus duplicibus fieri poſſit miſſa ſolemnis de requiem abſente corpore. 14. 15
In quibus duplicibus cantari queat miſſa de requiem, cum primum habetur notitia de obitu alicujus. 14. &c.
Quod ſpatium dicat dictio *Cum primum*. ibid.

Miſſæ de Requiem cantandæ ex diſpoſitione Teſtatorum.

Si ſint affixæ ſtatæ diei fieri poſſunt in duplici uſque majori, & quando. 20
Impeditæ transferuntur, in quas dies, & an cum privilegio. ibid.
Quando, ubi, & a quibus ſuppleri poſſint per miſſam privatam. 16. &c.
Quid de miſſis privatis. 18. 29. 32
Si non ſint addictæ ſtatæ diei, in ſolis diebus non reſpuentibus miſſas de requiem poſſunt haberi. 21

Quando etiam in duplicibus, & in quibus. ibid.

Miſſæ privatæ Defunctorum.

In quo diſcriminentur a publicis, ſolemnibus, & cantatis. 28
Quando ſint dici inhibitæ. 28. 29
Impeditæ, celebrandæ de die cum applicatione ſacrificii. 29. 33
Limitationes. 30
Ubi, & quando ſubrogari valeant loco ſolemnium, & cantatarum. 16

Miſſæ S. Gregorii.

Origo, & vis earumdem. 48
Reprobatæ, & quæ. ibid.
Circumſtantiæ, quibus debent, & non debent conſociari. ibid.

Miſſæ de Patre Æterno, & de xv. Auxiliatoribus.
Reprobatæ, & quæ. 48
Nomina xv. Auxiliatorum. ibid.

Miſſæ de Requiem quoad orationes.
Quæ dicendæ ſub una, & quæ ſub pluribus orationibus. 35. 36
In quibus dicuntur plures, ad minus tres dici debeat, & poſſunt etiam dici quinque, aut ſeptem. 37
Supra tres par etiam poteſt ſervari numerus. ibid.
Quid ſi pauciores, aut plures exigerentur. ibid.
Quæ orationes dici debeant in miſſa ſuffragiorum generalium. ibid.
Quæ in triduis pro defunctis omnibus. ibid.
In quotidianis prima eſſe debet de eo, pro quo celebratur. ibid. &c.
Secunda eſt ad libitum, & an pro ea dici poſſit oratio imperata, aut *Fidelium*. 38
Tertia, ſeu ultima, ſi dicantur plures trium, ſemper eſt *Fidelium*. ibid.
Aliæ, quæ ultra tres adduntur, ſunt ad libitum, & quæ dici poſſint. ib.
Quoties dicuntur plures trium, quæ regulæ in iiſdem recitandis. ibid.
Abuſus maximus eorum, qui dicunt tres orationes miſſæ quotidianæ, pro quocumque celebrent. 37. &c.
Quæ oratio dici debeat in miſſis unam tantum exigentibus. 38
An in oratione diei quaſi obitus debeat omitti *dies tertius*, ſi forte incidat. ibid.
Quoties exprimi debeant nomen, & dignitas. 39
Quid ſi exprimendi ſint numero plures, & diverſæ dignitatis. ibid.

Muſica, & Organum.

In exequiis adultorum neque in Miſſa in uſum eſſe poſſunt. 74
Inter exequias parvulorum adhiberi queunt. 79. 80

N

Non intres antiphona exequiarum.
Semper invariata dicitur, etſi plures ſint defuncti, aut ſit mulier. 31. 76
An ſimul cum aliis precibus dici valeat ſuper acervum cadaverum, ſi inter iſta adſint aliqua infidelium. ibid.

O

Oblationes occaſione funerum.

Epularum. 59. 60
Leguminum. 59
Frumenti adulcati, cocti, & benedicti. ibid.
Panis benedicti. ibid.
Panis communis, & pecuniæ. ibid.
Cereorum inaccenſorum. 92

Octavæ Defunctorum.

Inhibitæ, & quæ. 46
Inhibitionis myſteria quomodo exponenda. ibid.
Quilibet dierum numerus ex religione haberi poteſt pro defunctis, & quando. 14. 46

Offertorium Defunctorum.

Offertoriorum origo. 31
Dicebatur olim in miſſa agoniæ. ibid.
Quomodo intelligenda ea verba *Ne abſorbeat eas tartarus &c.* ibid.
Cur præ cæteris ad nos cum verſu devenerit. ibid.

Officium Defunctorum.

Antiquitas, & inſtitutio. 4
In quibus, & cur detruncatum. ibid.
Myſteria eorum, quibus eſt, & non eſt compactum. ibid.
Quando dicendum ritu duplici. 8
Quando cum uno, vel triplici nocturno. 9
An cum duobus dici queat. ibid.
Quando dicitur cum uno, ſub quo dicendum. ibid.
Quando cum invitatorio, & reſponſorio *Libera*. ibid.
Cum precibus ſemper flexis genibus. ibid.
Et precibus accommodatis numero eorum, pro quibus dicitur. ibid.
Quando omittendi ſint precum pſalmi. 10. &c.
In fine pſalmorum omnium dicitur *Requiem* in plurali numero. 9
Etiam omnia alia dicenda ſunt, ut jacent, abſque variatione ulla. ibid.
Quæ oratio ſit dicenda, & quando in ea exprimi debent nomen, & dignitas. 10. 38. 39
Quoties ſub brevi, vel longiori concluſione. 10
An, & quoties ſubdendi verſus *Requiem*, & *Requieſcant*. 9. &c.
Quando dicuntur, dicantur in plurali numero. ibid.
Quibus diebus publice dici poteſt. 6. &c.

Officium Anniverſarii, dierum 3. 7. 30. & ſolemnium.

Dicitur ritu duplici. 8
Cum tribus nocturnis, & ſi cum uno, quali. 9
Semper cum invitatorio. ibid.
Cum reſponſorio *Libera*, ſi novem legantur lectiones. ibid.
Cum pſalmis precum. 10. &c.
Quoties officium cenſendum ſolemniter fieri. 36
Vide *Officium Defunctorum*.

Officium

Digitized by Google

Officium Depoſitionis abſente corpore.

Si fiat ſolemniter, dicitur ritu duplici. 9
Dicuntur tres nocturni, & ſi unus, primus. *ibid.*
Cum invitatorio. *ibid.*
Cum *Libera*, ſi ſit novem lectionum. *ibid.*
Dicitur pſalmus precum. 10
Poteſt in eo haberi miſſa ſolemnis de requiem in duplicibus, & in quibus. 13

Officium præſente corpore.

Dici poteſt diebus omnibus, quibus haberi poteſt miſſa ſolemnis de requiem præſente corpore. 7
Dicitur ritu duplici. 8
Cum triplici nocturno, & ſi cum uno, quali. 9. 74
Semper cum invitatorio. 9
Quid de reſponſorio *Libera*. *ibid.*
Cum precibus flexis genibus. *ibid.*
Sine pſalmis precum. 10. &c.
An cum veſperis. 74
Quid de officio, quod Regulares recitant ſuper cadaver Epiſcopi. 11
Quid de eo, quod faciunt privatim ſuper cadaver confratrum. 12
Quando cadaver cenſeatur præſens. 13

Officium Commemorationis Defunctorum alicujus Religionis.

Quid præſtandum, ſi occurrat cum alio officio defunctorum. 5. 6
Poſt quam horam dici poſſit. 4. 5
An, & quoties dicendum cum pſalmis precum. 10. &c.
Vide *Officium Anniverſarii*.

Officium commemorationis omnium Fidelium Defunctorum.

Eſt de rigoroſo præcepto. 5
Privatim dici poteſt pridie. 4
In chathedralibus etiam in choro. *ibid.* &c.
Ubivis, ſi adſit conſuetudo. 5
Item in Eccleſiis non choralibus. *ibid.*
Item anticipato matutino dici. *ibid.*
Item ut frequentior habeatur concurſus populi. *ibid.*
Idipſum eſt de poſtpoſitione. 9
Dicendum cum invitatorio. *ibid.*
Cum tribus nocturnis. *ibid.*
Ritu duplici. *ibid.*
Cum reſponſorio *Libera*. *ibid.*
Cum precibus flexis genibus. *ibid.*
Sine pſalmis precum. 10. &c.
Cum una oratione ſub longiori concluſione. 109
Quid ſi ſequatur miſſa, aut abſolutio. 10
An, & quoties ſubdendi verſus *Requiem*, & *Requieſcant*. *ibid.*
Reliqua dicuntur, ut jacent. *ibid.*
Si occurrat cum menſili, utrumque recitandum. 6
Quid ſi cum eo diei obitus, vel anniverſarii. 5. 6

Officium Defunctorum pro ſuffragiis generalibus.

Quoties olim recitaretur & nunc ſit recitandum. 5. 6
In choro, & extra chorum nunc quæ obligatio. 6. 7. 8
Impeditis omnibus diebus menſis, non recitandum in ſemiduplicibus. 6
Neque in adventu, & quadrageſima, impeditis feriis ſecundis. *ibid.*
Iſtat menſe Novembri. 5
Etiam menſibus, quibus dictum eſt ex devotione, vel legato. *ibid.*
Quid ſi eadem die ſimul occurrat aliud recitandum. *ibid.* &c.
Recitandum prima die menſis, etſi pridie fuerit recitatum. 6
Quando dicendæ primæ ejuſdem veſperæ. *ibid.*
Dicitur cum uno nocturno, & quali. 9
Sub tribus orationibus cum concluſione brevi. 10

Oratio Dominica.

Non præmittenda, nec poſtponenda defunctorum officio. 8
Neque ſi hoc dicatur junctim cum officio canonico. *ibid.*
Quid ſi ſequatur hora canonica. *ibid.*

Orationes mortuales.

Quot, & quæ in miſſis & officio defunctorum dici debeant. 9. 10. 36
Quæ ad abſolutionem ad tumulum. 109
Quoties cum integra, aut brevi concluſione. 10. 99
Quando ſine ſequentibus verſibus *Requiem*, & *Requieſcant*. 10. 98. 99
In quibus exprimi debent nomen, & dignitas. 39
Quid præſtandum, ſi exprimendi ſint numero plures, & diverſæ dignitatis. 39
Oratio *Deus qui nos Patrem* pro quibus, & quando a ſacerdote dici valeat. 38
Quid præſtare debeat ſacerdos celebrans pro Patre ſacerdote. *ibid.*

Ordinatio Presbyterorum.

Ejus forma quodnam diſcrimen indicet miſſam vivorum inter & mortuorum. 41
In ejuſdem fine injunctæ miſſæ quando dicendæ, & an applicatio ſit præcepta. *ibid.*

P

Parentatio.

Quæ ſit, & unde dicta. 97
Quomodo parentarent Ethnici. 98
An hæredes, qui parentant in Eccleſia ſepulturæ, etiam cogi poſſint ad parentandum in parochiali. 97

Parochus.

Vide *Abuſus non tolerandi*, *Agon Infirmorum*, *Beati immaculati*, *Cadaver vix expiratum*, *Cadavera in funere*, *Cadavera Parvulorum*, *Cadavera ſepulta*, *Cerei in funeribus*, *Clerus in funere*, *Commendatio Animæ*, *Confraternitates laicorum*, *Confraternitatum Eccleſia*, *Crux*, *Dies obitus*, *Dies obitus abſente corpore*, *Dies 3. 7. 30.* *Eccleſia Parochialis*, *Eccleſiaſtici*, *Eleemoſyna funerum*, *Exequiarum* titulos omnes, *Famuli Regularium*, *Feminæ*, *Funalia*, *Funus*, *Incenſum*, *Inclinatio*, *Maria mater gratiæ*, *Miſſa Parochialis*, *Non intres*, *Officium præſente*, & *abſente corpore*, *Parentatio*, *Quarta*, *Regulares*, *Sepulturæ* titulos omnes, *Stola*, *Subvenite*, *Sepulcrum majorum*.

Parochus a quo.

Ejus eſt decernere tempus, & viam funeris uſque ad ædes Regularum. 62
Uſque ad has durat illius juriſdictio. *ibid.*
Quid ſi Eccleſia Regularis ſit item parochialis. *ibid.*
Parochi a quo juriſdictio ceſſat ad limites parochiæ ad quam. *ibid.*
Parochone a quo, vel ad quem debeatur dextera. *ibid.*
Cujus ſit decernere viam. *ibid.*

Preces præparatoriæ ad miſſam.

Præmittendæ miſſis de requiem. 39
In fine pſalmorum dicitur *Gloria Patri*. *ibid.*
Antiphonæ quando duplicandæ. *ibid.*
Idipſum eſt de precibus in gratiarum actionem. *ibid.*

Præficæ, ſeu Piagnoni.

Omnino arcendi ab aſſociatione funeris. 58
Etiam impoſitione pœnarum, & quarum. *ibid.*

Q

Quarta.

Deducenda Quarta ex iis emolumentis, quæ reſtituuntur a Parocho, qui ſepelivit cadaver in Eccleſia, in qua non debebat ſepelire. 93
An item ſi ipſe ad electionem ſepulturæ in ſua eccleſia infirmum induxerit. 96

R

Regulares quoad funera.

Arbitrio hæredum vocari poſſunt. 63
Quin a Parochis impediri valeant, ad quamvis Eccleſiam ducatur funus. 64
Etſi ultra Parochum ſoli Regulares accerſeantur. 63
Synodi, quæ Regulares non vocari ſtatuunt, niſi aliis prius vocatis, aut juxta horum dumtaxat numerum, nullæ ſunt. *ibid.*
Quoties cadaver eſt depoſitum in aliqua Eccleſia, in hac convenire debent. 64
Ubi, quando domi retinetur. *ibid.*
Quo ordine ad Eccleſiam convenire debeant. *ibid.*
Quo in habitu, & an cum pileo, vel birreto. 65

Regulares quoad cadavera in eorum Eccleſiis ſepelienda.

An, & quale jus habeant intereſſendi funeri. 40
An cogi poſſint ad intereſſendum. 67
An præferendi, ſi alii invitentur ultra parochum. *ibid.*
Quem locum teneant in proceſſione. 68
Quem Parochus Regularis, ſi Eccleſia eſt parochialis. *ibid.*
Si Parochialis non eſt, hebdomadarius intereſſe poteſt in ſtola, & cotta, & quo loco. *ibid.*
Nec domi, nec in via ullum exercere poteſt juriſdictionis actum. 68. 71
Quando cadaver tranſeat in juriſdictionem Regularium. 67. 71
Quid ſi Regularis Eccleſia ſit parochialis. 67
Non poſſunt levare cadaver niſi vocato, & expectato parocho. 69
Quando ſine parocho illud levare valeant. 70
Et tunc tamquam parochi domi, & per viam poſſunt omnia agere. *ib.*
Eorum privative eſt, intra Eccleſiam officium facere. 71. 72
Ad Eccleſiæ januam rite cadaver aſpergunt. 73
Uſque ad Eccleſiæ fores tenetur parochus funerale ducere. 71. 72
Et quidem ipſis Regularibus non aſſociantibus. 67
Cujus ſit ſtatuere viam, & tempus funeris. 61. 62

Regulares quoad ad ſuffragia confratrum.

Quid quoad Miſſam de requiem in die quaſi obitus ſuorum Confratrum. 14
Quid quoad officium privatum ſuper Cadavera eorumdem. 12. &c.
Quid quoad commemorationem omnium defunctarum ordinis. 21. &c.
An teneantur ad ſuffragia per conſtitutiones præſcripta. 23

Regulares Eccleſiis.

Non premuntur onere miſſarum conventualium. 26
Poſſunt tamen eas legere. *ibid.*
Quam Miſſam debeant facere celebrantes in iiſdem Eccleſiis. 41. 43. 44
A jure communi gaudeant jure ſepulturæ & relate ad exteros. 82. &c.
Pro ſepultura in iiſdem Eccleſiis non poteſt Parochus majorem eleemoſynam exigere. 98. 99
In iis nemo ſepeliri poteſt, niſi de conſenſu Regularium. 99
Niſi ſit parochialis propria. *ibid.*

S

Sacerdos.

Facturus Miſſam de Requiem, dum ſacras veſtes induit, harum cruces oſculatur. 39
Præmittit itidem preces præparatorias cum verſu *Gloria Patri*, & an ritu duplici. *ibid.*
Sumptioni amictus præmittebat olim ſignum crucis, nunc nullum faciendum. *ibid.*
An ſe munire debeat ſigno crucis, dum e ſacriſtia celebraturus procedit. *ibid.*
Ejus cadaver quibus veſtibus induendum. 88
An in ejus manibus poni poſſit Calix, & ad pedes Miſſale. *ibid.*
Cur induatus veſtibus coloris violacei. *ibid.*
Quomodo in medio Eccleſiæ collocandum. 73
Quando ſepeliri queat in habitu Regulari. 89
In quo ſepulcro ſepeliendum. 85
An Miſſam defunctorum faciens, candelam accenſam teneat ad Evangelium. 40. 41
An exequias perficiens, candelam deferat. 75

Sepul-

Sepultura Eccleſiaſtica,

Quæ ſit. 82
Utilis vivis, atque defunctis. *ibid.* & 91
Utilior in locis magis religioſis. 85
Adhuc utilior in monaſteriis Regularium. 88
De jure communi quæ Eccleſiæ gaudeant jure ſepulturæ. 82. &c.
Quæ ex privilegio, & an hoc ab Epiſcopo fieri poſſit. 82

Sepultura quoad inducentes.

Inducentes electionem ſepulturæ in Eccleſia propria, excommunicationem incurrunt. 95
Ad quam electionem, an etiam in Eccleſia aliena, & ſi non ſequatur effectus. *ibid.*
Soli tamen clerici ſæculares, vel Regulares, non laici. *ibid.*
Quid de inducentibus per alium, aut ex pacto mutuo, aut inducentibus ad electionem in Eccleſia, in qua de jure ſepeliri debebat. *ibid.*
An peccent inducentes ad electionem revocabilem. *ibid.*
An item qui ad irrevocabilem in aliorum Eccleſia, *ibid.*
An ut ſupra incurrant, qui non inducunt auſu temerario. *ibid.*
Idipſum eſt de inducentibus ad firmandam electionem, vel ad electionem pro aliis. *ibid.* &c.

Sepultura quoad inductos.

Sepeliri non poſſunt in Eccleſia electa, & carent jure eligendi ſepulturam. 95
In qua Eccleſia ſepellendi. *ibid.*
Quid ſi præcedenter elegiſſent ſepulturam, aut Eccleſia, ad quam de jure ſpectat, ipſa induxerit. *ibid.* &c.
Quid ſi inductio facta ſit ab uno ſolum ex clericis, vel a Prælato. 96
Si Eccleſia inducens tumulet, ad quid teneatur, & intra quod tempus. *ib.*
Quid ſi non reſtituat. *ibid.*

Sepultura intra Eccleſiam.

Urbes olim, & Eccleſiæ ſepulcris liberæ. 90. 91
Modo quilibet intra urbes, & Eccleſias ſepeliri poteſt. 91
Et quidem non obſtante ſtatuto communitatis. 90
Quid præſtandum, ſi inde exhalet fœtor, aut eveniat humiditas. 91
Qui ſepeliri queunt extra mœnia. *ibid.*
Nemo ſepeliri poteſt ſub altare, aut ejus bradella. *ibid.*
Quantum a bradella ſepulcra diſtare debeant. *ibid.*
An poſſint conſtrui in choro, & intra cappellas. *ibid.*
Cadavera ſub bradellis ſepulta debent alio aſportari, & ſub qua pœna. *ib.*
An item tumbæ debeant obturari. *ibid.*
Sepulcra ſuper terram nulla nunc in Eccleſiis, vel Cœmeteriis poſſunt conſtrui. 89
Immo antiqua debent amoveri, & quæ. 89. 90
Eccleſia nec poteſt fodi, vel excavari pro ſepultura, & in quo ſenſu. 89
Sepulcra intra Eccleſiam qualiter debeant conſtrui. *ibid.*
Quid de eorum ornamentis. *ibid.*
Quid de vexillis in ſignum alicujus victoriæ appoſitis. *ibid.*

Sepultura uxorum.

Uxor adhuc vivente viro poteſt ſibi ſepulturam eligere. 86
Præmoriens ſine electione, tumulanda in ſepultura, quam ſibi maritus elegit, ſin, in ſepulcro majorum mariti. *ibid.*
Vidua effecta, adhuc in ſepulcro mariti, & ultimi, ſi plures habuit. *ib.*
Plures caſus alii, in quibus ſequitur, & non ſequitur ſepulcrum mariti. *ibid.*
Maritus nunquam ſequitur ſepulturam uxoris. *ibid.*

Sepultura Regularium.

Qui, quoties, & ubi poſſint ſibi ſepulturam eligere. 86
Ubi ſepeliendi, qui moriuntur extra clauſtra. *ibid.*
Si transferuntur ad monaſterium, transferuntur inconſultis Parochis, *ibid.*
Et his ne quidem quarta debetur. 87
Cum ſepeliuntur extra monaſterium, an, & quæ Religio teneatur ad expenſas funeris. *ibid.*
In quo habitu exponendi, & deferendi in funere. 88

Sepultura Novitiorum.

Morientes etiam intra clauſtra, eligere ſibi poſſunt ſepulturam. 87
Si non eligant, ubi tumulandi. *ibid.*
Quid ſi erant in propoſito redeundi ad ſæculum. *ibid.*
Morientes extra clauſtra, transferendi ad Monaſterium inconſultis Parochis, & his ne quidem ſoluta quarta. *ibid.*
Limita quoad quartam, ſi ex morbo, decedant, quo tenebantur ante ingreſſum Religionis. *ibid.*
Qui teneantur ad expenſas, dum ſepeliuntur extra clauſtra. *ibid.*

Sepultura morientium in habitu Regulari.

De licentia Regularium quique licitum eſt mori, & ſepeliri in habitu Regulari. 87
Quo pacto hi debeant ad ſepulturam aſportari. *ibid.* &c.
Quo in loco debeant ſepeliri. 88
An poſſint ſæculares clerici in habitu regulari exponi, & ad ſepulturam deferri. 88. 89
Indulgentiæ conceſſæ eligentibus ut ſupra ſepeliri. 88

Sepultura famulorum Regularium.

Ampliſſima Regularium privilegia ſuper eorum ſepultura in propriis Eccleſiis in quo a Tridentino moderata. 87
Quid ſi eligant ſepeliri in Regulari habitu. *ibid.*

Sepultura Clericorum.

Sit ſeparata ab ea laicorum. 85
Immo alia ſacerdotum, alia clericorum inferiorum ordinum. *ibid.*
Sepeliendi, ubi, & cum quibus elegerint ſepeliri. *ibid.*
Si ſine electione decedant, in ſepulcro majorum. 85
Limita, ubi eſt conſuetudo in contrarium. *ibid.*
Ubi Epiſcopi, Cardinales, Parochi & Canonici &c. *ibid.*
Quo in habitu eorum cadavera exponi, & deferri debeant. 88. &c.
An in Sacerdotum manibus poni poſſit calix, & ad pedes miſſale. *ib.*
Quid de inſignibus dignitatis. 88. 89
Qui, & quoties in regulari habitu. 89

Sepultura Parvulorum.

Qui cenſeantur tales ad effectum conſequendi feſtivas exequias. 79
Eorumdem exequiæ non niſi privatim habendæ in triduo mortis Chriſti. 81
Et tunc in iiſdem eſt liberum omittere, vel dicere *Gloria Patri*. *ib.*
Quæ dies ab iiſdem exequiis ſint immunes. *ibid.*
Sepeliri debent in ſepulcris ſeparatis. *ibid.*
Limita, ſi pater pro ipſis alibi ſepulturam eligat. 82. 84
Aut ſi habeant ſepulcrum majorum. 82. 83. 84.
Ubi ſint ſepeliendi, qui nutricibus traduntur alendi. 85
Vide *Sepultura Impuberum*.

Sepultura Impuberum.

Uſquedum mares, & feminæ ſint, & cenſeantur tales. 83
Carent electione ſepulturæ. *ibid.*
Pro ipſis Pater poteſt ſepulturam eligere. 82. 83.
An etiam id poſſint mater, affines, atque tutores. 83
An id poſſint etiam pro filiis adoptivis, arrogatis, ac ſpuriis. *ibid.*
An ſolum ſtante conſuetudine. 82. 83. 84
An nedum in vita, ſed etiam poſt mortem filiorum. 83
In defectu electionis, quo in loco tumulandi. 84
Ubi quorum pater extra ſepulcrum majorum ſibi ſepulturam elegit, aut novum ſepulcrum pro familia conſtruxit. *ibid.*
Ubi filii emancipati, renunciantes hæreditati paternæ, exhæredati, præteriti, aut ſpurii. 85
Ubi morientes in loco diſſito. *ibid.*

Sepultura eam eligentium.

In quo anno incipiat facultas eligendi ſepulturam. 83
Quilibet debet tumulari in ſepultura electa. 82. 84
Utrum itidem, ſi ſit electa ad inductionem. 95. &c.
Si ſit electa Eccleſia Regularium, nonniſi de licentia eorumdem. 94
Limitationes. 95
Eccleſia parochialis non poteſt rejicere ſuum parochianum, & quando nec exterum. *ibid.*
Ubi ſepeliendus, qui non poteſt tumulari in ſepulcro electa. 85
Ubi impubes factus pubes, pro quo ſepulturam elegit pater, dum erat minor. 83
Electio ſepulturæ in loco minus religioſo olim nulla, nunc valida. 82

Sepultura decedentium ſine Electione,

Sepeliendi in ſepulcro majorum. 84
In quo, ſi habeant plura ſepulcra majorum. *ibid.*
In quo filii emancipati, exhæredati, præteriti, adoptivi, & ſpurii. 85
In quo morientes in loco diſſito. *ibid.*
Ubi carentes ſepulcro majorum. 84

Sepultura in Eccleſia, in qua de jure quis non debebat ſepeliri.

Reſtitui debent cadaver, & emolumenta percepta, 84
Semper emolumenta, & quando cadaver. 93
An detrahi debeat quarta. *ibid.*
Quid de ſepultis in ſepultura electa ad inductionem, 96

Sepulcrum majorum.

Quodnam cenſeatur tale. 84
An tale cenſendum ſit, quod Pater ſibi delegit, aut noviter extruxit. *ibid.*
Quodnam pro filiis, ſi pater, & mater, aut ſola mater habeat majorum ſepulcrum. *ibid.*
An tranſverſalium, quando, *ibid.*
An mere hæreditarium. *ibid.*
Prævalet juri parochialis Eccleſiæ. 82. 84
In eo ſepeliendi, quotquot ſine electione decedunt. 82. 83. 84.

Sermo Funebris,

Antiquitas ejuſdem, & utilitas. 98
Quo loco habendus, in quo habitu & ritu. 74. 98

Stola.

Juriſdictionis indicium. 72
Nonniſi ea depoſita Parochus poteſt inter exequias Eccleſias Regularium ingredi. 71. &c.
Hebdomadarius Regularium cum ea poteſt intereſſe funeri, quod ad eorumdem Eccleſiam ducitur. 68

Subvenite reſponſorium.

Dicebatur olim ſuper morientem expirationis tempore, nunc dicendum anima jam e corpore egreſſa. 55. 107
Inter exequias dicendum ſuper cadaver Eccleſiam ingreſſum, & a quibus. 71
Quo ritu, 73. 75

T

Translatio Cadaverum.

Cadaver traditum perpetuæ ſepulturæ, ſine licentia Ordinarii non poteſt alio transferri. 93
Limitationes. 94
Tumulata per modum depoſiti, abſque ullius venia ad ſuam ſepulturam transferuntur. 93
Quo pacto facienda translatio. *ibid.*
Pro translatione de uno in alium locum nulla gabella debetur. *ibid.*

V

Viaticum.

Quoties proximus teneatur præſtare viam Parocho illud deferenti ad infirmos. 62
In feria ſexta Paraſceves deferri debet recitando pſalmos privatim, & ſubmiſſa voce. 60. 81
In eorumdem fine dici poteſt *Gloria Patri*, & omitti. 81

Uxor.

Vide *Sepultura Uxorum*.

F I N I S.